BULLARIUM TRAJECTENSE.

2

BULLARIUM TRAJECTENSE.

ROMANORUM PONTIFICUM DIPLOMATA

QUOTQUOT

OLIM USQUE AD URBANUM PAPAM VI (AN. 1378)
IN VETEREM EPISCOPATUM TRAJECTENSEM DESTINATA

REPERIUNTUR

COLLEGIT ET AUSPICIIS SOCIETATIS HISTORICAE RHENO-TRAJECTINAE EDIDIT

GISBERTUS BROM
ULTRAJECTINUS, S. THEOL. DOCTOR.

VOLUMEN SECUNDUM.

HAGA-COMITIS
MARTINUS NIJHOFF.
1896.

1893, Apr 21 — 1896, Jan 14
Ward fund

INTRODUCTIO.

Diplomatum serie ad terminum usque, quem ab initio praefiximus, scilicet annum gratiae 1378, tandem aliquando rite absoluta, jam restat Introductio, in qua prolixius disseremus de methodo et fontibus primum, tum de variis argumentis Bullarii Trajectensis, denique de rebus rationibusque, quibus dioecesis nostra Ultrajectina cum Romano Pontifice conjuncta eo tempore erat.

I.

DE METHODO ET FONTIBUS.

Observationibus, quas de methodo in Praefatione feci, nonnulla mihi addenda videntur.

Modus scribendi nomina.

Nomina personarum et locorum pari quo in fontibus leguntur modo fideliter tradere studui, praecipue quoties nonnisi diplomatis excerptum exhibetur; immo cum aliqua scribendi occurrit ratio prae caeteris notanda, eadem non cursivis literis in excerpto impressa facillime observabitur. E contrario, quodammodo liberius agere placuit in iis excerptis, quae toto diplomate non carent. Tunc etenim diploma ipsum nativam exhibet scribendi rationem, cui censui in excerpto describendo praestare modum hodierno usui magis consentaneum. Primo igitur casu scribere soleo: *Ysabella*, *Durdrecht*, vel: „Mildeborg"; altero autem: *Isabella*, *Dordracum*, *Middelburg*. Nonnunquam excerptum exhibet nomina personarum uncinis interclusa, quia in diplomate desiderantur. Cujusmodi generis rationi hodiernae prorsus adaptata sunt; verbi gratia: *(Wilhelmus)*, quod nomen in nostris diplomatis plerumque legitur: *Willermus*, vel etiam: *Willelmus*. Fatendum tamen est, materiam hanc difficultatibus scatere et vix ad unam eandemque normam dirigi posse, quae ubique servetur. Quare forsitan non desunt aut voluntariae aut involuntariae exceptiones contra vel potius praeter hanc rationem scribendi generalem, quae acutum cujusdam oculum offendent.

Indices personarum et locorum exhibebunt nominum modum legendi (siquis determinari potest), qui saepissime occurrit, ad quem utpote principalem varii modi non tantum vulgares revocantur; verbi gratia Ysabella v. Isabella, Durdrecht v. Dordracum. Ubi cum inspicere volueris, singula quae ad rem faciunt diplomata secundum numeros indicata reperies. Nomina, quae plus semel in eodem diplomate occurrunt, asterisco signavi.

Haec de methodo universe sufficiant. Nunc superest, ut singula quaedam animadvertantur.

Executores, Conservatores.

Pontificatu Johannis papae XXII ipsiusque in continuo successorum Avenionensium excerpta nostra saepissime ita expliciunt: *Deputantur executores*,

vel: *Deputantur conservatores*, dum tamen nomina executorum vel conservatorum hujusmodi omittuntur. Cur istum in modum agere libuit? Ut ex Urbe certo tempore profecturus atque interim Regestorum voluminum copia oppressus horae ruenti parcerem. Nec hodie piget me hujus festinationis et diligentiae. Plerumque enim in provisionibus beneficiorum aut aliis privilegiis communiter contingentibus tali munere fungebantur officiales, ministri, praelati curiae pontificiae, a nostra dioecesi Trajectensi utcumque alieni; qui quasi pro forma ad favorem aliquem executioni mandandum vel conservandum deputabantur, nullum in partes nostras effectum realem verisimiliter sortituri (cfr. ex. gratia num. 533). Accedit, quod stilus curiae tales executores et conservatores nequaquam expressis ipsorum nominibus, sed tantum „punctis dignitatis" plerumque recensere solet. Attamen ne quidquam, quod ad rem nostram pertinere videbatur, leviter negligeretur, serio invigilavi. Lex igitur mihi erat, ut quoties executores vel conservatores ipsius dioeceseos *Trajectensis* propriis nominibus indicatos repererim, eorundem in textu contracto vel potius in excerpto nostro mentionem utique facerem (v. gr. num. 682). Similiter agendum putavi cum executoribus et conservatoribus cujuslibet privilegii pro quadam persona valde notabili, v. gr. pro Gerardo Magno (cfr. numm. 1401, 1408, 1721).

„Non obstantibus".

Eadem parsimonia utendum videbatur, quoties frequentissima in beneficiorum collatione occurrebat clausula, qua implicita continetur super beneficiorum pluralitate dispensatio, clausulam intelligo: *Non obstantibus.* Longe tamen abest, ut in hisce omni discrimine sublato egerim. Beneficiorum nempe, quae ad dioecesim Trajectensem revera spectant, semper integra fit mentio vel in excerpto vel potius in textu diplomatis eatenus deducto (v. gr. num. 698) et insuper in Indice rerum sub capite: *pluralitas beneficiorum.* Sed quae aliis in dioecesibus beneficia sedem habent atque in clausula: *Non obstantibus* recensentur, tuta conscientia omittenda fere videbantur.

Fontes.

Bullarii Trajectensis fontes generatim loquendo duplicis sunt generis: 1° ex archivo Vaticano hausti, cujus generis est numerus longe major; 2° aliunde deprompti, vel autographa vel apographa; cui generi adjici possunt libri impressi, ubi quid diploma pontificium pro dioecesi Trajectensi qualibet ratione emanatum reperiatur.

Fontes ex archivo Vatic. hausti.

1° In archivo Vaticano perlustravi: **a.** *Regesta* in charta membranea conscripta et proprie dicta *Vaticana*, usque ad Clementem papam V inclusive; **b.** Regesta in codice chartaceo conscripta et *Avenionensia* dicta, a Johanne papa XXII usque ad an. 1378. Haec autem Regesta illis prius conscripta esse et plura continere asseruntur [1]) illisque non minore, immo „vel maxima gaudent auctoritate, si quandoque apographa Vaticana aliquantum ab eis discrepare deprehendantur." [2]) Praeterea Regesta Avenionensia „fere omnia duplici et quidem accuratissimo clarescunt Indice, chronologico et alphabetico in 50 circiter in folio voluminibus digesto." [2]) Quo indice mihi duce Regestorum longissimam seriem facilius et celerius perscrutari potui. Praeterea notandum, me laudare in pontificatu Johannis papae XXII prius solere *Regesta Vaticana*,

---

1) Cfr. H. Bresslau ***Handbuch der Urkundenlehre*** (1889) I. 100.
2) Ita D. Gregorius Palmieri ***Manuductio ad Vat. arch. Regesta*** (Romae 1884), Praef. IX—X.

utpote quibus a Tomo 63 usque ad Tom. 84 prius usus sum quibusque textum nostrum adaptavi. Mox vero intelligens planiorem viam nec minus tutam praebere Indicem supra memoratum, hoc duce progressus atque potius *Regesta Avenionensia* inde perscrutatus sum. Quae insuper, cum in undecim prioribus annis pontificatus Johannis XXII perscrutandis jam *Regestis Vaticanis* usus essem, pro eodem temporis spatio accurationis causa percurri atque notavi. *Bullarium Trajectense* hosce complectitur annos a num. 528—723, ubi promiscue et saepius una laudata videris *Regesta* tum *Vaticana* eaque a Tom. 63—84, cum *Avenionensia* eaque a Tom. 1—27. At cum simul laudantur, ordine priora leguntur quae in hoc illove diplomate describendo aut excerpendo reapse mihi inservierunt (cfr. num. 528 et seqq.).

Regesta, quae *de Curia* et quae *Secreta* vulgo nuncupantur, pro majore parte literas continent ita dictas curiales, i. e. ad principes destinatas aut de republica agentes [1]), quae tamen in serie Avenionensi desiderantur. Quapropter hoc genus literarum inter *Regesta de Curia* et *Secreta* cujusque Pontificis Avenionensis, quae nonnisi in serie *Vaticana* asservantur, diligenter investigavi, ut quotquot ad rem nostram faciebant sedulo notarentur (cfr. numm. 547, 548, 598 etc.).

Fontes aliunde derivati.

2° Aliunde i. e. ex variis non solum patriae nostrae archivis deprompta sunt multa tam autographa quam apographa coaeva; quam collectionem, siquid diploma pontificium in fontibus manu scriptis praesto jam non esset, ex libris impressis hinc et illinc sparsis supplere studui.

Autographa ante saec. XIII.

a. Autographa saeculo XIII anteriora ad nostram dioecesim destinata sunt paucissima. Per totum hoc aevum, ab an. 751 incipiendo, Bullarium Traj. (computatis etiam *Addenda)* exhibet solum 44 diplomata pontificia. A quibus tamen stricto sensu non pauca demi oportet: quattuor scilicet (numm. 14, 21, 27, 2270) ut spuria repudianda [2]); duodecim insuper (computatis etiam spuriis numm. 27 et 2270), utpote quae non directe patriam nostram, sed ipsam potius ut partibus vicinis connexam respiciunt (numm. 1, 3, 4, 9, 11, 15, 16, 27, 40, 41, 2270, 2271); quattuordecim denique, in quibus pro extranea ecclesia monasteriove inter bona confirmanda nonnullae possessiones apud nos sitae commemorantur (numm. 2, 6, 12, 18, 22, 26, 30, 31, 33, 34, 37, 38, 39, 2269). Ergo supersunt sedecim tantum pro ipsa dioecesi Traj. diplomata pontificia, saec. XIII anteriora, et in hoc numero perexiguo tantum quinque autographa aetatem tulerunt (numm. 17, 20, 28, 35, 36), quorum primum est privilegium Egmundanum d.d. 29 Febr. an. 1140. Singula autem hujusmodi autographa ad literarum papalium speciem, quae *Pancarta* vulgo nuncupatur, pertinent atque in forma solemni privilegiorum majorum sunt conscripta.

Minimus sane inquisitionis nostrae fructus, praesertim si comparatur cum simili collectione, qua vicinos nostros ab oriente incolentes frui notum est: *die Papsturkunden Westfalens.* Inter 175 diplomata, quae ibi enumerantur, sunt quidem 21 literae ad curiam Romanam destinatae atque 10 certo habentur spuriae. At vero nedum hisce computatis, diplomata papalia ante saec. XIII pro Westphalia emanata messem nostram longe numero superant eoque longius, quod Pontificum diplomata Westphalica praedicti aevi pro majore parte sunt auto-

1) Cfr. H. Bresslau l. l. 98.

2) De Spuriis v. infra p. VI et ss.

grapha. Recte tamen aliquis consideret, opus laudatum totam complecti Westphaliam, i. e. territorium in quattuor dioeceses, Monasteriensem scil., Mindensem, Osnabrugensem, Paderburnensem divisum et praeterea ad fines etiam Colonienses partim sese extendens.

Autographa saec. XIII.

Inter diplomata pontificia 405, quae pro saec. XIII collegi, autographa ascendunt ad numerum 84. Quorum, cum modo septemdecim (numm. 187, 254, 273, 274, 326, 336, 348, 351, 353, 369, 370, 372, 375, 2273, 2278, 2280, 2281) in archivis extraneis asserventur et de uno tantum (num. 177) dubitandum videatur, num revera secundum autographum jam nunc existens sit depromptum, sexaginta sex in archivis patriae nostrae aetatem tulerunt. Pro majoré parte haec autographa, quibus injuria temporum pepercit, agunt de bonis ecclesiarum et monasteriorum confirmandis vel ipsius generis privilegiis, ut ita dicam, communibus. Ad quam rubricam revocanda occurrunt diplomata numero circiter quadraginta quinque. Caetera vero argumentum tractant magis minusve particulare, quo historia nostra ecclesiastica satis abundeque clarescit: v. gr. indulgentiam in favorem ecclesiae vel monasterii construendi impertitam (numm. 131, 175, 177, 187, 233, 260, 309, 403, 429); privilegium quoddam singulare (numm. 61, 127, 208, 232, 241, 263); sententiam in lite proferendam aut executioni demandandam (numm. 273, 274, 279, 280, 326, 336, 348, 350, 351, 352, 353, 372, 414); contractus sive pacti confirmationem (numm. 63, 104); facultatem commissam vel statutum conditum in rebus disciplinae (numm. 226, 278). Quodsi in comparatione cum opere laudato: *die Papsturkunden Westfalens*, pergere lubet (enumerantur ibi pro saeculo XIII diplomata pontificia 659, inter quae sunt autographa 222), vertente hoc saeculo conditionem dioeceseos Traj., si hanc cum aevo anteriori contuleris, multo meliorem esse factam illico apparet.

Autographa saec. XIV.

Pro saec. XIV usque ad an. 1378 conquisivi literas papales in universum 1843. Inter quae sunt autographa 92, quorum 75 in patria nostra aetatem certo tulerunt. Enimvero septemdecim (numm. 460, 477, 595, 921, 922, 925, 926, 927, 943, 984, 985, 1131, 1494, 1495, 1985, 1986, 2231) in archivis extraneis reperiuntur, eaque fere omnia, utpote ad comites Hollandiae, qui erant de stirpe Hannoniensi, hodie in archivo Montis Hannoniae asservata; porro tantum de uno autographo, num adhuc existat, dubitari potest (num. 550).

Quod de autographis saec. XIII supra annotavimus, idipsum hic denuo apparet: communis generis diplomata, quippe quae privilegiis bonisve conservandis et impertiendis inserviant, facile caeteris, quae argumentum magis minusve singulare tractent, numero praevalere. Illius nempe generis sunt 58, hujus tandummodo 34 [1]). Neque tamen inter diplomata communis generis ita numero praevalent istiusmodi literae autographae saec. XIV, quae bonis monasterii vel ecclesiae confirmandis inserviunt. Similiter quoque dicendum de provisionibus ita dictis beneficiorum, quarum copia *Bullarium Traj.* nimis, proh dolor, abundat, sed quae inter autographa saec. XIV rarae inveniuntur (numm. 1005, 1542, 1543, 1909, 2140) atque inter autographa aevi prioris omnino desunt.

1) Videlicet numm. 433, 480, 487, 509, 512, 515, 552, 567, 591, 714, 948, 949, 950, 974, 984, 985, 989, 990, 991, 992, 1046, 1533, 1555, 1616, 1828, 1840, 1987, 2046, 2095, 2174, 2175 2176, 2231, 2244. Numm. 552 et 1046 bullae sunt, quibus nominatur episcopus Traj.

Ergo, si in universum computare volumus, inter literas papales 2292 *Bullarium Traj.* exhibet autographa 184: verum utique specimen, ex quo solo conjicere licet, diplomatum vetustorum copiam maximam procedente tempore deperiisse et modo partem exiguam nobis esse residuam.

b. Breviter tandem dicendum est de apographis, quippe quibus fontes nostros aliunde quam ex archivo Vaticano depromptos rite compleri supra dixi. Hujusmodi autem sunt quae vario appellantur nomine: Vidimus, transsumptum, transfixum, sed pro majore parte in chartulariis antiquis aetatem tulerunt. Immo nonnullarum literarum papalium, quae manu scriptae jam nunc indicari non possunt, non est alius fons quam libri impressi, ubi earundem facta est mentio. At qualicumque nomine vel ortu occurrunt, singulos hosce fontes, ut ita dicam secundarios, unam sub rubricam: *apographa*, disponere merito possumus. Apographa.

Pro aevo antiquissimo, scil. ante saeculum XIII, ex apographis deprompta in Bullario Traj. leguntur diplomata 31; pro ipso saec. XIII diplomata 94; ab an. 1300 usque ad an. 1378 diplomata 42.

Operae pretium videtur hic annotare, paucissimas tantum literas reperiri tum in Registris archivi Vaticani cum in manuscriptis alibi exstantibus, nimirum ante finem saec. XIII autographa tantum quinque (numm. 369, 370, 375, 403 et 429), apographa penitus nulla; postea vero autographa viginti et novem (numm. 477, 515, 552, 567, 595, 921, 922, 925, 926, 927, 984, 1046, 1131, 1294, 1494, 1495, 1533, 1616, 1644, 1840, 1985, 1986, 1987, 2095, 2140, 2174, 2175, 2176, 2196), apographa quidem novem (numm. 569, 1512, 1528, 1548, 1617, 1618, 1637, 1779, 2087). Sunt igitur non amplius quadraginta tribus diplomatis, quae in fontibus tam archivi Vaticani quam aliunde desumptis praesto sunt. Caetera tamen, quae secundum autographa vel apographa deprompta recensuimus, in Registris archivi Vaticani desiderantur. Quod mirum non est, cum haec Registra, quamvis ut quotquot e cancellaria papali prodirent documenta continerent sua indole destinata, absolutam hujusmodi integritatem nunquam reapse attigisse noverimus [1]). Jamvero duo fontium genera, in quae tantum documentorum acervum secundum originem dividendum putavi, alterum alterius vices mirum in modum supplere videmus. Comparatio inter duo fontium genera.

Archiva et bibliothecas, quorum *manuscriptis* ad componendum hoc opus usus sum, jam in Praefatione indicavi; quibus addendum est solum archivum Status Dusseldorpianum. Libri impressi, quos plus semel adhibui vel laudavi, cum integro titulo alphabetice infra enumerabuntur in Elencho librorum adhibitorum.

Hic denique adjicere lubet schema quoddam generale, ubi inspicere poteris numerum atque originem quotquot collegi diplomatum; insuper quot in Bullario nostro cum textu integro exhibeantur; deinde quot eousque cum textu integro non fuerint prelo mandata; tandem quot in Bullario reperiantur diplomata, quae ad Coloniensem potius spectant provinciam quam directe ad ipsam dioecesim Trajectensem. Schema generale.

1) Cfr. H. Denifle *Archiv für Literatur- und Kirchengesch.* II. 56 seq.

	Totum.	Secundum autographa.	Secundum apographa.	Sec. Reg. Vat.	Sec. Reg. Aven.	In extenso reddita.	Antea aliis in libris nondum descripta.	Quot ad Coloniensem spectant provinciam.
Ante 1200	44	8	31	5	—	4	—	12
Saec. XIII	405	84 (5)[1]	94	232 (5)	—	169	142	61
1300-1378	1843	92 (29)	42 (9)	410 (11)	1337 (27)	288	1781	75
In univ.	2292	184	167	647	1337	461	1923	148

De spuriis. Ad hunc de fontibus tractatum pertinere quoque videtur, ut de literis spuriis, quae in Bullario nostro occurrunt, singulis disseramus.

Literae papales, quas ut spurias apposita † signavi, sunt numm. 14, 21, 27, 1168, 2270, 2279. Forsitan easdem plures esse conjeceris, comparato opere saepius laudato: *die Papsturkunden Westfalens;* ubi saltem octo ante an. 1200 confectas atque saeculo XIII tres bullas spurias inveneris. Porro jam illis temporibus, praecipue Innocentio III et IV Summis Pontificibus, bullas frequenter adulteratas esse constat; idque ut in Anglia necnon Italia[2]), ita quoque in ipsa Germania. Quapropter „execranda presumptio falsariorum" varias poenas contra hujusmodi crimen statuendas provocavit[3]). Mirari proinde aliquis potest, certa indicia omnino deesse, quae ante finem saec. XIII vel unam bullam papalem in partibus nostris corruptam esse demonstrent.

---

1) Uncinis interclusa sunt quot in altero fontium genere iterum occurrunt.
2) Cfr. E. Berger *Les Régistres d'Innocent IV*, *I.* LXXVI et n° 4086.
3) Cfr. Finke l. l. XXVII et n° 640; *Corpus juris can. Decret.* Lib. V. Tit. XX de crimine falsi.

Tacere utique licet de numm. 27, 2270, 2279, de quibus dubitari non potest, num auctore extraneo oriunda censenda sint. Quae igitur primo loco ad rem nostram faciunt, sunt numm. 14 et 21; (de num. 1168 inferius agetur). Spuria numm. 14 et 21. Sed utrumque hoc diploma spurium neque aliter superest nisi in apographis, quae saeculo XIV antiquiora certo non sunt. Utrumque sane legitur in quibusdam chartulariis ecclesiae S. Martini Trajectensis eaque ratione adulteratum esse videtur, ut Majoris et S. Salvatoris ecclesiarum capitula quamdam sibi prae caeteris capitulis jurum eminentiam vindicarent.

At vero, num. 14 ut excerptum taliter qualiter contractum prius non legitur quam in chartulario Leydensi (saec. XV) et in chartulario recentiore, quod Bockenbergius postea composuit. Falsarius autem nimis imperitus tamquam exemplar imitatus est num. 8, sed integram bullam adulterare non ausus vel frustra forte conatus, genuini diplomatis inscriptionem, initium, notam chronologicam ita adaptavit, ut ad spurium istud Conradi episcopi diploma confirmandum cujusdam novae bullae speciem saltem praeberet [1]). Neque tamen idem falsarius notam chronologicam diplomatis praecedentis imitando errorem evitavit, quum Calixtum papam II mense Octobris an. 1121 nequaquam Remis, sed Melfiae sedem habuisse constet [2]).

Jam superest num. 21, unum et solum specimen bullae spuriae integre ex illo tempore residuae. Legitur hoc diploma, cui insertum est privilegium Conrado regi III falso suppositum atque d.d. 18 Octobris anni 1145 [3]), in chartulario quod dicitur Hannoverano (saec. XIV), et insuper in chartulario quod supra laudavimus Leydensi. „Sed risum teneatis amici": bulla papalis, qua assertam regis donationem falsarius confirmari voluit, hac prior tempore prophetici instar sermonis emanavit. Nihilominus utrique diplomati tum regali cum pontificio fidem eruditi olim non denegarunt, donec van Spaen [4]) utrique falsitatis notam inussit. Porro ut hujusmodi commentis quaenam fidei species indueretur, eo facilius fiebat, quod duo ejusdem Conradi regis diplomata genuina [5]) in *Libro donationum*, chartulario antiquiore fideque haud indigno, legebantur. A quibus et aliis documentis regiis falsarius nonnulla spolia callide mutuando commentum suum concinnavit [6]). Similiter quoque egit in elucubranda bulla Eugenii papae III: varias enim verborum structuras, quae secundum stilum curiae confirmationem sonare videbantur, agglomeravit, non autem tam apte, ut si quis conferat cum aliis formulis confirmatoriis illo tempore adhibitis, fraus affectata penitus eum lateat (cfr. v. gr. numm. 17—20, 23 etc.). Quodnam autem exemplar coaevum in fingendo bullae initio adhibitum sit, indicari omnino non potest, cum tam inter *Regesta Pontificum Romanorum*, quae cl. Jaffé edidit, quam in Bullario nostro altera bulla iisdem verbis: *Supplicatio charissimi*, incipiens desideretur. Notae tamen chronologicae exemplar invenitur in Bullario num. 24; cujus diplomatis autographum aetatem certo

---

1) Cfr. S. Muller Fz. *Het oudste Cartularium van het Sticht Utrecht* Inl. LXIII—LXIV.
2) Jaffé-Loeuwenfeld 6925—6930.
3) Böhmer *Regesta chronol.-diplom.* (Francofurti 1831) 2248.
4) *Inleiding tot de historie van Gelderland* (1801) I. 247 seq.; cfr. etiam W. Moll *Kerkgesch. van Nederland* II. I. 310—311.
5) Böhmer *Regesta* 2177 et 2249.
6) Muller l. l.; vide etiam 127 et 131.

tulit usque ad saec. XVIII, quippe quod Miraeus et van Heussen et van Rijn [1]) pro editione sua ante oculos se habuisse sed corruptioni jamtunc proximum fuisse affirmant. Etenim et num. 21 et num. 24 sunt: „Dat. Rome apud Sanctum Petrum," nota illo tempore sane rarissima, cum Pontifices Romanos saeculo XV anteriores, quando in Urbe degebant, plerumque in palatio Lateranensi vel apud aliam potius quam S. Petri Basilicam sedem habuisse sit notum. Sicut autem falsarius in fingenda spurii sui diplomatis regii nota chronologica verbotenus alterum idque genuinum Conradi III regis diploma imitatus est, hoc ipsum in fingenda bulla confirmatoria conatus fuisse videtur. Jam habebat verisimiliter bullam Eugenii papae III, quae erat: „Dat. Rome apud Sanctum Petrum," eamque ad Walterum abbatem Walachriensem destinatam (num. 14), sed falsario nostro, qui vetus tabularium Trajectense penitus noverat, haud facile ignotam. Nam ejusmodi bullae, quae licentiam ab Heriberto episcopo Traj. impertitam confirmavit, saltem apographum aliquod in vetere cathedralis ecclesiae tabulario non defuisse dicamus. Proinde hanc genuinam Eugenii papae III bullam imitando falsarius scripserit: „Dat. Rome apud Sanctum Petrum." Quibus verbis temere adjecit: „XV Kl. Aprilis, pontificatus nostri anno primo." Cum enim ad eundem annum, quo spurium Conradi regis diploma oriundum finxerat, referre voluerit ipsam bullam confirmatoriam, scripsit: „pontificatus nostri anno primo," sed ita in laqueum incidit. Eugenius papa III pontificatus apicem anno 1145 utique attigit; verumtamen (quod falsarius noster ignorasse videtur) jam mense Februario, ita ut mensis Aprilis anno pontificatus primo septem abbinc mensibus praeterierit, cum Conradus rex die XV Kl. Novembris diploma suum edidisse contenditur. Inter utrumque diploma spatium quinque circiter mensium optime congruere falsarius noster computavit; scripsit igitur sicut in diplomate regio: XV Kalendas; non autem: Novembris, sed: Aprilis, ut bulla papalis diploma regium post quinque menses subsecuta fuisse videretur. At procedente tempore quamlibet fraudem semetipsam denudare hic iterum apparet.

Firmissimum interim quod supra diximus permanet: nullum jam superesse indicium certum, quo bullas papales ante finem saec. XIII nostris in partibus adulteratas esse demonstretur. Habentur quidem duae literae papales ut spuriae repudiandae, quarum nota chronologica ad saec. XII refertur; quin tamen multum postea confectae sint, dubitari non potest. Neutrum enim diploma legitur in *Libro donationum*, cujus partem primam fini saeculi XII, alteram vero saec. XIII eruditi attribuunt; neque etiam invenitur in reliquis chartulariis nostris antiquioribus, de quorum fide ingenua dubitare non licet. Sed in codices supra laudatos, Hannoveranum scilicet (saec. XIV) et Leydensem (saec. XV) ementitae hae bullae derivatae esse videntur a communi quodam fonte hodie nondum residuo, quem cl. Muller [2]) circa an. 1322 censuit oriundum.

Cui opinioni hac in re favet sane, quod illo tempore acrem de mutuis juribus aemulationem inter quinque capitula Trajectensia ingravescentem novimus. Cujus rei luculentum habemus documentum in diplomate d.d. 2 Septembris an. 1317 [3]): quattuor enim capitula ecclesiarum S. Salvatoris, S. Petri, S. Jo-

1) Vide locos supra laudatos num. 24. 2) Ibidem L. et LXVIII.
3) A. Matthaeus *De nobilitate* 691, ubi integrum diploma.

hannis et S. Mariae considerantes, quod „in hujusmodi episcopi electione et communibus universalis ecclesiae, civitatis et dioecesis Trajectensis negotiis disponendis et ordinandis inter nos jus communiter habuerimus et in praesenti habemus, ... quia dicti decanus et capitulum ecclesiae S. Martini in praedictis jure et consuetudine nobis et nostris ecclesiis derogare nituntur", pro jurum suorum defensione pactum tunc inierunt. Ipsa autem haec aemulatio utrique nostrae bullae adulterandae occasionem rationemque certo praebuit [1]).

Eademque opinio tanto magis confirmatur, cum in Bullario nostro videamus, eo tempore ipsam in dioecesim Trajectensem subrepsisse morem bullas papales adulterandi. Argumento sit num. 630. Anno scilicet 1323 dominus Papa scribit Johanni de Diest episcopo: „Litteras sub nostro et f. r. Clementis pape V predecessoris nomine presumptione dampnabili fabricatas, quas nobis mittere curavisti, liquido comperimus esse falsas". Episcopum deinde laudat: „quod falsitatem hujusmodi solerter, ut decuit, avertisti et earum fabricatores vel eos, qui ipsis falsis litteris uti dampnabiliter presumebant, capi fecisti et carcerali custodie mancipari."

Alterum ejusdem criminis casum exhibet num. 1106, diploma quidem viginti postea annos emanatum, sed quo materia haec plenius illustretur, instrumentum haud spernendum. Anno nempe 1344 Clemens papa VI scribit Johanni de Arkel episcopo: „quod Esicůs Scibada rector ecclesie in Franeker(?) tue diocesis quasdam litteras falsas sub nomine Benedicti pape XI predecessoris nostri fabricavit seu fecisse dicitur fabricari, per quas asserit sibi esse concessum, vulgares circummorantes, qui parochiam suam singulis diebus Jovis propter generale forum ibidem existens adeunt, de excessibus, quos committant ibidem, posse corrigere et punire, et quod hujusmodi falsis litteris scienter hactenus fuerit usus." Dolendum sane est, hucusque ne unum quidem inter transscripta bullarum falsarum Clementi V, Johanni XXII, Benedicto XI papis attributarum, de quibus numm. 630 et 1106 expressam faciunt mentionem, nobis esse relictum. Quo fit, ut exemplari bullae spuriae saeculo XIV attributae omnino careamus, nisi forsitan numero 1168 falsitatis nota jure sit inurenda.

Spurium num. 1168?

Diploma hoc nonnisi in chartulario saec. XVI aetatem tulisse asseritur. De hujus bullae fide, quam suo loco minime prorsus infitiari sed tantum in dubium vocare ausus fuerim, ita me hodie dubitare solum audere fateor. A stilo curiae alienum utique est statim in medias res incidere, incipiendo nempe sine ullo prooemio generali, arenga vulgo nuncupato, quod per unam alteramve sententiam paullatim ad argumentum bullae praeparet. Neque minus alienum videtur, orationem in fine repentine abrumpere omissis quibuslibet formulis, veluti: „Non obstantibus" sive aliis talibus, quae privilegiorum concessionem passim concludere et quasi communire solent. Praecipue autem offendit hujus bullae argumentum: cui simile quid inter privilegia Regularibus concessa penitus ignoro. Accedit, quod varii favores sine ulla inter se connexione recensentur, sed quasi per vim compositi occurrunt. Denique, ut pauca tantummodo exempla afferamus, mirae sane videntur enuntiationes ejusmodi: „Item indulgemus de gratia speciali omnibus et singulis prelatis, presbyteris seu ecclesiarum rectoribus quibuscunque dictorum fratrum vel promotoribus et relaxamus quidquid de horis canonicis per negligenciam omiserunt" .... et

1) Cfr. Muller l. l. LXIX.

insuper: „ad majorem quoque vestre mercedis cumulum vobis mandando praecipimus, quatenus hanc ejusdem predecessoris constitutionem et nostram per parochias vestras nunciari propriis literis faciatis." .... Haec et similia dubitationem mihi attulerunt; non tamen satis argumenti habere videbantur, ut ad ingenuitatem penitus negandam me adducerent. Ergo, dum in dubio fides hujus bullae relinquitur, nonnisi duae supersunt literae papales spuriae (num. 14 et 21), quas saeculo XIV fabricatas esse constat.

II.

DE VARIIS ARGUMENTIS.

Argumenta varia, quae in Bullario Trajectensi tractantur, quod ad materiam bipartito secerni possunt. Hujus igitur partis sectio prima aget de iis, quae rationis potius *civilis*, altera vero sectio de iis, quae rationis stricte *ecclesiasticae* sunt dicenda.

Sectio prima.

Argumenta rationis civilis.

Illius generis documenta, utpote quae patriae nostrae historiam illustrent maxime idonea, non tam crebra in Bullario inveniuntur, quam apud historicos merito erat in votis. Cum peritissimo censore [1]) et ego hoc dolendum puto, eoque magis, quod praecipue ante saec. XIII dioecesis Trajectensis inter feodales nostrarum partium ditiones primarium locum obtinere solebat et quod complures praesules nostros in omni actione atque administratione reipublicae tunc floruisse notum est. Nec ideo tamen parvi momenti esse quae huic materiae illustrandae adminicula Bullarium praebeat, equidem censeo et satis probatur ex *Indice rerum*, ubi quotquot ad hoc genus pertinent documenta enumerata videbis sub capite: *Reipublicae negotia.* Quae ibi notanda occurrunt hic breviter in conspectu ponere notisque dilucidare non sine momento videtur.

Contentio inter S. Radbodum et comitem Flandrensem.

Primum quod de belli pacisque consiliis agit diploma est num. 5. De contentione inter S. Radbodum episcopum Trajectensem et Megunthardum comitem Flandrensem olim exorta tum in veteribus Chronicis nostris cum in *Vita Radbodi* [2]) omnino tacetur. Jamvero ex literis Johannis papae X ad Hermannum I archiepiscopum Coloniensem missis minime quidem patet hujusmodi litis ratio sive causa. Quamsi conjicere licet, non alia fuisse videtur quam episcopi Trajectensis in subditos comitis Flandrensis jurisdictio spiritualis, quae jam a tempore S. Willebrordi in partes Flandriae dictae Zelandicae se extendebat [3]). Qua de causa facillime oriri poterat altercatio. Nunc autem diploma laudatum certiores nos facit de gravissima inter praesulem et comitem lite, quam, nisi apostolicae sedis arbitrium peterent, aemuli componere non potuissent. Radbodus igitur episcopus „limina beatorum Apostolorum adiens" coram domino Papa venit, ubi jam praesentes erant deputati Megunthardi comitis. Conquestus est praesul de injuriis et molestiis, sibi a comite illatis. Condoluit Summus Pontifex, qui mediatorem inter utramque partem se ponens, „ut pax

1) *Nederl. Spectator* a° 1891 n° 30 p. 236.

2) *Migne P. L.* Tom. 132 col. 538 seq.; cfr. *Archief voor de geschiedenis van het Aartsbisdom Utrecht* XXI. 244 seq.

3) Cfr. W. Moll *Kerkgeschiedenis* I. 110 et 294.

vera et concordia esset .... ut nulla jam ulterius inter eos scandala aut jurgia inessent", paterna et monuit et ordinavit auctoritate. Insigne profecto et memorabile spectaculum, quod historiographos nostros in posterum fugere non licebit.

Secundum diploma papale (num. 10) in memoriam revocat famosum et lugubre consortium, quod in „immortali inter Sacerdotium et Imperium controversia" Wilhelmus I episcopus Trajectensis habuisse traditur. Qui postquam mense Januario an. 1076 in Conciliabulo Wormatiensi literis [1]), quibus Gregorio papae VII Summi Pontificatus dignitas abrogaretur, primus inter praesules subscripserat, immo etiam die Paschatis ipse in ecclesia sua cathedrali Ultrajectina anathema contra Summum Pontificem temere eructare veritus nequaquam erat, unum abhinc mensem morte subita est correptus. Tametsi majore perculsus excommunicatione, „in ecclesia Majori reverendis Pontificibus consepultus est," uti a Johanne de Beka narratur [2]); neque exsequiis solemnibus ideo privatus est, sicut clare apparet ex necrologiis ecclesiarum S. Martini et S. Salvatoris [3]), ubi anniversarium obitus (a. d. V Kl. Maji) quotannis celebrari solebat.

Henricus autem ab an. 1075 episcopus Leodiensis, jure Pacificus cognomine dictus, tum „quae Caesaris erant Caesari", cum „quae Dei erant Deo" reddere studebat. Proinde in duas claudicans partes, literis Wormatiensibus et ipse subscripserat, mox vero poenitens cum Gregorio papa se reconciliare nitebatur [4]). Sic inter partes altercantes mediam quamdam secutus est viam, quod jam diploma nostrum iterum clare ostendit. Pro Wilhelmo enim coëpiscopo utpote acerrimo Henrici regis sectatore funus celebrare ausus non est praesul Leodiensis, nisi domino Papa de hac causa prius consulto. Quam causam sedulo quidem in dubium vocavit, cum exsequias omittendo, ne regem ejusque factionem quam gravissime irritaret, serio metuerit. Responsum Gregorii papae quaestionem facti non solvit, sed quaestionem juris secundum communem S. S. Patrum sententiam judicandam episcopi arbitrio sapienter reliquit. Nunc etenim ne ulla quidem superesse poterat ambigendi ratio: Wilhelmus episcopus, cum revera „regi excommunicato scienter communicans sine poenitentia et satisfactione discesserit", extra communionem S. Matris Ecclesiae schismati induratus obiit. Ergo, quod responsum papale tacite innuit, nec ipsi demortuo communicare debet obediens Ecclesiae filius.

Wilhelmus I ep. adversarius Papae.

Cui monito Henricum praesulem obtemperasse, quamvis taceatur in antiquis Chronicis, tuto conjiciendum videtur, cum ad mortem usque (a° 1091) strenuum auctoritatis papalis disciplinaeque ecclesiasticae fautorem se praebuerit [5]).

Certamen de Investitura.

Hoc loco inconsultum haud erit, gravissimam inter Sacerdotium et Imperium dissensionem illo tempore fervescentem planius considerare, quippe in qua episcopi Trajectenses magnas partes egerint. Ita fore spero, ut inordinata nonnullorum erga Sedem Apostolicam conditio melius intelligatur.

Vigebat tunc intima inter regiam potestatem et episcopos connexio, cui minime hominum arbitrium, sed rerum ac temporum complicatio causa paul-

---

1) Leguntur apud Pertz M. G. *Legum* II. 44 seq.; de iis, quae sequuntur, cfr. Pertz *Scriptorum* V. 244, 283—284.

2) *Chronica* 42.

3) A. Matthaeus ad Auctorem incertum *De rebus Ultraject.* 226.

4) Vide A. Cauchie *La querelle des investitures dans les diocèses de Liège et de Cambrai* (Louvain 1890) I. 30—33.

5) Cfr. A. Cauchie l. l.

latim fuisse merito dicitur [1]). Regem utique in temporalibus supremum totius Imperii caput, immo etiam „imperatorem mundi" omnes credebant. At vero in Imperio Christiano tam caput quam singula membra in spiritualibus legi divinae Summoque Pontifici tamquam Vicario Christi omnino subjecta esse, nemo tunc infitias ibat. Suum utrique potestati aeque tribuere difficile proinde non erat, quamdiu felix inter Sacerdotium et Imperium concordia florebat. Quid autem, cum spiritualem inter et temporalem potestatem infausta esset exorta discordia? Quominus Deo magis quam hominibus obedirent [2]) episcopi, nimis obstabat intima eorum ad regiam potestatem relatio eaque multiplici vinculo contracta. Erant nimirum episcopi non solum jurisdictione spirituali, sed temporali quoque potestate praediti; erant Ecclesiae pastores, sed insuper Imperii principes; erant Summo Pontifici ut „Episcopo episcoporum" subjecti, sed regis etiam clientes. Quid mirum, si procedente tempore in episcopis saecularis principis character prae ecclesiastica dignitate invaluerit; quid mirum dico, si in tanto discrimine complures ad instar Esau pro pulmento regii favoris opulentique splendoris primogenita Ecclesiae jura vendiderint!

Eousque rerum eventus pedetentim conduxerunt; „ab initio autem non fuit sic" [3]). Erant sane ecclesiae Ultrajectinae fundatores, uti S. Willebrordus, S. Bonifatius aliique illustres Evangelii praecones apud Pepinum, Carolum Martellum, Carlomannum Francorum reges quam gratissimi, sed interim Sedi Apostolicae, a qua se in Vineam missos cuique penitus subjectos se esse gloriabantur, corde atque ore devoti. Neque etiam laudabilis haec erga supremam tam spiritualem quam temporalem potestatem submissio ad hanc vel illam partem nimis declinavit, ut primum episcopi Trajectenses terris atque possessionibus amplum in dominium sensim accrescentibus donatos se viderunt. Quae quidem donationes, ut jam tempore S. Willebrordi incoeperunt, ita usque ad medium saec. XI a diversis regibus et imperatoribus auctae, confirmatae, privilegiis communitae leguntur atque multis titulis tam Ecclesiae quam Imperii stabilitati perutiles collaudantur [4]). Poterant episcopi ditionis terrestris fulcimento adjuti erigendis ecclesiis, monasteriis, institutionibus piis facultates suas impendere majoreque auctoritate gaudere, qua populo rudi praeessent et refractarios cohiberent. E contrario, hanc potestatem civilem episcopis attributam Imperio stabiliendo summopere conduxisse indubium quoque est. Etenim episcopi, cum regia liberalitate tantis possessionibus et honoribus ornatos se viderent, fidelissimi erant regis clientes ejusque praesidio contra principes vicinos sibi insidiantes saepius indigebant; erant regi suo in aula consiliarii, in castris duces, in expediendis negotiis ministri, viris laïcis certo praeferendi, quippe qui eruditionem et culturam aspernari atque pro semetipsis suaque stirpe dominii feodalis accretionem ac a regia summa potestate libertatem potius quam subjectionem appetere solerent [5]).

In hac artissima cum potestate regia conjunctione complures episcopi Trajectenses a fine saeculi VIII usque ad tempus Henrici regis IV floruerunt, in quos procul dubio cadit illud Sigeberti abbatis Gemblacensis elogium: „Sub

---

1) Ita v. gr. W. von Giesebrecht *die Geschichte der deutschen Kaiserzeit* III. 7 (3e Aufl. 1869).
2) Cfr. *Acta Apostol.* V. 29.
3) Matthaeus XIX : 8. 4) Cfr. Moll *Kerkgeschiedenis* II. I. 38—40.
5) Cfr. Giesebrecht II. 7—9 et III. 7—8.

hoc regimine praesules vixerunt sanctitate vitae conspicui omnique veneratione digni" [1]). Uti S. Albricus, S. Fredericus, S. Hungerus, S. Radbodus, Baldricus, S. Ansfridus, Adelboldus, S. Bernulfus, qui etsi non omnes et singuli in honorem Altaris elevati, ad unum tamen omnes ob diligentiam pastoralem et disciplinae ecclesiasticae fervorem extollendi censentur.

Sed proh dolor! causam per se bonam malitia vel fragilitate humana eventus aliquando habere funestos, hic denuo liquet. Nimis artum paullatim factum est hoc virorum ecclesiasticorum cum aula regia vinculum; magis magisque timendum erat, ne Ecclesia „sponsa Christi immaculata" in intima ista cum potestate civili connexione suum decus, honorem, jus libertatis omnino amitteret. Quod summum periculum indies ingravescebat, praecipue quidem ex electione novorum praesulum, quam reges, ac si jure sibi solis deberetur, facto usurpare studebant. Mos proinde invaluit, ut neo-electi episcopi a rege acciperent non solum baculum pastorale, sicut jam de S. Frederico [2]) legimus (circa an. 828), verum etiam „investituram per annulum et pastorale baculum" adipiscerentur: signum externum, quo omnem auctoritatem a rege in episcopos derivari eidemque penitus subjectam esse significaretur.

Hujusmodi juris ecclesiastici continua violatio non poterat quin Ecclesiae portas indignis quibuslibet ministris aperiret, simoniacam induceret labem, clerum incontinentiae lue contaminaret. Intolerabilis inde Ecclesiae conditio, quam cum Summi Pontifices et praecipue Gregorius papa VII totis viribus corrigere nisi sunt, Imperii vero gubernatores et praecipue Henricus rex IV stabilire, acerrimum ortum est inter Sacerdotium et Imperium certamen.

In celeberrima hac controversia, quae de Investitura vulgo dicitur [4]), regias partes potissimum sectati sunt episcopi Trajectenses Wilhelmus I (1056—1076) et Conradus gente Suevus [5]) (1076—1099). Burchardus quoque eorum successor († 1112) iisdem vestigiis insistendo fideliter Henrico regi adhaesisse fertur [6]).

Non multum vero post, scil. an. 1122 Calixtus papa II et Henricus rex V pactionem fecerunt; inita est Concordia Wormatiensis [7]), cui Godebaldus episcopus Trajectensis ipse adfuit atque subscripsit. Sed quamvis episcoporum electio libera in posterum foret regisque investitura jam esset abrogata, praesules Trajectenses utpote Imperii clientes artissime cum rege, legitimo suo patrono, etiam postea conjuncti erant. Ita Andreas Cuyckensis (1128—1138), Heribertus († 1150), Godefridus de Rhenen (1156—1178) [8]). Hic porro, imperatore Frederico I Trajecti praesente et suadente, episcopus est electus [9]); unde ipsum assidue ad principis ambulasse gradum, etiam dum Fredericus imperator cum Hadriano IV et Alexandro III Summis Pontificibus acriter dissentiebat, facile quidem explicatur.

Similiter aulae regiae familiares admodum erant Balduinus de Hollandia,

---

1) Cfr. A. Cauchie l. l. *Introduction* XXXIII.

2) „Baculum tradidit pastoralem", ita in *Vita S. Friderici Acta S. S.* ad d. 18 Junii p. 462; cfr. *Archief Aartsbisdom Utrecht* XX. 42—49.

3) Ita de S. Bernulfo (a° 1025) apud Johannem de Beka *Chronica* 39.

4) De qua videsis: Giesebrecht III. I—II (*das Kaiserthum im Kampfe mit dem Papstthum*); von Hefele *Conciliengeschichte* IV et V.

5) De quibus cfr. Moll *Kerkgeschiedenis* II. I. 62—79. 6) Ibidem 80.

7) Apud W. Hedam *Historia* 154 et Pertz *Legum* II. 76 diploma legitur.

8) Cfr. Moll l. l. 87—100. 9) Cfr. *Annales Egmund.* Pertz *S. S.* XVI. 460.

quem ab an. 1178—1195, et Theodericus de Are, quem ab an. 1197—1212 Trajectensis infula exornavit [1]).

Praesulum Traj. in rebus civilibus studia.

Sed jam satis de intima hac episcoporum Trajectensium cum civili potestate connexione, de qua tam fuse disserui eo quidem consulto, ut praecipua explicetur causa, ob quam ante saec. XIII complurium praesulum nostrorum studia ad aulam regiam potius quam ad curiam papalem inclinasse videamus.

Quare non minime etiam efficitur, ut tam pauca diplomata pontificia per totum hoc aevum emanata in Bullario nostro recenseantur. Similem observationem pro Westphalia nuper aliquis [2]) fecit: nimirum ab an. 1159—1177, quamdiu Alexander papa III et Fredericus Barbarossa inter se altercarentur, nullas literas a legitimo Pontifice, plures contra a Victore IV antipapa in Westphaliam destinatas reperiri. In Bullario Traj. item ne unum quidem legimus diploma Alexandri papae III ante an. 1179 (num. 35), pace cum Imperatore jamtunc Venetiis confecta. E contrario apparet, in partibus nostris primarios viros ecclesiasticos legitimum putavisse Pontificem Victorem IV antipapam, quippe qui „justis postulationibus" annuens Galtero abbati fratribusque monasterii b. Mariae Middelburgensis ordinis Praemonstr. privilegia confirmarit suamque largitus sit protectionem (num. 32, unum et solum specimen literarum, quas ab aliquo antipapa in dioecesim Traj. ante an. 1378 emanasse novimus). Num Godefridus de Rhenen tunc episcopus Trajectensis earundem fuerit partium, dubitari non potest, quum ab an. 1159—1164 in praesentia atque consilio Frederici Barbarossae saepius fuisse legatur. Cui opinioni minime obstare videtur num. 28 [3]). Etenim sub Hadriano papa IV discordiae ignis nondum inflammatus incensusque erat; vix autem quum ipse decesserat (ineunte mense Septembri an 1159), Alexandro III Summo Pontifice et Victore IV antipapa uno eodemque die (7 Sept.) electis, funestum exortum est schisma.

Inter Philippum Suevum et Ottonem IV de Imperio dimicatio.

Saeculo XIII uti nostrorum diplomatum in universum accrescit numerus, ita et eorum, quae negotia publica respiciunt. Innocentio III Summo Pontifice Philippus Suevus et Otto Brunsvigensis, uterque se legitime regem esse creatum jactantes, diuturnum gesserunt bellum civile [4]), in quo Theodericus de Are episcopus Trajectensis et Otto comes I Gelriae modo hunc, deinde illum sectati sunt aemulum. Die 12 Julii an. 1198 Adulphus archiepiscopus Coloniensis Ottonem regem IV solemniter Aquis coronavit, atque certo tunc adfuerunt tam Theodericus episcopus Trajectensis quam Theodericus VII Hollandiae et Otto Gelrensis comites una cum majore parte praesulum principumque vicinorum [5]). Verumtamen circa mensem Septembris an. 1200 ad partes Philippi Suevi declinasse videtur Theodericus de Are; immo etiam ut sua sequerentur vestigia, Ottoni Gelriae et Ludovico Lossensi comitibus post mensem Julium an. 1201 persuasit [6]). E contrario, Theodericus Hollandiae comes ad mortem usque († 4 Febr. an. 1204) a parte Ottonis regis fideliter stetisse asseritur. Cum enim in bello an. 1202

1) Cfr. Moll l. l. 100—104.

2) H. Finke *Das Papstum und Westfalen* (Separatabdruck 1891) 72. Pariter in dioecesi Leodiensi Victorem IV et Calixtum III antipapas fuisse legitimos agnitos, colligitur ex nonnullis ipsorum diplomatis; cfr. *Analectes pour servir à l'hist. eccl. de la Belgique* XXIV. 201 et 217 seq.

3) Quod innuitur a Moll l. l. 98.

4) Cfr. Ed. Winkelmann *Philipp von Schwaben und Otto IV von Braunschweig* (1873—'78) I—II.

5) L. l. I. 73 et 85.

6) L. l. 187 et 220.

contra Brabantiam caeterosque hostes praepotentes temere gesto captus esset unaque cum Ottone Gelrensi comite custoditus, ipsis liberandis Trajecti ad Mosam intervenit Otto rex [1]). Similiter Wilhelmus comes I, dum pro comitatu sibi vindicando contra Ludovicum Lossensem dimicaret praesulemque Trajectensem strenuum quoque adversarium haberet, Ottonis regis assidue partibus favisse merito conjicitur.

Ex dictis colligere licet, Theodericum de Are hisce et illis certaminibus semper implicatum, in tanta rerum civilium confusione sua potius commoda quaesivisse quam monito papali, ut Ottonis partibus faveret, obtemperasse. Porro Innocentius papa III, hucusque inter utrumque de Imperio aemulum animo magis minusve anceps, a Kalendis Martiis an. 1201 Ottonem manifeste regem commendavit et sicuti alios Germaniae praesules principesque ita pariter suffraganeos ecclesiae Coloniensis et singulatim comitem Hollandiae ad praestandam legitimo regi obedientiam hortatus est (num. 43). Infra annum iterum ad eosdem similem destinavit admonitionem et praeterea seorsum ad Theodericum de Are, ea quidem ratione quod hic interim a parte Ottonis regis discesserat (num. 44). Sed neque postea ob monita papalia consilium mutasse Trajectensem praesulem opinor.

Diuturno bello civili finem denique imposuit perfida Philippi Suevi caedes († 21 Junii 1208). Proinde mensis Augusti initio archiepiscopo et episcopis ecclesiae Coloniensis simul cum aliis quorum interfuit Imperii magnatibus mandavit dominus Papa, ne quemquam adversus Ottonem IV eligi regem permitterent (num. 51).

Non multo post Otto rex IV cum Innocentio papa III de rebus praesertim Italicis graviter dissensit; excommunicationis incurrit sententiam; Imperium ipsi abjudicatum est; Fredericus postea Imperator II mense Decembri an. 1212 rex electus est et coronatus; denuo bellum saeviit civile, in quo duos abhinc annos succubuit Otto rex [2]). Jamtunc Theodericus de Are vita functus erat († 5 Nov. an. 1212), sed ejus successor Otto Gelrensis, frater Gerardi III comitis Gelriae, et Wilhelmus I Hollandiae comes Frederici novi regis partes sectati fuisse jure asserendi videntur [3]). Verumtamen quae in hac controversia ad praesules vel principes nostros Innocentius papa III diplomata destinaverit nusquam reperiuntur.

Inter Wilhelmum I comitem et Ludovicum Lossensem certamen.

Ab Honorio papa III complura emanarunt documenta, quibus historia patriae nostrae non parum dilucidatur. Etenim altercationi inter Wilhelmum I de Hollandia et Ludovicum de Los comites ad multos annos agitatae [4]) Summus Pontifex saepius intercessit. Jam Innocentius papa III Theoderico archiepiscopo Treverensi suis literis mandavit, ut compositionem die 14 Octobris an. 1206 initam stricte observandam curaret (cfr. numm. 78 et 80). Quae quidem literae papales modo deperiisse videntur, sed tuto eas paullo ante mortem Innocentii papae III († 16 Julii 1216) referendas putaverim. Cum enim pactionem laudatam utpote suis vindiciis summopere obnoxiam eousque minime observare voluisset Wilhelmus comes (sicut nec unquam postea reapse observavit), sedem

---

1) L. l. 249—250; *Annales Egmundani* Pertz *S. S.* XVI. 473.

2) De hisce cfr. Winkelmann II. 231 seq. 3) L. l. 330.

4) De qua videsis Kluit *Historia critica* I Excursus XI (*Genuina Adae comitissae Hollandiae historia*) 465 seq.

apostolicam ad jus suum vindicandum Ludovicus de Los est deprecatus. Neque frustra, nam ab Innocentio papa III literas impetravit, quarum auctoritate Wilhelmum comitem ad archiepiscopum Trevirensem citatum esse legimus (num. 80). Attamen in judicio Wilhelmus comes inter alias exceptiones opposuit: „quia mortuo mandatore expiraverat jam mandatum." Literas proinde Innocentii papae III paullo ante ipsius mortem editas censeo, quum a die, quo emanaverunt, ad terminum, quo executioni sunt mandatae, intervallum mensibus duobus tribusve majus cogitari vix possit.

Exceptiones autem, quas Wilhelmus comes in judicio opposuit, praesul Trevirensis recusavit; ejus ad sedem apostolicam appellationem contempsit; in eum excommunicationis ejusque in terras interdicti sententias promulgavit; Ottoni II episcopo Trajectensi, ut compositioni firmiter observandae invigilaret, mandatum delegavit. Nihilominus caveri hucusque non poterat, quominus Wilhelmus dominium sibi abjudicatum obtinere pergeret. Quare Ludovico comite iterum petente eandem compositionem, jam duodecim annis ante factam, expresse confirmavit Honorius papa III (numm. 73 et 74); quem mense Martio an. 1217 ad partes Ludovici comitis penitus inclinasse documenta nostra probant; immo etiam censuras contra Wilhelmum de Hollandia ejusque sectatores promulgatas Summus Pontifex apostolico confirmavit munimine (numm. 75 et 76).

Verumtamen industria sua Wilhelmus rem mox alio convertit: in curia pontificia ejus procurator H. denuo litem movet contra G. procuratorem Ludovici; primum quidem in hujus favorem judicatur (num. 78); sed mense Julio ad instantiam Wilhelmi, qui interim (ut Papae benevolentiam captaret?) Crucis fecerat votum, causa de novo audienda et judicanda committitur quibusdam praelatis Trajectensibus (num. 80); mense Augusto sententia ad tres saltem menses differtur (num. 81); interim favore pontificio Wilhelmus fruitur, nam vicesimam proventuum ecclesiasticorum suo in dominio exigendam ad subsidium Terrae Sanctae obtinet (num. 87); die 29 Maji an. 1218 in Terram Sanctam profecturus, jam antea, si quae forte post iter peregrinationis arreptum in ipsum promulgata foret excommunicationis sententia, absolvitur (num. 88); tandem eodem mense judicibus prius deputatis mandatur, ut huic causae omnino supersedeant usque ad reditum utriusque aemuli (numm. 89 et 90).

Plurimum ergo apud curiam papalem Wilhelmus comes profecit suamque causam in melius vertit. Audacem vero fortuna maximopere adjuvit ipsius aemulum repente sublevando, nam die 29 Julii ejusdem anni Ludovicus de Los subita morte correptus est.

Totus hujus causae celeberrimae processus [1]) nostrorum, quae ex Registris Vaticanis deprompsimus, adminiculo diplomatum jam amplius illustratur atque facilius perspicitur.

Summi Pontifices saec. XIII rebus patriae nostrae civilibus intervenientes.

Procedente saec. XIII Pontifices Romanos rebus patriae nostrae civilibus iisque intestinis plus semel intervenisse, Bullarium abunde satisque ostendit. Confirmavit an. 1223 Honorius papa III compositionem, quam Theodericus de Are episcopus Trajectensis et Wilhelmus I comes Hollandiae de quibusdam hominibus in Frisia an. 1204 inierunt [2]) (num. 104); Innocentius papa IV an. 1250 pactum, inter Wilhelmum II comitem ejusque fratrem de Zelandia nuper confectum

1) De quo cfr. Kluit l. l. 490—493.
2) Cfr. Kluit l. l. Excursus VIII (de conditione Oostergoae et Westergoae) 409—410.

(numm. 220 et 221); Alexander papa IV an. 1255 eidem Wilhelmo Romanorum regi decimas in partibus Frisiae (num. 264) atque anno sequenti Ottoni II donationem castri de Novomagio et thelonei de Lobith (num. 269); Honorius papa IV an. 1287 Johanni de Namurco terras quasdam in Trajectensi dioecesi, quas ejus pater Guido comes Flandriae ante duos annos dono dederat (num. 370). — Praeterea intercessit Innocentius papa IV an. 1254, cum Wilhelmus Romanorum rex et Margareta dicta Nigra comitissa Flandriae de jure alterutri in Zelandiam tribuendo [1]) graviter altercarentur (num. 254). Martinus papa IV an. 1281, cum Johannes de Nassau electus Trajectensis complures possessiones, ad mensam suam episcopalem spectantes, Florentio V comiti Hollandiae temere alienasset, censuras ab archiepiscopo Coloniensi in utrumque promulgatas confirmavit, mox vero totam hanc causam nonnullis judicibus de novo cognoscendam commisit (numm. 349 et 352).

Praesules Traj. saec. XIII rebus Imperii implicati.

Speciminibus, quibus appareat, saec. XIII episcopos Trajectenses principesque nostrates totius Imperii et aliorum regnorum civilibus rebus implicatos fuisse, Bullarium minime caret. Inhibuit Innocentius papa III Ottonem III episcopum Trajectensem una cum praesulibus Cameracensi et Leodiensi, ne inimicis Johannis regis Anglorum auxilium aut favorem impenderent (num. 69). Etenim an. 1215 primores Angliae, exauctorato rege suo Johanne, Ludovicum Francorum regis filium in Angliam evocarunt regemque renunciarunt. Cui Wilhelmus comes Hollandiae I facto cum Francis foedere auxilium praestitit; quapropter „in Angliam transfretando" excommunicationis incurrit sententiam, sed ab eadem non multo post absolutionem est adeptus [2]).

Varia insuper habentur diplomata pontificia, quae utpote archiepiscopo Coloniensi ejusque suffraganeis inscripta nostras quoque per partes divulgata sunt ac ad reipublicae negotia respiciunt. Verbi gratia, cum an. 1218 monentur, ut ad ferendam opem Amalrico primogenito Simonis comitis Montisfortis populum sibi commissum incitent (num. 93); cum an. 1229 certiores fiunt de flagitiis a Frederico Imperatore II in Terra Sancta perpetratis (num. 123); cum an. 1251 iisdem mandatur, ut censuras contra quoscumque regni Siciliae invasores publicandas curent (num. 228); cum an. 1278 Florentio V comiti Hollandiae specialis destinatur adhortatio, ut solemnem, qua Rudolphus rex I Ecclesiae Romanae possessiones recognovit, declarationem probet (num. 345).

Specialis adhuc fit mentio episcopi Traj., quando Otto II, qui an. 1218 „cum Imperatore cruce signatus mare transivit", [3]) sed an. 1220 certo jam in patriam reverterat [4]), una cum praesulibus Salzburgensi et Herbipolensi deputatur, ut cruce signatos ultra debitum terminum cunctantes excommunicationis sententia percellant (cfr. num. 96). Quae quidem literae jam desiderantur, non vero aliae an. 1219 editae, quibus iidem praesules pro Frederico II Imperatore ac quibuslibet tam rebus quam personis ad eum pertinentibus conservatores deputantur (num. 95). Quamvis nominatim non vocatus, revera tamen Willibrandus episcopus Traj. an. 1231 occurrit inter principes et praelatos Germaniae,

---

1) De quo v. Kluit l. l. *Excursus VII* (de nexu feudali inter Flandriam et Zeelandiam) I. 287 seq.
2) Cfr. num. 80 et Kluit l. l. 487.
3) J. de Beka *Chronica* 68.
4) Moll *Kerkgeschiedenis* II. I. 15 et 108.

quibus commissum erat, ut a Frederico Imperatore cautionem de pace cum Gregorio papa IX rite servanda reciperent (num. 125).

Cum Fredericus Imperator II, ob multiplicem erga Ecclesiam perfidiam ac contumacem erga Deum et homines malitiam, an. 1245 in concilio Lugdunensi I [1]) solemniter iterum excommunicatus suaque dignitate destitutus esset, nonnulli praelati Trajectenses in sectandis ejus partibus perseverasse videntur: scilicet Gobertus de Perewez praepositus, Henricus de Breda decanus Majoris ecclesiae Trajectensis necnon praepositus Daventriensis, Engelbertus vel Gilbertus dictus de Anestelle (Amstel) decanus b. Mariae Trajectensis; quos hanc ob causam Conradus de Hochstaden archiepiscopus Coloniensis auctoritate papali excommunicavit beneficiisque privavit (numm. 181—183).

Tales autem Frederici Imperio jam dejecti sectatores in partibus nostris tam inter clericos quam inter laïcos fuisse quam rarissimos tuto asserere licet. Nam Otto III tunc episcopus Trajectensis, qui fratre suo Florentio IV Hollandiae comite vita functo Wilhelmum domicellum in tutelam susceperat, eidem Wilhelmo nepoti suo, mense Octobri anni 1247 Romanorum regi electo, assiduo favisse regioque favore vicissim gavisus fuisse legitur [2]). Hieme an. 1248 Wilhelmum regem, Colonia Trajectum decedentem „Otto Pontifex ejus patruus cum praelatis et civibus gloriose suscepit"; civitatis suae atque ecclesiae privilegiorum confirmationem regiam obtinuit; in vindicandis suis juribus adjutorem praepotentem Wilhelmum habuit [3]). Laicos pariter in dioecesi Trajectensi Wilhelmo novo Romanorum regi passim bene voluisse, diplomata ostendunt (numm. 195, 197, 198, 206, 223, 264).

Quorum diplomatum numerus longe major, utpote Registris archivi Vaticani item depromptus, jam a Meerman [4]) editus est, sed in Bullario nostro nonnihil augetur (numm. 201, 211, 217, 218, 264).

Intima Wilhelmi II comitis, Romanorum regis, cum Summis Pontificibus relatio.

Wilhelmo rege Romanorum artiore cum Pontificatu Romano connexione nullus unquam praesulum vel principum nostrorum fruitus est. Eum etenim, Innocentio papa IV suadente atque Petro de Caputio legato apostolico vehementer urgente, regem fuisse electum auctores [5]) communiter tradunt. Favoribusque ac privilegiis eum a sede apostolica ita cumulatum fuisse ac si Pontifici Romano et Ecclesiae una esset cum Wilhelmo rege eademque causa, documenta nostra luculenter ostendunt: in favorem ejus votum Frisonum cruce signatorum commutatur (numm. 195, 197, 206); Crucis expeditio praedicanda committitur (num. 211); decimarum fructus expendendi Ottoni II Gelriae comiti conceduntur (num. 223); beneficiorum ecclesiasticorum fructus Henrico de Vianden episcopo Trajectensi per unum annum impertiuntur (num. 252); decimarum proventus in partibus Frisiae per quinquennium percipiendi comiti Hollandiae indulgentur (num. 264). Immo etiam consiliarium ac patronum Summus Pontifex se praebuit, ut Wilhelmus rex inter optimates Germaniae dignam repe-

1) V. Hefele *Conciliengeschichte* (2e Aufl.) V. 1124 seq.
2) Cfr. J. de Beka *Chronica* 78—80; W. Heda *Historia* 206.
3) Cfr. Beka l. l. 80.
4) *Geschiedenis van Graaf Willem van Holland Roomsch Koning* (1797) I—IV. Codex diplom. Tom. V; de hoc argumento cfr. etiam Theodor Hasse *König Wilhelm v. Holland* (Strassburg 1885) et Otto v. Hintze *das Königreich von Wilhelm v. Holland* in *Historische Studien* (1885) Heft 15.
5) Laudantur apud Meerman I. 173.

riret conjugem: primum scilicet Gertrudim ducissam Austriae (num. 203), cui an. 1251 Florentium de Hollandia maritum commendavit (num. 229), deinde Elisabetham Ottonis ducis Brunsvigensis filiam, quae Hugone legato apostolico instigante an. 1252 nuptias cum Wilhelmo reapse celebravit [1]).

Regii sui clientis gratia Pontificem Romanum complura eaque varia privilegia insuper concessisse ex diplomatis nostris patet. Nimirum Wilhelmi regis capellanis et clericis familiaribus dispensatio super personali in beneficiis residentia erogatur (num. 196); ad ejus obsequium super impedimentis matrimonialibus dispensatur (numm. 205, 246, 253); ad ejus instantiam clericis concubinariis Trajectensis dioeceseos, qui se correxerint, censurae relaxantur (num. 210); beneficia ecclesiastica item conferuntur (numm. 214, 217, 218, 248, 249, 259); abbati Egmundano utendi ornamentis pontificalibus venia datur (num. 232); monasterio S. Servatii Traj. indulgentia conceditur et bona confirmantur (numm. 233, 234); monasterio Campi Regis privilegia approbantur sedisque apostolicae asseritur protectio (numm. 239, 240, 242).

Intima haec inter Wilhelmum tam ut Romanorum regem quam ut Hollandiae comitem atque Summum Pontificem relatio aliqua ex parte turbata fuisse nusquam legitur. Qua artiore, ut jam diximus, profecto ne unus quidem praesulum Trajectensium vel principum nostrorum per totum hoc aevum fruitus est.

Quod interim eo magis mirandum videtur, per octo ferme annos, quibus Wilhelmus Imperio praefuit [2]) atque cum sede apostolica assidua usus est concordia, nonnisi duo diplomata pontificia ad ipsos episcopos Trajectenses emanasse reperimus: unum Henrico de Vianden facultatem committens, nonnullas moniales et conversas monasterii de Rijnsburg excommunicatione solvendi (num. 226), alterum eidem praesuli indulgens, ut fructus beneficiorum ecclesiasticorum per unum annum percipere valeat (num. 252). Insuper hoc intervallo nullas omnino vel ad Ottonem III vel ad Gozewinum de Amstel praesules destinatas literas papales Bullarium nostrum exhibet. Quodsi operae Wilhelmi regis, qui auctoritatem episcopi Trajectensis forte deminuerit, tribuere velis, male conjicere mihi videris. Etenim Wilhelmus rex ut cum Ottone III ita cum hujus successoribus: Gozewino de Amstel et Henrico de Vianden, amicitiam continuam coluit [3]). Praeterea eodem circiter tempore per complures annos, tam Wilhelmo nondum rege electo quam ipso jam demortuo, paucissima quae episcopo Trajectensi Summi Pontifices inscripserunt diplomata occurrunt. Quanam autem ratione explicandum hoc sit, vix perspicio.

Nunc saeculum XIV quod ad reipublicae negotia aggrediamur.

Summi Pontifices saec. XIV civilibus patriae nostrae rebus intervenientes.

Jamvero civilibus, quae ipsas nostras partes respiciunt, rebus non semel Pontifices Romani saec. XIV auctoritatem suam interposuerunt: Clemens papa V an. 1312 compositioni, qua capitulum S. Petri Traj. duobus annis ante nonnullas terras cum Wilhelmo comite III permutaverat, apostolicum adjecit munimen (num. 515). Johannes papa XXII an. 1320 confirmavit pactum, quo incolae Westfrisiae se eidem comiti subjectum iri nuper professi erant (num.

1) Meerman II. 49—51.
2) Electus est V Non. Octobris 1247, obiit V Kl. Febr. 1256.
3) Cfr. numm. 234 et 252 necnon J. de Beka *Chronica* 83.

588). Idem Summus Pontifex a Reynaldo II comite Gelriae rogatus est, ut terram Sallandiae et Twenthiae dicto comiti sub certis oneribus tradendam probare dignaretur. Erat tunc episcopus Trajectensis Johannes de Diest, qui, ut ait Beka, „dèbiliter regens episcopatum .... castrum Vollenho cum terra Transisulana Geldriae comiti oppignoravit" [1]). Quale igitur Johannes de Bronchorst S. Salvatoris praepositus, quem, ut hac de causa simpliciter se informaret, dominus Papa deputaverat (num. 845), dederit consilium facile conjicitur, etiamsi informatio hujusmodi ac rescriptum papale nunc desiderantur. Nec mirum, huic Reynaldi comitis voto Summum Pontificem indulsisse. Etenim Johannes de Diest in gubernando Trajectensi episcopatu Wilhelmo III Hollandiae et Reynaldo II Gelriae comitibus omnino erat obnoxius [2]) aereque alieno gravissimo oppressus. Quapropter cum circa an. 1330 comitatum cum castro de Diepenheim emere intenderet, pretio solvendo nequaquam par erat, nisi prius venditis quibusdam mensae suae episcopalis possessionibus. „Emptio vero ipsius castri facta anno sequenti" [3]), pro qua Johannes praesul 15000 librarum Turonensium parvorum se exposuisse asserit (num. 883). Inde ut per suam dioecesim subsidium charitativum petere et recipere atque ut ad relevanda debita summam 5000 florenorum auri mutuari sibi liceret, supplicanti episcopo Summus Pontifex facultatem concessit (numm. 883—884).

Muneri suo non tam impar apparet Johannes de Diest an. 1334, quando una cum archiepiscopo Coloniensi nonnullisque principibus, inter quos comites Gelriae et Hollandiae, intercessor deputatur, qui discordiae inter ducem Brabantiae atque comitem Flandriae de venditione villae Machliniensis componendae operam dent (numm. 897—899). Paullo postea eidem Johanni et Guillielmo Cameracensi episcopis iterum mandavit dominus Papa, ut hac in causa intervenirent (num. 901).

Plura autem quam ad ipsos episcopos vel praelatos Trajectenses exstant, quae civilia patriae nostrae negotia respiciunt, ad comites Hollandiae et Gelriae destinata diplomata papalia. Hollandiae porro comites saec. XIV insuper Hannoniae comitatui praeerant, quare variis rebus politicis ab Hollandia et Zelandia plus minusve alienis saepius implicati in Bullario nostro leguntur.

Nimirum Wilhelmus IV Hollandiae comes an. 1339—1341 acerrimam contra episcopum et ecclesiam Cameracenses sustinuit litem; in qua Benedictus papa XII eundem comitem, ut injurias illatas debita satisfactione restitueret, primum serio admonuit (num. 969); deinde reconciliatorem se commendavit, sed initio frustra paci denuo componendae studuit (num. 976); appellationem, quam contra censuras sibi inflictas Wilhelmus comes interjecerat, ut frivolam rejecit (num. 979); excommunicationis et interdicti sententias, quibus idem comes ad debitam restitutionem compelleretur, decrevit (num. 980); concordiam denique inter utramque partem stabilivit et injuncta poenitentia salutari Wilhelmum comitem censuris ecclesiasticis absolvit (numm. 984—985).

Inde vero ad mortem usque Wilhelmum IV comitem optime cum sede apostolica consensisse documenta nostra testantur. Ei varia donantur privilegia

1) *Chronica* 115; cfr. van Spaen *Historie van Gelderland* I. 464 seq.
2) Cfr. P. J. Blok *Geschiedenis van het Nederl. volk* II. 162—163.
3) Buchelius ad Bekam 117.

(numm. 986, 987, 988, 1054, 1131); ad terras ejus dominio subjectas quibusdam nunciis apostolicis extenditur legationis officium (num. 1050); aestate media an. 1343 ejus nuncii, qui quaedam explicent negotia et „quod nihil ecclesie Romane displicibile attemptaret scienter", excusando asseverent, ad curiam papalem bis destinantur (numm. 1087, 1093); immo etiam ut Sepulcrum dominicum aliaque Terrae Sanctae oratoria devote visitare sibi liceat, Summi Pontificis veniam et humiliter supplicat et, quamvis hujusmodi peregrinatio ut minime tunc oportuna Papae displiceat, illico obtinet (numm. 1092, 1093); mense Julio an. 1344 idem Wilhelmus comes, cum presbyterum quendam interfici jussisset, excommunicationis et homicidii reatum incurrit, a quibus absolutionem submisse deprecatus et secundum mandatum papale assecutus est, sed nonnisi acerbissima, quam Canones ecclesiastici exigunt, poenitentia eaque publice prius peracta (num. 1123). Tantopere sedi apostolicae ulterioribus vitae annis obsecutus est Wilhelmus IV comes, dum tamen ejus sororis maritus Ludovicus de Bavaria cum auctoritate papali acerrime dimicaret. Mirum proinde non apparet, ut ab auctoribus traditur, Electores Imperii, qui contra Ludovicum Bavarum a Romano starent Pontifice, eundem Wilhelmum an. 1345 voluisse „exaltare in Imperatorem" [1]). Idipsum Clementis papae VI non obscure indicant literae consolatoriae, quae, Wilhelmo misere in pugna apud Stauriam perempto, ad ejus matrem, uxorem, praesules territoriales destinatae leguntur (numm. 1155—1157). Quibus dominus Papa testatur, paterno more se compati „de subtractione tam cari nobisque dilecti filii, ad cujus status et honoris exaltationem, si non obstitisset divina vocatio, aspirabamus intense." Summum quoque Pontificem valde favisse proposito, ut Wilhelmus princeps ambitiosus, ad bella suscipienda alacerrimus, auctoritati papali jam obsequentissimus, Imperii fastigium ascenderet, ex verbis supra laudatis clare intelligitur.

Etiam Alberto de Bavaria comitatus Hannoniae et Hollandiae gubernante, Pontifices Romani publicis harum partium negotiis utcumque alieni non erant. Urbanus papa V an. 1364 Petrum episcopum Cameracensem suum deputavit nuncium, qui paci inter supradictum ducem et quosdam nobiles componendae operam daret. Quo autem eventu hoc factum fuerit, documenta nostra dubium relinquunt (numm. 1786, 1787, 1816, 1818, 1819—1821). Cum idem dux in comitatu Hannoniae contra libertatem ecclesiasticam plurima usurpasset et attentasset, ut injuriis episcopo ecclesiaeque Cameracensibus inferendis prorsus abstineret, Gregorius papa XI an. 1372 serio eum admonuit (num. 2077). Quam monitionem anno sequenti, iisdem gravaminibus non cessantibus, Summus Pontifex iteravit (num. 2157).

Civilibus comitatus Gelriae negotiis Johannes papa XXII semel intervenit, scilicet cum Reynaldus comes II cum Henrico de Virneburch archiepiscopo Coloniensi dissensionis haberet materiam. Sed ne paululum quidem paci conduxisse videntur literae, quibus ineunte an. 1326 Reynaldum comitem, ut a quibusvis offensionibus archiepiscopo et ecclesiae injungendis penitus desisteret, adhortatus est dominus Papa (num. 671). Etenim mense Martio an. 1328 nonnullis praelatis committitur, ut concordiae inter eosdem aemulos instaurandae opes suas efficaciter adhibeant; Henricus autem archiepiscopus,

---

1) Cfr. J. a Leydis *Chronic. Belgic.* Lib. XXVIII, c. 11, p. 255.

ut in hac concordia stabilienda ipse obsequiosum se exhibeat, graviter admonetur (numm. 784—785). Paullo post Reynaldus comes propter suam erga Romanam Ecclesiam fidem ac devotionem valde commendatur (num. 786) eumque constanter per aliquot abhinc annos ita sensisse documenta nostra, quibus papalis affirmatur benevolentia variique favores conceduntur, luculenter satis ostendunt (numm. 791, 800, 836, 837, 846 etc.). Immoderatam fuisse necesse est sane Reynaldi comitis petitionem, cui Johannes papa XXII se decenter annuere non posse respondit (num. 801). Quaenam fuerint haec a Reynaldo postulata privilegia, quae „nunquam alicui nisi regi dumtaxat concedere" Romani Pontifices consueverint, responsum papale minime quidem explicat. Sed ex hoc diplomate ut de avida Reynaldi comitis, quem an. 1339 Ludovicus de Bavaria ducem creavit, ambitione, ita de intima ipsius cum Summo Pontifice relatione, tunc saltem culta, manifeste docemur.

Principum nostrorum connubia et dispensationes desuper erogatae.

Quandoquidem inter principum connubia et belli pacisque consilia arctissima tunc fuit conjunctio, de dispensationibus matrimonialibus, quas comitibus tum Hollandiae cum Gelriae eorumque consanguineis Summi Pontifices indulserunt, nonnulla hic addere non ultra propositum videtur.

Saec. XIII duo solum sunt obvii casus, in quibus dispensatio hujusmodi et petita et erogata reperitur: una scilicet pro Reynaldo comite I Gelriae et Margareta nata Guidonis Flandriae (numm. 361 et 409), altera pro Isabella nata Reynaldi comitis supradicti et Godefrido de Brabantia, domino de Aarschot etc. (num. 436). Multo tamen plures ab an. 1300—1378 occurrunt; quos ordine chronologico jam enumerare lubet.

An. 1302 pro Humfrido comite Herfordensi et Elisabeth filia Eduardi I regis Angliae, relicta Johannis I comitis Hollandiae (num. 456).

An. 1311 pro Reynaldo postea comite II Gelriae et Sophia nata Florentii Berthout de Machlinia (num. 514), qui anno 1319 matrimonio conjuncti occurrunt [1]).

An. 1312 pro Wolfardo Vandervere milite et Aleydi sorore Wilhelmi III comitis Hollandiae (num. 516).

An. 1317 pro Wilhelmo nato comitis Lossensis et Isabella nata Reynaldi I comitis Gelriae (num. 551), quam ipsam an. 1314 Frederico Austriaco ejus postea nominis Imperatori III sponsam nonnulli asserunt. Haec autem dispensatio sicut et illa sub num. 436 tradita nunquam effectum habuit; nam an. 1327—1328 eadem Isabella adhuc filia virgo et an. 1333 monialis in monasterio S. Clarae Coloniensi fuisse ibique an. 1352 decessisse legitur [2]).

An. 1321 pro Margareta filia Wilhelmi III comitis Hollandiae et pro nobili quodam consanguineo aut affini (num. 589). Quae filia magno post inclaruit nomine, utpote ab an. 1324 [3]) uxor Ludovici de Bavaria atque fratre Wilhelmo IV comite vita functo Hollandiae etc. comitissa.

Eodem anno pro Wilhelmo postea comite IV et quadam filia nobili consanguinea aut affini (num. 595). Ejus pater Wilhelmus comes III cum Johanne duce III Brabantiae mense Octobri an. 1322 de sponsalibus inter liberos suos

---

1) Van Spaen *Historie van Gelderland* I. 391.
2) Cfr. numm. 733, 744, 887; van Spaen *Inleiding* II. 245 et 251.
3) Die 26 Februarii; cfr. Wilhelmus Procurator apud A. Matthaeum *Analecta* II. 620.

contrahendis pactum inierunt. Sed consanguinitatis in tertio gradu obstitit impedimentum, super quo:

An. 1323 cum eodem Wilhelmo et Johanna nata praedicti ducis dispensatum est (num. 625); qui „circa Pontia(ni) festum" an. 1331 revera nuptias celebrarunt [1]).

An. 1327 pro Eduardo rege III Angliae et Philippa [2]) Wilhelmi III comitis filia (num. 725); qui die 13 Decembris ejusdem anni matrimonium inierunt [3]).

An. 1328 pro Margareta vel Mathildi vel Isabella Reynaldi II comitis Gelrensis filiabus cum quodam nobili consanguineo aut affini (num. 759); quarum prima Gerardo primogenito Wilhelmi comitis Juliacensis an. 1333 sponsa, sed ante nuptias celebratas mortua est, secunda Godefrido Theoderici de Heinsberg filio circa an. 1338 nupta, tertia denique abbatissa in 's Gravendaal fuisse traditur [4]).

An. 1347 pro Reynaldo III duce Gelriae et Maria nata Johannis III ducis Brabantiae (num. 1220); inter quos Kal. Juliis proxime sequentibus nuptiae celebratae sunt [5]).

Plerumque tales cum principibus super impedimentis matrimonialibus dispensationes reipublicae causa quin peterentur et concederentur, dubitari vix potest. Quod in supplica hoc fere modo exprimi solebat, v. gr. num. 361: „ad sedandas graves guerras et periculosas discordias, inter barones et nobiles ac magnates illarum partium .... hactenus suscitatas, cupiunt matrimonialiter copulari, cum alias nequeat super hiis congruum remedium tam de facili adhiberi." Hujusmodi autem dispensationis causa minime a jure canonico aliena est censenda. Nam in causis, quae ut valeat dispensatio requiruntur, jurisperiti utique ducunt: *bonum pacis*. „Apta sunt aliquando matrimonia," ut cl. noster canonista docet, „quibus inimicitiae tollantur, praeveniantur, vel concordia recens stabiliatur. Quae circumstantiae, si impedimentum nuptiis obstet, motivum praebent petendi dispensationem. Notus est versiculus: Pax ut servetur, moderamen juris habetur." [6])

Porro quantum rationes civiles in talibus dispensationibus valerent, luce clarius ostendit num. 409. Nam Reynaldus I Gelriae comes ejusque uxor Margareta, qui propter causam supra relatam an. 1286 super consanguinitate in tertio gradu dispensationem papalem obtinuerant nuptiasque circa mensem Junium [7]) celebrarant, quinque abhinc annos iterum ad sedem recurrerunt apostolicam, „quia non solum sunt per hoc priores inimicitie non consopite, sed inter nobiles et magnates illarum partium per hoc potius augmentate." Quapropter ad conscientiam metu liberandam petentibus eis dispensatio jam impertita nulloque modo invalida denuo approbata est.

---

1) Ita Wilhelmus Procurator l. l. 712.

2) Pro quibus jam mense Novembri an. 1319 rex Angliae dispensationem rogavit; cfr. v. Mieris *Charterboek* II. 224.

3) Wilhelmus Procurator apud A. Matthaeum *Analecta* II. 669.

4) Cfr. van Spaen *Inleiding* II. 259—261; Nijhoff *Gedenkwaardigheden* II. p. VI.

5) Nijhoff l. l. p. XX.

6) F. P. van de Burgt *Tractatus de dispensationibus matrimonialibus* (Sylvae Ducis (1855) p. 37.

7) Van Spaen *Historie* I. 296.

Idipsum, quod de solita dispensationis matrimonialis causa supra dixi, confirmatum videbis num. 589, ubi in dispensatione pro Margareta Wilhelmi III comitis nata solus excipitur Eduardi II regis Angliae filius. Eorundem „matrimonialis conjunctio ad stabilimentum pacis" jam mense Decembri an. 1318 in votis fuit et jamtunc est dispensatio petita atque an. 1320 innovata [1]). Ipsi tamen Eduardo ut Philippa altera ejusdem comitis filia nuberet, an. 1327 indultum profecto est.

Notatione haud indigna videntur, quibus haec dispensatio adjuncta fuit, tempora. An. 1327 Wilhelmus comes III, a Ludovico de Bavaria, ut cum pompa militari Lombardiam veniret triumphumque imperialem coram videret, etiam atque etiam invitatus [2]), iter Romam paravit. Quod procul dubio adhuc mense Julio consilium ei erat [3]). Interim summis votis expetebat filiae suae Philippae cum Eduardo rege III Angliae connubium, super quo dispensationem papalem nuper erat deprecatus. Rccusavit vero Summus Pontifex, suis d.d. 14 Julii literis referens: „quibusdam presentialiter occurrentibus non sine magne discussionis examine in considerationem deductis", hujusmodi dispensationem S. Matri Ecclesiae non expedire. Huic petitioni quominus dominus Papa consentiret, nihil aliud obstitisse opinor quam Wilhelmi comitis ad partes Ludovici regis notorium tunc studium. Accepta autem Pontificis recusatione, consilium Italiam petendi mutasse videtur Wilhelmus, Adami episcopi Herfordensis, quem dominus Papa nuncium deputaverat, monitioni probabiliter obsecutus. Supplicationi denuo interim institit Eduardus Angliae rex, suis ad Johannem papam XXII d.d. 15 Augusti literis [4]) asserens, se Wilhelmum comitem serio adhortatum fuisse, „quod apostolicis beneplacitis ut filius obedientiae se studeat in omnibus conformare." Inde post aliquot hebdomades dispensationem magnopere expetitam, sed expresse jam denegatam, Summus Pontifex erogavit (num. 725). Redierant enim in curiam papalem Adam supradictus aliique Wilhelmi comitis nuncii, quibus auditis cognitaque excusatione, cujus literae quoque mentionem fecerunt, Johannes papa XXII de mutato principis consilio certior est factus. Libenter igitur exoptatam impertivit dispensationem et die 3 Septembris proxime sequenti ad Wilhelmum comitem benevolentissime scribit: „excusationem predictam favorabiliter admisimus et te, quem fidelem sacrosancte Romane ecclesie reputamus filium et devotum, habuimus et habemus in hac parte totaliter excusatum. Subsequenter vero dispensationem .... a nobis humiliter et instanter petitam duximus concedendam" (num. 727). Dubitari ergo non potest, quin causa, cur haec dispensatio nunc recusata, mox vero impertita fuerit, ad reipublicae sit referenda rationes.

Idem omnino dicendum videtur de dispensatione, quam an. 1347 obtinuit Reynaldus III Gelriae dux (num. 1220). Vehemens tunc inter se bellum gerebant Philippus VI Franciae et Eduardus III Angliae reges. Reynaldus dux Gelrensis primum quidem stabat a parte avunculi sui Anglici, a quo ad matrimonium cum Elisabeth comitis Juliacensis filia contrahendum mense Majo

1) Literae supplices regis Angliae apud v. Mieris *Charterboek* II. 204 et 246.
2) Literae invitatoriae apud v. Mieris *Charterboek* II. 417, 421, 422; Matthaeus *Analecta* II. 655—662.
3) Cfr. Matthaeus *Analecta* II. 666.
4) Van Mieris *Charterboek* II. 438.

valde sollicitabatur. Mox vero consiliariis suis suadentibus ad partes Philippi regis Franciae nonnihil declinare coepit et secreto Antverpiam iit, ubi cum Maria Johannis III Brabantiae ducis nata sibique jam a pueritia sponsa assignata nuptias solemniter celebraret [1]). Interim pro sponsis Philippus rex mense Junio super diversis impedimentis dispensationem impetravit, vix alia ductus ratione quam ut sibi Reynaldum ducem associaret. Arctissimam proinde inter hoc genus dispensationum et reipublicae negotia conjunctionem denuo obviam habemus.

Denique ut nullus remaneat ambigendi locus, hujusmodi conjunctione deficiente an. 1373 dispensationem matrimonialem, quam pro Anna nata sua et Alberto nato Alberti „ducis Hollandiae" semel atque iterum expetierat Carolus Romanorum Imperator IV, recusatam videmus (num. 2118). In suo benevolo quidem rescripto Gregorius papa XI ita se excusat: „quia inter carissimum in Christo filium nostrum Wenceslaum regem Boemie illustrem filium tuum et dilectam in Christo filiam Annam ipsius ducis natos contractum est matrimonium et etiam consummatum, propter quod inter te et ipsum ducem nulla est dissentio, rancor vel odium nec sperantur verisimiliter exhoriri .... nec vidimus necessitatem vel periculum propter hoc imminere, supplicationem tuam hujusmodi non duximus .... admittendam.

Ultima haec a principibus nostris ante an. 1378 expetita dispensatio matrimonialis una et sola est, cui Pontificem Romanum irrevocabiliter suum denegasse assensum novimus.

Principes nostrates rebus Imperii implicati.

Restat denique, ut in conspectu ponatur modus, quo principes nostri saec. XIV cum rebus civilibus totius Imperii conjuncti in Bullario leguntur.

Quibus implicatum prae caeteris videmus Wilhelmum III comitem Hollandiae, quem cum regibus et principibus sui temporis arctas easque frequentissimas relationes coluisse notum est. Paucis attingere sufficiat, nos legere eum pro liberatione Mathehudis principissae Achayae, quam an. 1322—1323 Robertus Siciliae rex custodiverit, suam interposuisse auctoritatem Summumque Pontificem tam per literas quam per nuncium deprecatum fuisse (numm. 202, 627).

Saepius autem et quidem propius altercationi, inter Johannem papam XXII et Ludovicum IV Imperatorem, quem Bavarum vulgo nuncupant, perdiu agitatae idem comes interfuit. Jam ab initio sectatus est Ludovici partes, qui die 19 Octobris an. 1314 simul cum Frederico Austriaco rex electus, ad Imperium sibi vindicandum acerrimum adversus aemulum suum sustinuit certamen. Etenim mense Martio an. 1315 Ludovicus rex sinceram erga se Wilhelmi comitis devotionem laudibus effert, eidem omnia privilegia hucusque a regibus concessa innovat et confirmat, nec multo post omne jus Imperii remittit aliosque insuper favores impertitur. [2]) Contra, Frederici Austriaci partes statim secutus est Raynaldus comes I Gelriae, quippe qui mense Novembri an. 1314 cum Frederico societatem inierit, filiam suam Isabellam desponsaverit et ab eodem rege an. 1317 Imperii principum adscriptus sit numero. [3]) Usque ad an. 1322

1) Van Spaen *Inleiding* II. 262—267; Nijhoff *Gedenkwaardigheden* II. p. XVII seq.
2) Diplomata apud van Mieris *Charterboek* II. 141, 145, 146.
3) Cfr. supra Introd. p. XXII et van Spaen *Inleiding* II. (94) seq.

incerto eventu dimicarunt aemuli neque alterutri parti Romanus Pontifex aperte se exhibuit fautorem. Modo an. 1317, ne quis vacante Romanorum Imperio se Italiae vicariatui sive aliis imperialibus officiis immiscere auderet, expresse inhibuit censurasque ecclesiasticas, hanc ob causam inflictas, mense Maji an. 1322 nostris quoque in partibus promulgandas mandavit (num. 604). Ludovicus tamen rex, sui aemuli jam victor, an. 1323 cum Johanne papa XXII acriter dissentire coepit atque mense Martio an. sequentis excommunicationis sententia perculsus, mense Julio omnis in Imperium juris expers declaratus est.[1]) Quorum processuum tenores archiepiscopo Coloniensi ejusque suffraganeis, ut per singulas dioeceses promulgarentur, transmissi nostrisque etiam in partibus publicati sunt (numm. 628, 636, 639, 641); sed ne paullulum quidem obstitisse videntur, quominus Wilhelmus Hollandiae comes cum Ludovico Bavaro consentire pergeret. Nam mense Martio an. 1324 hujus favore regio manifeste fruitur[2]), quandoquidem die 26 Februarii proxime praeterito regi mox excommunicationis sententia percellendo filiam suam Margaretam nuptum dederat.[3]) Inter socerum et generum intima inde relatio assidue florebat, quamvis per annos proximos tum archiepiscopum Coloniensem ejusque suffraganeos cum singulatim Johannem de Diest episcopum Traj., ut Ludovicum regem tamquam excommunicatum denunciarent et evitari facerent, identidem Summus Pontifex admonuerit (numm. 654, 692, 714, 715, 716, 720, 721, 741). Porro Henricus de Virneburch, qui usque ad an. 1332 ecclesiae Coloniensi praefuit, omnesque et singuli ejus suffraganei, excepto tantum Ludovico episcopo Mindensi, fideliter adversus Ludovicum Bavarum a Summo Pontifice steterunt.[4]) Quapropter hujusmodi mandata papalia nedum omiserint, tam sedulo executi sunt, ut propter suam in tali negotio diligentiam atque devotionem laudibus commendati legantur (numm. 668, 669). Nec mirum, in hisce Summi Pontificis diplomatis singulatim occurrere subinde Johannem de Diest episcopum Traj., ad cujus dioecesim pertinebat Wilhelmus comes III, Ludovici regis socer maximaeque auctoritatis sectator.

Diuturnum istud inter Sacerdotium et Imperium dissidium maximopere effervuit an. 1327, cum Ludovicus rex, coronae imperialis cupidus, in Italiam expeditionem faceret ac suam in Johannem Pontificem obstinationem eousque propelleret, ut Nicolao V antipapa creato miserabile in Ecclesia schisma effecerit. Iter aggressus Wilhelmum socerum, ut secum Italiam pergeret, etiam atque etiam invitavit Ludovicus rex. Sed frustra. Etenim Wilhelmo comiti diu quidem et serio in animo fuit Romam ire, sed quod mense Julio sibi adhuc proposuit iter jam mense sequenti penitus omisit, suadentibus praesertim Eduardo Angliae rege et Johanna conjuge. Quapropter dispensationem matrimonialem multis abhinc annis denegatam tandem obtinere meruit.[5])

---

1) Cfr. Wetzer und Welte's *Kirchenlexikon* (2e Aufl. Freiburg 1882) i. v. Ludwig IV der Bayer VIII. 229 seq.

2) Cfr. van Mieris l. l. 335.

3) Cfr. supra Introd. p. XXII; „contra voluntatem tamen conjugis" (i. e. Johannae de Vallesio), ut ait Annalium scriptor laudatus.

4) Cfr. H. Finke *Die Stellung der Westfälischen Bischöfe und Herren im Kampfe Ludw. d. Bayern mit Papst Johann XXII.* Ztschr. für Gesch. und Alterthumsk. Westf. Bd. 48, S. 214 ff.

5) Cfr. supra Introd. p. XXIV.

Cujus indulti papalis occasione data Johannes Apostolicus tam Wilhelmum comitem quam Johannam ejus conjugem, ut in devotione et fidelitate erga Romanam Ecclesiam constanter persisterent necnon ut dispensationi gratiam sedulo referrent, identidem putavit admonendos (numm. 727—728, 738—739). Inde per aliquot saltem annos Wilhelmus comes pacis rationem cum Johanne papa XXII habuisse videtur; ineunte an. 1328 Summi Pontificis literas perbenignas nunciosque secum de negotiis Ecclesiae collocuturos recepit (num. 750). Neque circa hoc tempus quovis modo ejus vel cum Ludovico Bavaro consortium vel cum papali curia discrimen apparet. Similiter dicendum de Raynaldo comite II Gelriae. Hic quidem una cum aliis Inferioris Germaniae principibus, Hollandiae videlicet et de Juliaco comitibus, an. 1327 iter Italicum, „ut Ludovico personaliter subvenirent", intendisse atque parasse fertur.[1]) Sed Wilhelmi comitis instar profectionis consilium mox eum abjecisse autumo. Nam iter eum revera fecisse, etsi nonnulli auctores asseruerunt, jure tamen infitias ire praestat.[2]) Quae opinio firmari utique potest rationibus ex Bullario nostro desumptis. Etenim mense Februario an. 1328 Johannes papa per literas amoris et officii plenas Raynaldo respondet comiti, qui tam per epistolam quam per nuncios proprios se in „fide ac devotione perstetisse hactenus et imposterum velle constanter persistere", praesertim contra Ludovicum de Bavaria ejusque fautores, nuperrime spoponderat (num. 781). Eodem tempore compluribus favoribus et privilegiis comitis Gelrensis tum personam cum familiam Sedes Apostolica cumulat (num. 759 seq.). Paucos post menses Raynaldum comitem semel atque iterum laudibus Summus Pontifex extollit (num. 786, 800, 846, 849).

Pariter Johannem de Diest tunc episcopum Traj. in hac altercatione minime quidem a regiis, sed a papalibus stetisse partibus, ex diplomatis nostris superius memoratis satis jam licuit atque insuper ex num. 857 confirmatur. Non tamen in hujusmodi studio universus Trajectensis dioeceseos clerus praesuli suo tunc congruisse videtur. Nam an. 1328 cum Theoderico abbate Egmundano per literas familiariter egit Margareta imperatrix Romae tum commorata[3]); insuper Annalium scriptor Wilhelmus Procurator, qui Egmundanus tunc monachus, suis in chronicis Johanni papae, quem Herodi comparare non veretur, valde infensus, Ludovico autem Imperatori propensissimus passim apparet. Sub an. 1324 auctor candide asserit, per censuras in Ludovicum promulgatas gentem nostram, videlicet Hollandiae, multum compungi quidem „propter comitis sui filiam, qui dicto regi nuper in conjugem sociatur; sed eadem gens tali cujusdam auctoritate erigitur: Spem et metum examina et cum incerta fuerint omina tibi fave; quum ad quem finem dicta contra regem sententia veniet ignoratur."[4]) Proinde exempla non desunt, viros potentes et nobiles Ludovico per omnia fideles censuras in eum prolatas temere despexisse. Immo etiam ad regiones nostras cum Nicolai antipapae bullis quidam venerunt „clerici,

Episcopi et cleri Traj. studium in causa Ludovici Bavari.

1) Wilhelmus Procurator A. Matthaeus *Analecta* II. 665.
2) Cfr. van Spaen *Historie van Gelderland* II. 457.
3) Epistolae apud Matthaeum *Analecta* II. 691 et 707; van Mieris *Charterboek* II. 450 et 455 J. de Beka *Chronica* 114.
4) Matthaeus l. l. 622, 653 700.

postulantes se illarum auctoritate de beneficiis ecclesiasticis provideri." Sed ab altera parte aperte declarat Wilhelmus Procurator, quod „Johanne superstite auctoritas Nicolai rite despicitur, nisi forte Johannes (papa) in generali concilio reprobetur." Hujusmodi autem studia Ludovico regi magis quam Summo Pontifici dedita quin inter clericos et laïcos apud nos foverint complures dubitandum non videtur.

Anno 1330 Wilhelmus Hollandiae comes cum Johanne papa XXII simultatem habuit, cujus utique fervor paullo post est exstinctus. Adversa jamtunc fortuna Ludovico Bavaro vindicias suas propugnante, paci inter Sacerdotium et Imperium instaurandae nonnulli principes ac reges intervenire conati sunt, idque prae caeteris Wilhelmus comes III et Philippus rex Franciae; qui, uti Wilhelmus Procurator narrat, „cotidie cum Wilhelmo comite studet et discutit, qualiter Baurus ad Johannis papae gratiam pervenire possit." [1]) Comes igitur praedictus die 18 Martii, comitatu pulcherrimo 800 equitum, juncto sibi regis Franciae germano, Parisiis in curiam pontificiam profectus est. Frustra vero, „quoniam sibi omnibusque suis Papae praesentia denegatur." Summus enim Pontifex, de fide proponendae reconciliationis dubitans atque multitudinem gentis armigerae, quam Wilhelmus secum duxerit, suspectam habens, ipsum nec audere nec videre voluit, quapropter pontes trans Rhodanum flumen destrui praeceperat. Hac de causa vehementer iratus Wilhelmus comes in Hollandiam, ubi die 14 Maji advenit, regressus et inde mense sequenti Francofurtum profectus est. Qua in civitate „multis illico diebus" [2]) simul cum Ludovico Bavaro commoratus, regia hujus munificentia variis iisque notabilibus privilegiis die 14 Junii donatur. [3]) Porro tunc a Summo Pontifice tam alieno animo fuisse Wilhelmus comes traditur, ut duos milites ab Avenionensi curia venientes, qui dominum Papam excusarent, nec videre nec audire sua vice voluerit sed verbis comminatoriis et derisoriis repulerit. Quae quidem discordia cum Johanne papa XXII viro nunquam omnino consopita esse videtur, etiamsi liti huic componendae Johanna Wilhelmi comitis uxor jam media aestate an. 1330 operam dederit. Ad tres comitissae epistolas sibi directas Johannes papa benevole quidem respondet, excusationem afferens, quare Wilhelmi mariti praesentiam nuper rejecisset (num. 850). Deinde eidem Johannae comitissae nonnulla conceduntur privilegia (numm. 858, 892). Verumtamen nullum abhinc Johannis papae XXII diploma reperitur, singulatim ad Wilhelmum comitem destinatum, nisi modo num. 899, mense Martio an. 1334 editum, quando Wilhelmus comes una cum compluribus aliis principibus ad studia reconciliatoria incitatur. Conjicere ergo licet, amicam inter Johannem papam atque Wilhelmum comitem necessitudinem nunquam penitus fuisse reparatam. Vim autem odii inter utrumque postea aliquatenus saltem dimissam esse, certiores fimus a Wilhelmo Procuratore [4]), sub an. 1332 narrante: Wilhelmum comitem „Papae permissione" ad Ludovicum Imperatorem, Franconiae tunc degentem, tendere nisum esse, ut pace inter Sacerdotium et Imperium restituta „omnis fidelium populus armiger Christi fieret" ad Terram Sanctam liberandam.

---

1) L. l. 705 seq. Quae huc pertinent J. de Beka *Chronica* 113 erronee ad an. 1327 retulit.
2) A die 3 Junii usque ad 11 Julii; Wilh. Procurator l. l.
3) Cfr. van Mieris *Charterboek* II. 497—499.
4) L. l. 717.

Exeunte an. 1334 Benedictus papa XII tiaram adeptus est, cui mense Majo an. 1342 Clemens VI successit. Uterque Summus Pontifex, quovis pacis restaurandae conamine ad irritum cadente, severas contra Ludovicum Bavarum bullas edidit pristinasque censuras innovavit. Hujusmodi diplomata papalia nostris quoque in partibus divulgata leguntur (numm. 963, 965, 1095, 1150, 1151, 1158, 1163). Denique Clemens papa VI mense Aprili an. 1346 Imperii Electores, ut novum eligerent regem, stimulavit atque ut caeteris principibus et praesulibus, ita Johanni episcopo Trajectensi et Reynaldo comiti III Gelriae sedulum in hoc negotio auxilium praestandum mandavit (numm. 1165, 1166). Paullo post Carolus IV rex electus est, et mense Octobri sequentis anni Ludovicus Bavarus subita morte obiit.

Ludovicus Bavarus ad finem usque legitimus rex apud nos habitus.

Nihilominus in partibus nostris Ludovicum legitimum regem vulgo agnoscere perrexerunt, uti hujus temporis diplomata clare ostendunt. Anno 1337 Wilhelmus comes IV, inclyti sui patris exempla imitatus, cum Eduardo rege III Angliae foedus iniit atque auxilium Ludovico Imperatori in Germania ferendum promisit. [1]) Ad quod literis passim dimissis Hollandiae oppidanos anno sequenti vehementer ipse Ludovicus incitavit. [2]) In permagno isto complurium regum ac principum contra Franciam bello strenuum quoque socium se exhibuit Reynaldus comes Gelriae II, quem proinde Ludovicus Imperator mense Martio an. 1339 ducem creavit. [3]) Quum an. 1340 in territorio Cameracensi acriter dimicaretur, primi in acie erant tum Reynaldus dux cum Wilhelmus comes IV, quibus una cum aliis Imperii magnatibus Ludovicus Bavarus, ut episcopum et dioecesim Cameracenses tamquam rebelles atque Franciae socios bello persequerentur, publicis literis praeceperat. [4]) Quapropter Wilhelmum comitem gravissimis innodatum censuris supra p. XX vidimus. Cum autem an. 1341 post inducias finitas rebellarent Galliae et Angliae reges, hujus certaminis particeps jam non fuisse Reynaldus dux Gelrensis asseritur. [5]) Similiter Wilhelmus comes IV mense Novembri an. 1341 suis cum adversariis pacem confecit (num. 984) et maxima abhinc Sedis Apostolicae benevolentia assidue gavisus est. Ultimis denique vitae suae annis pedetentim a parte Ludovici affinis sui transgressus, Summo Pontifici atque principibus, qui novo regi substituendo institerunt, omnino adhaesisse videtur. [6])

Comitatibus post obitum Wilhelmi IV vacantibus Ludovicus Imperator die 15 Januarii an. 1346 conjugem suam Margaretam infeudavit, quae, cum nemo contradiceret, laetum in dominio suo habuit introitum. Tanto magis quae mense Septembri circa comitatuum privilegia, successionem, gubernationem Ludovicus confirmavit et statuit, imperialem ejus auctoritatem nostris in partibus tunc firmam inconcussamque probant. Tandem die 14 Julii an. 1347 ex imperialis potestatis plenitudine conjugis suae Margaretae de non dividendo comitatus promissum approbat [7]), etiamsi jamtunc anno abhinc Carolus IV rex erat electus. Hoc autem titulo vel praetextu neque Margaretae neque Wilhelmo V dominium partium nostrarum unquam abjudicatum fuisse notum est.

---

1) Cfr. van Mieris *Charterboek* II. 594. 2) Ibidem 613 et J. de Beka 115.
3) Van Spaen *Historie van Gelderland* I. 500 seq., *Inleiding* II. (96); v. Mieris *Charterboek* II. 616.
4) Ibidem 632. 5) Van Spaen *Historie* 524. 6) Cfr. supra Introd. p. XXI.
7) Diplomata apud van Mieris *Charterboek* II. 702, 726 seq. et 740.

Ludovicum ergo Bavarum ad mortem usque et ultra omnium fere consensu legitimum apud nos habitum esse Imperatorem merito affirmare possumus.

Conclusio. Quae proinde ex hac prolixa de reipublicae negotiis excursione summatim colliguntur ita concludenda censeo: episcopi Trajectenses, quotquot ante saec. XIII civilibus rebus implicati leguntur, regi suo vel Imperatori potius quam Romano Pontifici saepius inter se dissentientibus adhaerere, postea vero belli pacisque, quae ad totum Imperium spectaverint, consiliis vulgo se abstinere solebant. Similiter Hollandiae ac Gelriae principes in frequenti inter Sacerdotium et Imperium altercatione plerumque a regia stabant parte, censuras ecclesiasticas, quarum periculo propterea se committerent, vix curantes; sed alterutrius partes sequentes, augendis propriis commodis et honoribus potissimum operam dabant. Quae igitur eo amplius faciliusque recuperanda putaverint, si aliquando tamquam Apostolicae Sedis adversus regem sectatores occurrunt, uti de Wilhelmo II atque IV Hollandiae necnon de Reynaldo II Gelriae comitibus jure merito videtur asserendum.

Denique referri huc etiam possunt nonnulla capita, quae cum civilibus totius Imperii rebus connexione minime carent: v. gr. expeditiones sacrae, decimae impositae, nuncii Apostolici nostras in regiones destinati. Sed de hisce et similibus suo quoque loco infra tractabitur.

Sectio altera.

Aget haec, ut supra Introd. p. X monui, de argumentis, quae rationis *stricte ecclesiasticae* censeri possunt. Quorum utique in nostro Bullario tanta est congeries, ut aptior vix appareat via, quam si materiam in quattuor praecipua capita secernamus. De singulis igitur seorsum disserendo sic insequi lubet:

§ 1. Episcoporum Trajectensium per Romanum Pontificem creatio.

§ 2. Abbatum regularium nominatio et quorundam monasteriorum specialis cum Sede Apostolica nexus.

§ 3. Facultates sacrae, privilegia, dispensationes in nostra dioecesi a Summis Pontificibus erogatae.

§ 4 Beneficiorum ecclesiasticorum collatio et reservatio atque super eis dispensationes papales.

§ 1. Episcoporum Trajectensium per Romanum Pontificem creatio.

Jus eligendi episcopum. Secundum antiquissimos Ecclesiae canones eligenti clero ac populo competere solebat episcoporum designatio. Attamen ut in aliis Germaniae regionibus ita in nostra quoque dioecesi jam a saeculo IX reges et imperatores fere omnes et singulos, paucissimis tantum exceptis, praesules Trajectenses nominarunt sive investierunt, donec a° 1122 initum fuit Concordatum Wormatiense.[1]) In hoc Sacerdotium atque Imperium tunc convenerunt, ut in Germania episcoporum electio canonica et libera deinceps foret, neve ulli praesuli neo-electo Imperator vel rex quid nisi regalia conferre praesumeret; quoties autem partes

1) Cfr. supra Introd. p. XIII; Lud. Thomassinus *Vetus et nova Ecclesiae disciplina* (1728) II. 415 seq.; Moll *Kerkgeschiedenis* I. 297 seq., II. I. 83.

eligentes inter se altercari contingeret, ad regem utique pertineret, auctoritate sua, consultis interim episcopis vicinis, electionis negotium dijudicare.

Animadvertendum autem, post Concordatum Wormatiense jus eligendi episcopi tum populo cum universo clero pedetentim fuisse abjudicatum, ita ut exeunte saeculo XII in omnibus fere Germaniae dioecesibus nonnisi ecclesiarum cathedralium capitulis inhaerere censeretur. [1]) Jamvero per integrum saeculum et dimidium fere assidue liberam fuisse reperimus episcoporum Trajectensium electionem, in qua jus suffragii, saltem circa an. 1200 [2]), solis quinque ecclesiarum collegialium capitulis iisque tamquam in unum corpus coadunatis competere solebat. At saeculo XIII Summi Pontifices ex Apostolicae potestatis plenitudine hujusmodi electionibus ultro se immiscere coeperunt atque modo hac, modo illa ratione adducti propria sua auctoritate episcopos nominarunt. Sic Monasteriensium episcoporum electioni saec. XIII quater quidem intervenisse Sedes Apostolica asseritur. [3]) Cujus rei specimen praebet Bullarii nostri num. 332, ubi Everhardum de Diest praepositum Daventriensem an. 1275 ecclesiae Monasteriensi a Gregorio papa X episcopum praefici legimus. Similiter an. 1301 Adulphum de Waldeck praepositum Trajectensem auctoritate sua Bonifacius papa VIII creavit episcopum Leodiensem (num. 441).

Pontifices Romani episcopos nominantes.

Idipsum an. 1291 evenit in dioecesi nostra Trajectensi. Tunc enim Johannes de Nassau electus sponte sua, vel potius adversa fortuna suadente, sedem resignavit, ejusque resignatione accepta nec ulla interim nova electione celebrata, Nicolaus papa IV capellanum suum Johannem de Syrick substituit episcopum Trajectensem (num. 385). Qui praesul an. 1296 ad ecclesiam Tullensem transivit. Sedique Trajectensi tunc vacanti Bonifacius papa VIII Wilhelmum Bertholdi, in Romana curia causarum auditorem [4]), illico praefecit (numm. 416, 418). Sed ita agendo novum aliquid nostrisque in partibus nunquam auditum Romanos Pontifices attentasse nemo affirmet. Nam si ab ovo incipere licet, jam an. 695 S. Willebrordum primum episcopum Ultrajectensem et Frisonum archiepiscopum a Sergio papa I creatum fuisse novimus. [5]) Deinde, si posterioris aevi historiam inquirimus, an. 1197 causam episcopi Trajectensis praeficiendi a Summo Pontifice decretam esse reperimus. Sedem tunc sibi invicem aemulati sunt Theodericus de Hollandia et Arnoldus de Isenburg, utroque se legitime a capitulis electum jactante. Theoderico manifeste favebant ejus frater Hollandiae comes et Henricus Imperator VI. Nihilo secius ad arbitrium Summi Pontificis petendum Romam aemuli se contulerunt. Coelestinus igitur papa III auctoritate sua quaestionem solvit: sedem Trajectensem primum commisit Arnoldo de Isenburg eoque paullo post in Urbe demortuo, Theodericum de Hollandia episcopum Trajectensem creavit. [6])

Ex eadem Apostolicae potestatis plenitudine Pontifices Romani saec. XIV et postea electioni episcoporum Trajectensium saepius intervenerunt. Hujusmodi casus, qui extra Bullarii limites non cadunt, paucis illustremus.

Item saec. XIV.

An. 1322 quinque capitula „unanimi voto" [7]) Johannem de Bronkhorst

---

1) G. von Below *Die Entstehung des ausschliesslichen Wahlrechts der Domkapittel* (Historische Studien XI. Leipzig 1883). 2) Cfr. von Below 43.

3) H. Finke *Das Papstthum und Westfalen* 73. 4) Beka *Chronica* 101.

5) Bollandus *Acta Sanctorum* I. p. XLVI.

6) Moll *Kerkgeschiedenis* II. I. 103. 7) Beka *Chronica* 113

episcopum elegerunt, sed tertia die post obitum Jacobi de Outshoorn praedecessoris Johannes papa XXII sedem Trajectensem suae dispositioni reservaverat. Proinde electionem jam celebratam vix attendens, Summus Pontifex nominavit Johannem de Diest (num. 610).

Idem fere contigit an. 1341. Die 1 Julii, post obitum Johannis de Diest vix elapso mense, Benedictus pape XII provisionem ecclesiae Trajectensis ea vice sibi reservatam esse capitulo nunciavit (num. 974). Interim quinque capitula de jure suffragii ex pristina aemulatione inter se altercata sunt, ita ut in concordia episcopum eligere nequiverint. Sed quos tum haec cum illa pars elegerat, Johannem scilicet de Bronkhorst et Johannem de Arkel, simul a Sede Apostolica postularunt. Ita negotium propositum est coram Benedicto papa XII, qui reservationem praeviam attendens utramque postulationem irritam declaravit suumque capellanum Nicolaum de Caputio ecclesiae Trajectensi praefecit (num. 977).

Post annum vero idem Nicolaus sponte resignavit, atque hanc resignationem dominus Papa suis manibus ipse admisit. [1]) Porro ab exeunte saec. XIII Romani Pontifices quaelibet beneficia ecclesiastica, apud curiam papalem vacantia, cathedrales etiam ecclesias, sibi reservare coeperunt. [2]) Quae igitur in duobus prioribus casibus intervenit specialis ecclesiae Trajectensis reservatio, minime nunc accidit. Aperte in bulla nominationis Summus Pontifex declarat, providere se velle „ecclesiae vestrae, de qua idem predecessor, dum vixit, minime ordinavit." [3]) Sed generalem juris canonici Constitutionem applicare satis fuit, qua fretus Clemens papa VI sedem Trajectensem, utpote apud curiam vacantem ideoque Sedi Apostolicae reservatam, Johanni de Arkel conferre legitime valeret (cfr. num. 1046).

An. 1364 Johannes de Virneburch episcopus Monasteriensis translatus est ad sedem Trajectensem, tunc vacantem eo quod Johannes de Arkel ecclesiae Leodiensi nuperrime erat praefectus (numm. 1778—1779). Hac autem vice episcopi nominatio ad dominum Papam gemino titulo pertinuit. Etenim inter causas, cur „apud curiam vacare" ideoque Sedi Apostolicae reservanda beneficia ecclesiastica generatim censerentur, in Constitutionibus supra laudatis memoratur etiam „translatio." Sed insuper, uti bulla nominationis declarat, jam „diu ante translationem hujusmodi provisiones omnes omnium ecclesiarum cathedralium ex eo tempore in posterum vacaturarum per translationes," [4]) Urbanus papa V specialiter sibi reservaverat.

An. 1371 Johannes de Virneburch vita functus est. Mox acerrima fuit inter ecclesiae Majoris et reliqua quattuor capitula discordia tum de vicario capitulari cum de successore episcopo eligendo. Capitulum S. Martini seorsum Daventriae congregatum suum elegit praepositum Suederum Uterlo, reliqua vero capitula in domo capitulari considentia postularunt Arnoldum de Hoorn canonicum Coloniensem. [5]) Frustra tamen utraque factio dedit operam. Nam Gregorius papa XI jam ante obitum Johannis de Virneburch ecclesiam Trajectensem suae dispositioni hac vice reservaverat. Proinde, quasi suffragia a

1) Matthaeus *Analecta* V. 350.
2) Cfr. infra § 4 De beneficiis A, et G. Philipps *Kirchenrecht* V. I. 398 seq.
3) Matthaeus l.l. 350.
4) Matthaeus l.l. 369.
5) Mattheus l.l. 373 seq.

capitulis discorditer prolata minime respiceret, motu proprio Arnoldum de Hoorn episcopum praefecit (num. 2012).

Caeteri episcopi Trajectenses, quos ab an. 1301—1378 non a Romano Pontifice nominatos, sed ab ipsis capitulis canonice electos novimus, sunt Guido de Hannonia, Fredericus de Syrick, Jacobus de Outshoorn. Quapropter tamen horum electionem omnino liberam fuisse secundum canonicas sanctiones nemo putet. Enimvero tam Guidonem de Hannonia quam Fredericum de Syrick, apud canonicos Trajectenses sollicitante, instigante nec etiam minis parcente Hollandiae comite tunc opulentissimo, electos fuisse constat. [1]) Porro quod ad Jacobum de Outshoorn attinet, hujus quidem electionem impedire totis viribus conatus est Wilhelmus Hollandiae comes III. Quo conamine in irritum cadente, Jacobus de Outshoorne, qui die 27 Julii an. 1322 electus fuerat, mense Septembri proximo repente decessit, „non sine aperta suspicione veneni, quod per adversarios clam datum volunt, ubi illius promotionem ratione aut armis impedire nequiverant." [2]) Cui ergo videbitur, liberae episcoporum Trajectensium electioni, a quinque capitulis procurandae, tantopere derogasse Romanos Pontifices, eo quod saec. XIV antistites nostros suprema sua auctoritate subinde nominaverint?

Episcopi electionem, quantumvis canonice celebratam, confirmari antiquitus necesse erat per metropolitam, sed hujusmodi confirmatio postea, praecipue tempore Avenionensi, per ipsum dominum Papam fieri solebat. [3]) Ita in Bullario nostro archiepiscopus Coloniensis legitur confirmasse electionem Johannis de Nassau (num. 376) atque Jacobi de Outshoorn (num. 610). Qui proinde inter legitimos episcopos Trajectenses recensendi sunt, etiamsi nulla unquam Sedis Apostolicae subsecuta fuit approbatio. Confirmavit ipse Romanus Pontifex electionem Frederici de Syrick, quippe quae celebrata non fuerit cum omnimoda canonicorum unanimitate (num. 552). Jus confirmandi episcopum neo-electum.

Notatu hic indigna minime videtur Constitutio Bonifacii papae VIII, qua praecepit, ut „episcopi et alii praelati superiores .... qui apud dictam sedem promoventur aut confirmationis, consecrationis vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis ecclesias et monasteria absque dictae sedis literis hujusmodi eorum promotionem, confirmationem, consecrationem seu benedictionem continentibus accedere vel bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere" non valerent sub poena suspensionis a beneficio incurrenda. [4]) Hoc fere modo Nicolaus papa IV an. 1291 speciales ad Johannem de Syrick nuper nominatum destinavit literas, quibus promotionis et consecrationis jam peractarum expressa fit mentio (num. 391). Ita quoque Bonifacius papa VIII brevi post bullam nominationis editam seorsum scripsit Wilhelmo Bertholdi tamquam episcopo consecrato (num. 419). Similiter Johannes papa XXII quibus electionem Frederici de Syrick confirmat literis consecrationem jam peractam rite commemorat (num. 552), atque ad Johannem de Diest, qui usque ad an. 1324

1) Beka *Chronica* 105 et 111; Matthaeus l.l. 343.

2) Ita W. Heda *Historia* 239.

3) Cfr. Thomassinus *Vetus et nova Ecclesiae disciplina II.* 440 seq.; P. Hinschius *System des katholischen Kirchenrechts* II. 1 seq.

4) *Corpus jur. can.* Extrav. comm. Lib. I. Tit. III. cap. 1; F. Kober *Die Suspension der Kirchendiener* (Tübingen 1862) 346.

semper audit electus, octavo post nominationem die specialem direxit epistolam, qua episcopalis promotionis expressa fit mentio (num. 611).

Servitia a novis episcopis in curia solvenda.

Tempore Bonifacii papae VIII, immo forte jam a tempore antiquiore, neo-episcopus, quem Summus Pontifex vel nominaverat vel confirmaverat, solvere debuit quasdam pecuniae „oblationes," easque deinceps „servitia" vulgo fuisse appellatas notum est. [1]) Quas quidem „oblationes" statim post nominationem quia persolvere neo-episcopi plerumque pares non erant, vel ipsi vel per procuratores solemniter in curia „obligationem" inire solebant, de pecunia debita ad tempus respondendi. Porro quae „servitia communia" nomine occurrunt, dimidiata tum domino Papae cum S. Cardinalium Collegio obtigisse novimus; atque praeterea „servitia minuta" familiaribus curiae papalis et Cardinalium accedebant. [2])

Ita Wilhelmus Bertholdi, qui die 15 Februarii an. 1296 episcopus Trajectensis nominatus est, nondum consecratus „pro suo communi servitio" summam 4600 et „pro servitiis minutis" summam 200 florenorum auri solvere promisit (num. 420). Hanc ob causam cum quibusdam mercatoribus Florentinis mutuum contraxit, unde tam ipse quam successores episcopi aere alieno magnopere laborarunt atque solvendi impares cum essent, censuris ecclesiasticis identidem innodati sunt, donec tandem an. 1353 Johannes de Arkel ultimam debiti partem rite persolvit (num. 432). Easdem summas tam pro communi servitio quam pro servitiis minutis pendere spoponderunt Fredericus de Syrick [3]), Nicolaus de Caputio [4]), Johannes de Arkel [5]), Johannes de Virneburch, Ar-

---

1) L. König *Die päpstliche Kammer unter Clemens V und Johann XXII* (Wien 1894) 6 seq.

2) J. P. Kirsch *Die Finanzverwaltung des Kardinalscollegiums im XIII und XIV Jahrh.* (Münster 1895) 12, 14, 21.

3) 1317, *Novembris* 28

Eisdem anno (1317), indictione (XV), loco et testibus (in hospitio domini Albanensis), die XXVIII mensis Novembris dominus Fredericus episcopus Trajectensis promisit pro suo communi servitio camere et collegii IIII^{m} VI^{c} flor. auri et V servitia familiaribus persolvere, medietatem videlicet in festo Assumptionis beate Marie proxime venturo et aliam medietatem in festo beati Andree proxime subsequenti.

(*In margine*) XXVI Cardinales.

4) 1341, *Januarii* 26.

Eisdem anno (1341), indictione, pontificatu et testibus consuetis presentibus Avenione in thesauraria apostolica die vicesima sexta mensis Januarii dominus Nicholaus electus in episcopum Trajectensem promisit pro suo communi (servitio) quatuor milia sexentos (*sic*) flor. auri de Floren(tia) et quinque servicia persolvere, medietatem in proximo festo Omnium Sanctorum et aliam medietatem in festo Nativitatis beati Johannis Baptiste extunc immediate sequenti. Alioquin infra quatuor menses *etc.* et juravit ut in forma.

(*In margine*) XXI Cardinales.

5) 1342, *Decembris* 18.

Anno quo supra (1342), die decima octava mensis Decembris in hospicio domini Cardinalis de Putes dominus Johannes electus in episcopum Trajectensem promisit pro suo communi servicio quatuor milia sexentos (*sic*) flor. auri et quinque servicia familiarium consueta. Item recognovit et solvere promissit (*sic*) pro communi servicio promisso et non soluto per dominum Nicholaum predecessorem suum IIII^{m} VI^{c} flor. auri et quinque servicia familiarium consueta, solvendo medietatem sui servicii in festo beati Michaelis de mense Septembri proxime venturo et aliam medietatem in festo Assentionis (*sic*) Domini extunc proxime sequturo (*sic*) et medietatem servicii dicti predecessoris in festo beati Martini yemalis de anno quadragesimo quarto et aliam medietatem in alio festo beati Martini anno revoluto. Alioquin quod infra quatuor menses *etc.* et juravit *etc.*

(*In margine*) XXVI Cardinales et XXI Cardinales.

Tria haec documenta sunt ex Archivo Vaticano deprompta, primum scilicet: *Obligationes*

noldus de Hoorn, Fredericus de Blankenheim (App. VII, X, XVI). Stabilis haec summa normam certo praebet, computandi annuos mensae episcopalis Trajectensis proventus. Nam quodlibet tributum Sedi Apostolicae conferendum determinari solebat „ad taxationem decimae", i. e. secundum valorem, quem collectores saec. XIII pro expeditione quadam sacra decimam exigentes beneficiis ecclesiasticis tunc inesse aestimaverant. Hanc ad normam tum „annatis" stricte dictis cum de quibus nunc agitur servitiis communibus pretium vulgo fuisse constitutum novimus. [1]) Porro „taxatio decimae" designabat valorem aequiparandum fructibus primi anni modice aestimatis, quos ex quocumque pinguiore beneficio provenire collectores saec. XIII ratiocinati erant. [2]) Ex hisce tuto effici potest, saec. XIII annuum mensae episcopalis Trajectensis valorem ascendisse saltem ad summam 4600 florenorum auri, quippe quod pretium „ad taxationem decimae" antea ipsi constitutum proindeque tamquam „servitium commune" impositum fuerit. Nec tamen dubitandum videtur, quin procedente tempore is valor magnopere auctus sit. Nam tempore Johannis papae XXII luculenta probant exempla, servitium commune, quod neo-episcopi Germaniae solvere deberent, non superasse tertiam partem proventuum annuorum. [3])

Taxa papalis, cathedralibus in Coloniensi provincia ecclesiis imposita.

Quamvis igitur pro certo aestimare non possimus constantem mensae episcopalis Trajectensis valorem, tamen ex indiciis supra laudatis satis tuto eam conjicere licet. Idque praesertim, si comparationem cum dioecesibus vicinis instituimus. Porro quas ecclesiae episcopales in provincia Coloniensi sitae vel pro annatis vel pro communi servitio solvebant summas, ita vulgo indicatas reperimus [4]):

Ecclesia Coloniensis 10,000 floren. auri.
Ecclesia Leodiensis 7200 floren. auri.
Ecclesia Monasteriensis 3000 floren. auri.
Ecclesia Mindensis 1000 floren. auri.
Ecclesia Osnabrugensis 600 floren. auri.
Ecclesia Trajectensis 4600 floren. auri.

Ex hoc elencho patet, inter sex provinciae Coloniensis episcopatus valorem ecclesiae Trajectensis quasi medium attigisse locum. Quod notabile valoris discrimen nequaquam omittendum mihi videtur inter rationes, quibus explicetur, cur episcopi Johannes de Arkel itemque Arnoldus de Hoorn a sede Trajectensi in Leodiensem, Johannes autem de Virneburch a Monasteriensi in Trajectensem ecclesiam transferri maluerint quam pristinae suae sedi immanere.

Camerae Tom. 5, *f.* 13v et *Tom.* 6, *f. X;* secundum: *ibidem Tom.* 6, *f. CLXXII*, *Tom.* 14, *f.* 39, *Tom.* 16, *f.* 44v; tertium: *ibidem Tom.* 6, *f. CXCIII*, *Tom.* 14, *f.* 52v, *Tom.* 16, *f.* 68. Eadem cum nonnullis aliis ad hanc materiam spectantibus nuperrime mihi communicavit Paulus Maria Baumgarten. Amico tam erudito quam liberali gratias.

1) Cfr. König l.l. 17 seq.

2) Philipps *Kirchenrecht* V. II. 567 seq.

3) Kirsch l.l. 7—9.

4) Cfr. L. Banck *Taxa S. Cancellariae Romanae* (Franekerae 1651) 198 seq; König l.l.; J. Döllinger *Beiträge zur politischen Geschichte der* 6 *letzten Jahrh.* Bd. II (Regensburg 1863). Valorem unius floreni auri circa an. 1350 ad 3,75 florenos nostrae monetae Neerlandicae aestimat J. P. Kirsch *Die päpstlichen Kollektorien in Deutschland* Einl. LXX.

§ 2. Abbatum regularium nominatio et quorundum monasteriorum specialis cum Sede Apostolica nexus.

Jus eligendi abbates.

Abbates regulares ordinario jure creari solent per electionem, in qua omnibus et solis conventus fratribus professis suffragium competit, jus vero confirmationis patri abbati, si quod monasterium ab altero ut capite dependet (cfr. numm. 1667, 1825). Hoc modo in partibus nostris abbates ante saec. XIV fere omnes et singuli electi fuisse videntur neque inter illos vel unus occurrit, cujus nominationi auctoritas papalis directe intervenit. Immo cum an. 1214 Conradus Portuensis episcopus tamquam Apostolicae Sedis legatus Fredericum abbatem S. Pauli Trajectensis destituisset, ejus successorem libere monachi conventus elegerunt; cui officio ut sine mora vacarent, Honorius papa III sedulo eosdem admonuit (num. 114).

Abbatiae dispositioni papali reservatae.

Pontifices autem, qui Avenione sedem habebant, beneficiorum ecclesiasticorum dispositionem magis magisque sibi reservarunt. Proinde etiam abbatias saec. XIV apud nos vacantes saepissime collationi suae reservandas et ex plenitudine suae potestatis conferendas putaverunt. Sic Romanus Pontifex abbatem S. Pauli nominavit Henricum de Boechout et Johannem de Oeye (numm. 1186, 1610); monasterio S. Laurentii in Oostbroek praefecit Jacobum et Hermannum (numm. 1439, 2264); abbatiae Bernensi Robertum (num. 2219); Egmundanae Jacobum Oloud, Hugonem de Assendelft, Johannem de Hillegom (numm. 1384, 1507, 1849); Insulae b. Mariae Wilhelmum Snavel (num. 1825); S. Odulphi in Stauria Ockonem dictum Hoytam (num. 1628). Notare hic juvat bullae pontificiae, qua quis abbas creetur, semper adjici literas speciales ad episcopum Trajectensem „in eundem modum" destinatas, quibus hic certior reddatur de abbate recens constituto, non tamen id fieri de abbate Egmundano utpote ab ordinaria potestate exempto.

Servitia a novis abbatibus in curia solvenda.

Quemadmodum episcopi Trajectenses, ita etiam apud nos abbates saltem exempti, cum a Romano Pontifice crearentur, commune servitium aliaque servitia consueta solvere debuerunt. Speciatim id novimus de Hugone abbate Egmundano, qui anno post nominationem suam nondum elapso, anno scil. 1355, Camerae Apostolicae pro communi servitio solvere promisit 250 florenos auri [1]); sed reapse nonnisi medietatem hujus summae pensitavit et insuper pro servitiis minutis 22 florenos auri (num. 1507). Similiter de hujus successore Johanne. [2])

---

1) 1354, *Maji* 19.

Eisdem anno, indictione et pontificatu, die XIX mensis Maji in palacio apostolico in camera domini Camerarii, presentibus dominis B. de Nexonio, Guillermo de Cavanhaco et Guillermo de Fonte clericis camere et collegii, absente domino Cardinale, dominus frater Hugo abbas monasterii Egmondensis ordinis sancti Benedicti Trajectensis diocesis promisit pro suo communi servicio IIc L florenos auri et V servitia consueta, solvendo medietatem in festo Resurrectionis Domini proxime venturo et aliam medietatem in eodem festo anno revoluto. Quod nisi *etc* juravit *etc.*

(*In margine*) XXII Cardinales.

2) 1368, *Februarii* 19.

Frater Johannes abbas monasterii Egmondensis ordinis sancti Benedicti Trajectensis diocesis promisit pro suo communi servicio per Theodericum de Loccorst procuratorem suum ad hoc legitime constitutum IIc L florenos auri et V servicia consueta, solvendo medietatem promissi in festo Nativitatis Domini proxime et aliam medietatem in festo Omnium Sanctorum extunc proxime sequturo (*sic*). Alioquin *etc.*

(*In margine*) XVII Cardinales.

Abbatiae S. Mariae Middelburgensi incubuisse videtur commune servitium 125 florenorum [1]); maximum autem abbatiae S. Pauli Trajectensi, nam Henricus et Johannes abbates summam 300 florenorum auri singuli promiserunt. [2])

Monasteria exempta.

Praeterea specialis est census annuus, quem monasteria exempta Romano Pontifici debent, isque vulgo valde exiguus; sed quotannis offerri hujusmodi tributum oportebat in signum externum peculiaris cum Sede Apostolica vinculi. [3]) Sane quum monasterium aliquod in proprietatem et protectionem S. Petri susciperetur, primitus nihil aliud peti solebat, quam ut tale monasterium ab injuriis et oppressione, laicorum praesertim, esset salvum. At vero jam saec. VII mos invalescere coepit, ut monasteria sic protecta eximerentur a quolibet alio superiore tum saeculari cum ecclesiastico, etiam ab episcopo ordinario, ideoque Sedi Apostolicae tantum immediate subessent. [4]) Hoc modo apud nos ab ordinaria episcopi auctoritate et a quacumque alia nisi papalis tributi exactione exempta erant monasteria Egmundanum et Rynsburgense atque etiam abbatia ecclesiae saecularis Eltensis. Quam ob rationem Summo Pontifici censum tribuere et quotannis sponte Romam deferre, sive uti vulgo dicebant: „ad limina Apostolorum, ad altare, ad urnam, ad arcam, ad sepulchrum beati Petri," [5]) iis monasteriis incumbebat. Hunc ergo in modum, qui aequiparari potest episcoporum „visitationi reali", [6]) abbatia Eltensis singulis annis solvere debuit censum

---

1) 1387, *Augusti* 26.

Nos Franciscus *etc.* quod venerabilis pater frater Hugolinus abbas monasterii sancte Marie Middelburgensis Trajectensis diocesis pro parte sui communis *etc.* centum vigintiquinque florenos auri de camera et pro parte unius minuti servicii consueti debiti pro familiaribus et officialibus dicti collegii septem florenos similes, solidos quadraginta, denarios septem et obolum monete Romane nobis et familiaribus et officialibus dicti collegii per manus honorabilis viri Johannis Wit de Delf die date presencium debito tempore solvi fecit realiter et cum effectu. De quibus *etc.*

Datum Luce sub anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo octuagesimo septimo, indictione decima, die vicesima sexta mensis Augusti *etc.*

(*In margine*) II flor. II gross. pro sigillo.

2) A. 1346, *Octobris* 10.

Eisdem die et loco dominus frater Henricus abbas monasterii sancti Pauli Trajanctensis (*sic*) ordinis sancti Benedicti promisit pro suo communi servitio per magistrum Tilemanum de Nussia (?) procuratorem suum III^c florenos auri et V servitia consueta, solvendo medietatem in Nativitate sancti Johannis Babtiste et aliam in Nativitate Domini extunc secuturo. Alioquin infra IIII menses *etc.* et juravit *etc.*

(*In margine*) XXV Cardinales.

B. 1358, *Junii* 4.

Eisdem anno, indictione et pontificatu, die IIII Junii, in camera apostolica, absente domino Cardinale, presentibus dominis B. de Nexonio, Guillermo de Cavanhaco, Eblone de Mederio et Guillermo de Fonte clericis camere et collegii, dominus frater Johannes abbas monasterii sancti Pauli Trajectensis ordinis sancti Benedicti promisit pro suo communi servicio III^c florenos auri et V servicia consueta, solvendo medietatem in festo sancti Johannis Baptiste proxime venturo ad annum et aliam medietatem in simili festo anno revoluto, nisi infra *etc.* et juravit *etc.*

(*In margine*) XXIII Cardinales.

Arch. Vatic. Secr. Obligationes Camerae Tom. 22, *f.* 156 *et Tom.* 29, *f.* 98 (primum diploma); *Tom.* 35, *f.* 113^v *et Tom.* 36, *f. CLV^v* (secundum); *Tom.* 47, *f.* 47^v (tertium); *Tom.* 14, *f.* 93 *et Tom.* 21, *f.* 60 (quartum A); *Tom.* 22, *f.* 220 (B).

3) P. Fabre *Étude sur le Liber censuum* (Paris 1892) 38 seq.

4) K. F. Weiss *Die kirchlichen Exemtionen der Klöster* (Basel 1893) 29 seq.

5) Fabre l. l. 150. 6) Cfr. infra Introd. Pars III. Sect. II. A.

unius librae argenteae (num. 7), monasterium Egmundanum [1]) itemque conventus Rynsburgensis censum quattuor solidorum Frisingensium (numm. 17, 36, 163, 502). Cui obligationi quin regulariter fuerit satisfactum, dubitari non potest idemque nonnunquam diplomata nostra ostendunt (App. VI, XIV). Maximi enim aestimare solebant abbates talem sui monasterii exemptionem et a sede Romana dependentiam immediatam, quippe qua ab episcopo vel a principe saeculari, negotiis monasterii intervenire conante, tutos se redderent. Quapropter idipsum privilegium monasteria Egmundanum et Rynsburgense a variis Romanis Pontificibus multoties confirmandum et stabiliendum curarunt (numm. 176, 492, 494, 495, 537, 549, 629, 1280).

Abbates a quonam benedicendi.

Abbatem regularem a fratribus professis sui monasterii eligendum, sed ab ordinario suo episcopo benedictionis munere ornandum jubent Canones. [2]) Quod cum episcopus abbati alicui impertivisset, certam procurationem, uti in caeteris functionibus sacris rite peractis, exigere et recipere fas erat. Super tali autem obligatione dispensationem papalem impetravit E. abbas Middelburgensis, ita ut benedictionis munus gratis omnino ipsi conferri oporteret (num. 109). Porro hac in re, quippe quae quandam ab ordinario episcopo dependentiae rationem induceret, plenam libertatem appetierunt abbates regulares. Proinde ut a quolibet catholico antistite munus benedictionis recipere possent, veniam papalem complures obtinuerunt: ita Henricus de Boechout abbas S. Pauli Trajectensis (num. 1212); Jacobus et Hermannus abbates in Oostbroek (numm. 1441, 2265); Ocko abbas S. Odulphi in Stauria (num. 1642); Johannes de Hillegom abbas Egmundanus, quem a Jacobo episcopo Croatensi benedictionis munere insignitum novimus (num. 1851, App. IX); Henricus Braem abbas Middelburgensis (num. 2147); Robertus abbas monasterii Bernensis (num. 2237).

Abbatum privilegia.

Caeteroquin etiam in fungendo suo ministerio sui omnino juris quam ordinariae episcopi potestati subjecti esse abbates Egmundani maluisse videntur. Immo ut episcopalis dignitatis splendorem aliquatenus aemularentur, Lubbertus abbas Egmundensis a° 1251 sibi suisque successoribus usum mitrae, annuli, aliorum pontificalium ornamentorum impetravit (num. 232). Quod privilegium nunc quidem abbatibus omnibus competit, minime tamen nativo Canonum jure. Etenim non prius saeculo X etiam pontificalibus ornamentis decorari coeperunt abbates atque mitrae usus tandem saec. XV jus fere commune abbatum erat. [3])

Similiter abbates, etiamsi facultate utendi pontificalibus gauderent, praeter speciale Sedis Apostolicae privilegium episcopales benedictiones peragere olim minime poterant [4]). Quod privilegium nunc quidem omnibus generatim abbatibus idque pro suis ecclesiis vel monasteriis tantum competere censetur, sed antiquitus speciatim erat cuique abbati conferendum. Sic a° 1308 abbas

---

1) 1357, *Julii* 2.

(*In margine*) Visitatio abbatis Egmondensis.

Die II Julii dominus Hugo abbas monasterii Egmondensis ordinis sancti Benedicti Trajectensis diocesis pro uno anno proxime nunc transacto per dominum Johannem Henrici de Zeelandia legum doctorem procuratorem suum *etc.* visitavit.

Archiv. Vatic. Secr. Oblig. Camerae Tom. 31, *f.* 12v.

2) Decret. Greg. Lib. I. Tit. X. cap. 1.

3) L. Ferraris *Prompta bibliotheca* i. v. abbas n° 91; Weiss l.l. 79 seq.

4) Z. B. van Espen *Jus ecclesiasticum* I. Tit. XXXI. cap. 6, p. 200.

Egmundanus, ut intra suum monasterium altaris paramenta benedicere possent, sibi suisque successoribus impetravit (numm. 480, 487). Conceditur insuper in iisdem diplomatis facultas, „pueros sub regulari habitu ibidem victuros clericali caractere" insigniendi. Haec autem facultas, ut subditis suis tonsuram conferre possent abbates presbyteri, jam affirmata est a Synodo Nicaena [1]), atque ita clericalem ordinem revera conferri, declaravit Innocentius papa III [2]). Ergo verba supra laudata non significant novum quod et insolitum privilegium, sed abbati Egmundano facultatem jam communi jure competentem expresse affirmant.

§ 3. Facultates sacrae, privilegia, dispensationes in nostra dioecesi a Summis Pontificibus erogatae.

Hujus generis in Bullario Trajectensi multiplex est varietas. Porro cum nonnulla privilegia aliqua explicatione indigere videantur, de iis singulatim et quidem ordine alphabetico tractare praestat.

A. *Absolutionis plenariae* in articulo mortis privilegium, tametsi nomine ab indulgentiis differt, re tamen vera iisdem potest aequiparari. Nil enim aliud continere videtur hujusmodi privilegium quam jus eligendi sibi confessorem quemlibet idoneum sacerdotem, qui indulgentiam plenariam tribuat in articulo mortis. Hanc autem erogandi facultas tantum confessariis a Sede Apostolica specialiter ad id deputatis sane competit [3]), sed hodie, nisi fallor, una cum potestate subdelegandi singulis episcopis ordinariis committitur. Unde in nostra saltem provincia Ultrajectensi cuilibet sacerdoti curam animarum habenti, indulgentiam plenariam in articulo mortis non semel, sed quoties oportunum fuerit, impertiendi facultas ab ordinario conferri solet. Absolutio plenaria in articulo mortis.

Antiquitus vero admodum parce tale privilegium, idemque non confessori, sed ipsi cujus interesset poenitenti concedere Romanae curiae mos erat. Immo etiam, initio hanc gratiam nonnisi personis genere vel dignitate conspicuis erogatam fuisse Bullarium ostendit.

Tali beneficio primi ornati leguntur qui de illustri principum Gelrensium prosapia, uti tres filiae Reynaldi I comitis, Reynaldus II ejusque uxor Sophia, Eleonora comitissa (numm. 732—734, 768, 951); ipsi quoque Hollandiae comites, uti Wilhelmus III et Johanna de Vallesio conjux, Wilhelmus IV et Johanna de Brabantia (numm. 931, 932, 987); tandem praelati principales, uti Johannes de Oratorio b. Mariae praepositus et Johannes de Arkel episcopus (numm. 1037, 1066, 1105). Postea inter principes nostros idem privilegium adepti sunt Wilhelmus IV comes magno cum comitatu in Terram Sanctam profecturus, Reynaldus III dux Gelriae et Maria conjux, Johanna de Brabantia atque Margareta de Bavaria comitissae Hannoniae, Maria ducissa Gelrensis (numm. 1092, 1267, 1424, 1437, 1759).

Procedente autem tempore hac in gratia concedenda multo liberaliores Romani Pontifices se ostenderunt. Peccatorum in mortis articulo plenariae remissionis privilegium non solum principibus, sed nobilibus quoque inferioribus elargiti sunt, uti Wilhelmo dicto Vriese domino de Oestinde ejusque nato

1) Decreti prima pars Dist. LXIX. cap. 1. 2) Decret. Greg. Lib. I. Tit. XIV. cap. 11
3) Cfr. *Rituale Romanum* Tit. V. cap. 6.

Gerardo (numm. 1069—1070), Johanni Persyn et Johanni de Abcoude militibus ac utriusque conjugi (numm. 1110—1111), Johanni de Arkel (num. 1522) atque aliis compluribus. Similis cum personis ecclesiasticis agendi modus apparet. Quod antea solum praelatis primariis conferri solebat privilegium, [uti jam supradictis et insuper Henrico de Mierlaer praeposito Trajectensi, Johanni de Oeye abbati S. Pauli, Petro Hoec et Henrico Braem abbatibus Middelburgensibus, Avezoetae abbatissae monasterii Cisterciensium de Haga (numm. 1425, 1605, 1671, 2181, 2100)], idem quibuslibet tum clericis cum laicis petentibus deinde promiscue impertitur. Inter quos, ut cujusque speciei unum saltem exemplum proferamus, recensere lubet Hugonem Uustinc canonicum Trajectensem (num. 1084), Mathiam de Castro presbyterum (num. 1369), Hugonem Bout clericum in Hulst (num. 1551), Balduinum de Sterkenburch monachum in Clarocampo (num. 1119), Aleidam de Ricechusen monialem in Vrouwenclooster (num. 1475), Willemannum laicum et Agatham ejus uxorem (num. 1619). Immo vero an. 1349 toti monialium conventui in Rynsburch et an. 1359 universis incolis civitatis Trajectensis oppidique de Renen simul conceditur (numm. 1294 et 1631). Porro circa hoc tempus tam avide petitum quam frequenter erogatum fuisse hoc privilegium videtur. Tunc enim omnes et singuli in ultimo assidue erant vitae discrimine, quandoquidem an. 1348 et sequentibus „pestilentia nigra" nostras regiones acerrime vexavit, ita ut permulti morte sint absumpti. [1])

Nonnullis personis ipsum privilegium bis erogatum fuisse, mirari quis potest: v. gr. Johanni de Arkel episcopo (numm. 1066 et 1105), Elisabeth uxori Johannis de Cruininghen (numm. 1126 et 1328), Johannae de Brabantia comitissae (numm. 987 et 1424), Reinaldo de Brederode militi (numm. 1989 et 2062). Haec autem difficultas tollenda forte est eo quod remissionis plenariae gratia „semel tantum" in articulo mortis valere soleret; unde nonnulli, in gravi vitae periculo saepius versaturi, securitatis ergo plus semel eodem frui privilegio nisi fuisse videntur. Animadvertendum hic denique, tria tantum in Bullario adesse specimina, quae hoc privilegium cum aliqua poenitentiae conditione adjecta nonnunquam erogatum fuisse ostendant (numm. 1845, 2263, 2268): scilicet Gerardo dicto Vrent ejusque uxori indultum hoc non valere nunciatur, nisi vestes usque ad genua prolongatas deinceps ipse Gerardus sibi induat; deinde Martino Martini de Delft et Amelio de Mynden presbyteris sic conceditur, ut per tres annos una saltem die singularum hebdomadarum debeant jejunare. Ceterum vero omnibus et singulis gratis omnino, nulla obligatione vel poenitentia speciali imposita, sicut hodie etiam fieri assolet, hoc privilegium fuisse impertitum, documenta nostra probant.

Altare portatile.

B. *Altare portatile* dicitur quod non est „fixum," i. e. non habens basin lapideam, cui caemento fixe adhaereat. Proinde eo quod de loco in locum asportari et ubilibet in formam altaris componi potest, „altare portatile" nuncupatur. Ejusmodi altari portatili nemo sane uti potest nisi qui Sedis Apostolicae gaudet indulto; quod privilegium ante Bonifacium papam VIII solum ex speciali rescripto Summi Pontificis obtineri solebat [2]), postea vero omnibus et

1) Cfr. *Chronicon auctius Johannis de Beka* Matthaeus *Analecta III.* 242 seq.
2) P. Hinschius *System des katholischen Kirchenrechts* IV. 405.

singulis episcopis generatim est concessum.[1]) Optime hac juris canonici immutatione intelligitur, post Johannem de Syrick (num. 395) nulli penitus antistiti Trajectensi facultatem habendi altare portatile esse erogatam, nisi soli Johanni de Diest, quippe qui tunc nondum esset consecratus episcopus, sed utpote electus speciali indulto utique indigeret (num. 617).

Idem privilegium concessum praeterea novimus Johanni Oloud abbati Egmundensi (num. 1414), Johanni de Pistorio decano S. Salvatoris (num. 1152), Suedero Uterlo praeposito Trajectensi (num. 1889). Sed plerumque hanc facultatem personis laicis datam reperimus, iisque proceribus vel saltem de nobili prosapia oriundis. Tale privilegium adepti tam capellano suo domestico quam alii cuicumque presbytero committere poterant viri nobiles, ut in altari portatili S. Missae Sacrificium ubilibet offerri liceret. Neque parvi faciendum tunc erat hujusmodi indultum, quippe quod saepe a principibus nostris et petitum et receptum fuisse noverimus: uti a comitibus et comitissis tum Gelriae, scilicet a Reynaldo I, Reynaldo II atque Sophia uxore, Margareta sorore, Eleonora ducissa, Eduardo duce I (numm. 411, 761, 766, 1482, 1794,) cum Hollandiae quoque, scilicet a Johanna de Vallesio, Wilhelmo III, Margareta et Isabella ejus filiabus, Guidone de Flandria, Johanna de Brabantia Wilhelmi IV comitis uxore, Wilhelmo comite V (numm. 543, 921, 922, 981, 1337, 1497, 498, 981, 1985). Inter viros nobiles, qui hoc privilegium adepti leguntur, primus occurrit Arnoldus de Ysselstein an. 1348 (num. 1250). Deinde complures nobili genere apud nos conspicui eodem favore gavisi sunt [2]); nonnunquam tamen cum quadam restrictione addita, sicut Suederus de Abcoude, Reynaldus de Brederode, Philippus de Polanen, qui nonnisi ad decennium altaris portatilis indultum obtinuisse feruntur (numm. 2066, 2067, 2137). Procedente autem tempore rigor disciplinae hac in re aliquatenus saltem relaxatus esse videtur. Etenim an. 1406 Fredericus de Blankenheim episcopus noster facultatem altaris portatilis nedum sibi impetrat, ipse viro nobili concedit (App. XVIII). Ex quo conjicere audeo, a Summo Pontifice delegatam tunc fuisse facultatem, hujusmodi privilegium saltem ad annum aliis erogandi.

Bona ecclesiastica, nisi servatis conditionibus, non alienanda.

C. *Bonorum ecclesiasticorum alienationem* (immobilium scilicet itemque pretiosorum mobilium, „quae servando servari non possunt") gravissimis poenis inhibent et irritam declarant antiqui Canones,[3]) nisi forte intercedant tum Ecclesiae utilitas vel necessitas cum solemnitas a jure praescripta. Quae quidem solemnitas ut revera adesse censeretur, episcopis et praelatis ante Concilium Lugdunense II satis probabiliter erat sui capituli consensus,[4]) postea vero requirebatur etiam Apostolicae Sedis licentia specialis.[5]) Hujusmodi licentia qui usi sunt in Bullario nostro occurrunt: an. 1286 prior provincialis Praedicatorum ad emendam domum ordinis b. Mariae de Zierikzee, quippe quem Concilium supra laudatum cum nonnullis aliis Mendicantium ordinibus

1) Sext. decret. Lib. V. Tit. VII. cap. 12.
2) Cfr. Indicem rerum i. v. altare portatile.
3) Decr. Grat. Caus. XII, qu. II. Can. 13, 15, 22, 51, 70; Decret. Greg. Lib. III. Tit. XIII. capp. 5, 8, 10; cfr. F. P. van de Burgt *De ecclesiis* (Ultraj. 1874) p. 293.
4) Ibidem Tit. X capp. 1—3 atque canon laudatus 51.
5) Sexti decret. Lib. III. Tit. IX cap. 2.

abolivisset (num. 362); deinde an. 1310 abbas Egmundanus, ut monasterii sui debita levaret (num. 500). Eodem de indulto agunt quoque numm. 386 et 612. Tandem an. 1359 Folkero suffraganeo Johannis de Arkel episcopi commissum reperimus, ut omnia et singula Camerae Apostolicae bona in dioecesi Trajectensi existentia vendere posset vel quolibet modo in pretium convertere (numm. 1622).

Quandoquidem neque rerum ecclesiasticarum permutatio fieri licet sine praescripta juris solemnitate,[1]) revocari huc etiam potest num. 263, ubi capitulo S. Petri Trajectensis confirmantur superflui ecclesiarum parochialium proventus, ab Ottone episcopo pridem ei assignati. Sane vix alia ratione ducti quam ut haec ipsa juris solemnitas magis magisque stabiliretur, eandem episcopi concessionem non tantum a legato papali sed a Summo Pontifice etiam approbandam curarunt.

Porro ne bona ecclesiastica sive a clericis sive a laicis illicite alienarentur, semper et ubique Sedes Apostolica assidue vigilare studebat. Sic eorundem in dioecesi Trajectensi indemnitati consuluit Nicolaus papa IV, qui an. 1291 Johanni de Syrick episcopo facultatem commisit, manifestos bonorum ecclesiasticorum occupatores severissimis censuris perstringendi (num. 404). Item Bonifacius papa VIII an. 1296 Wilhelmo Bertholdi episcopo mandavit, ut bona ecclesiastica, quae sacerdotes dividere suisque filiis et filiabus relinquere praesumebant, ad proprium jus revocaret (num. 423), atque ut vassallos ecclesiae suae, qui de servitiis debitis respondere et homagium praestare abnuerint, excommunicationis et interdicti compesceret sententiis (num. 427).

Mutuum contrahendi facultas.

Hic denique convenit, aliquantulum disserere de mutuo, cujus contrahendi licentiam nonnulli episcopi Trajectenses a Sede Apostolica impetrarunt. Etenim alienationis illicitae nomine veniunt quilibet contractus, ex quibus pejor fieri posset Ecclesiae conditio, veluti condictio, donatio, venditio, permutatio et emphyteuticus perpetuus contractus.[2]) Ecclesia autem certe gravatur mutuo, quippe quod eam aere alieno oneret bonaque ecclesiastica tacite saltem oppignoret. Ad mutuum ergo contrahendum requiritur etiam (praeter Ecclesiae necessitatem vel utilitatem) solemnitas a jure praescripta, in casu licentia Sedis Apostolicae specialis. Talem licentiam obtinuerunt expresse Wilhelmus Bertholdi, Johannes de Diest, fortasse quoque Theodericus de Are, Willibrandus episcopi Trajectenses, et insuper monasterium b. Mariae Middelburgense (numm. 420, 437, 884, 45, 146, 173). Porro incommoda, lites, poenas multifarias, quibus ratione mutui sic contracti debitores expositos legimus, silentio nunc praeterire licet. Recte interim lector animum advertat, ad sublevanda ejusmodi debita praesules nostros multoties fruitos esse Apostolicae Sedis favore atque praesidio liberali.[3])

Indulgentiarum varietas.

D. *Indulgentiae*, quas Summorum Pontificum auctoritate in dioecesi Trajectensi frequentissime erogatas Bullarium commemorat, modo huic, tum illi fini profuerunt. Qua de ratione eas ita distinguere congruit:

---

1) Decret. Greg. Lib. III. Tit. XIX. cap. 2; Sexti decret. Lib. III. Tit. IX. cap. 1; cfr. van de Burgt l.l. p. 299 n° 338.

2) Decret. Greg. Lib. III. Tit. XIII. cap. 5.

3) Cfr. Indicem rerum i. v. debita.

a. Indulgentiae, quas ut communi cuidam Ecclesiae causae promovendae inservirent, Romanus Pontifex impertivit, uti in praeparatione expeditionum sacrarum identidem contigisse notum est. [1]) Hunc in modum Innocentius papa IV viris religiosis, qui contra Fredericum II regem Crucem praedicarent, facultatem concessit (num. 211). Similiter quae ad recuperandam Terram Sanctam (numm. 331 et 482) atque quae bellis in Italia adversus seditiosos gestis proficerent indulgentiae promulgandae in Bullario leguntur (numm. 599 et 1835).

b. Indulgentie, quibus lucrandis praelati vel principis cujusdam praesentia vel etiam loci sacri decus ornaretur. Sic Johannes de Syrick impetravit, ut omnes poenitentes et confessis, qui coram ipso verbum Dei audirent et qui primae ipsius Missae in ecclesia cathedrali celebrandae adessent, indulgentiam mererentur (numm. 405—406). Ejusmodi quoque privilegium Wilhelmus III comes et Johanna de Vallesio comitissa Hollandiae adepti sunt (numm. 926 et 546.) Item monasteria in Horst, Egmundanum, S. Servatii Trajectense devote visitantibus indulgentiae sunt concessae (numm. 131, 175, 233, 260).

c. Longe autem numero praevalent indulgentiae, quae ecclesiis, monasteriis, hospitalibus erigendis vel reparandis prodessent. Sic ut de caeteris taceam [2]), ecclesiis Majori et b. Mariae Trajectensibus (numm. 309, 429, 1793), monasterio S. Odulphi in Stavoren (num. 747), hospitali pauperum S. Spiritus in Heukelom (num. 2257) indulgentiae donatae reperiuntur. Nec etiam desunt, quae tametsi extraneum quoddam institutum sacrum vel pium ut juvarent destinatae, nostris tamen in partibus promulgabantur, sicut pro erigendis hospitalibus in Bruxella et in Ardenburg, reparanda ecclesia in Rengering, consummando monasterio de Eeclo, sublevanda leprosorum domu juxta Brugis (numm. 187, 380, 268, 382, 407).

Hujusmodi indulgentiae quod ad valorem tam variae sunt et diversae, ut omnes et singulas enumerare longum esset. Quam minimam Bullarium nostrum exhibet est valoris 20 dierum (numm. 131 et 175), quam maximam valoris duorum annorum et 80 dierum (num. 1552). Indulgentiae plenariae, quae nonnullis in locis sacris, uti Egmondae et Swollis, elucranda fuisse asseritur [3]), Bullarium nusquam facit mentionem. Quae plerumque occurrit indulgentia, fidelibus aedificationem ecclesiae vel monasterii promoventibus concessa, valorem habet unius anni et 40 dierum (v. gr. numm. 403, 429, 1541 etc.) Porro in diversis indulgentiarum bullis jam a tempore Gregorii papae IX [4]) adhiberi et repeti solebat similis fere formula, secundum quam postea certis diebus festivis similes indulgentiae vulgo assignabantur (num. 1977).

Indulgentiae a Summis Pontificibus multoties erogatae, praesertim si qua rudiori populo promulgatae et nonnunquam applicatae fuisse leguntur rationem spectaveris, abusu sane non caruerunt. Quapropter ut ipso medio aevo ita hodiedum pejore saepe nota reprehenduntur. Recte tamen quis consideret, in Bullario nostro nullas omnino reperiri indulgentias, nisi a fidelibus *Indulgentiarum vindicatio.*

1) Cfr. Moll *Kerkgeschiedenis;* II. I. 18 et 25 seq.
2) De quibus videndus est Index rerum i. v. Indulgentiae.
3) Moll *Kerkgeschiedenis* II. IV. 189.
4) Decret. Greg. Lib. V. Tit. XXXVIII. cap. 14.

antea vere poenitentibus riteque confessis elucrandas. Deinde finem, ad quem indulgentiae lucrandae ergo „manus porrigere adjutrices" oportebat, pium semper fuisse et laudabilem supra vidimus. Tandem qui indulgentiis objici solent abusuum maxima pars ita dictis quaestoribus profecto est imputanda [1]). Sed hujusmodi quaestorum indignum et scandalosum agendi modum tum episcopi Trajectenses cum Romani Pontifices [2]) serio improbarunt atque supprimere conati sunt. Quod luculenter denuo liquet ex nonnullis Bullarii diplomatis, quae post indulgentiam promissam sic expliciunt: „quas mitti per questiarios districtius inhibemus, eas, si secus actum fuerit, carere viribus decernentes" (numm. 747, 1552, 1661, 2014, 2257).

Literae confessionales quid significant.

E. *Literae confessionales* quasi solis principibus eorumque cognatis in Bullario impertitae occurrunt. Hujusmodi privilegium videtur significare jus, confessorem sibi eligendi „quemlibet discretum presbyterum," tametsi jurisdictione non pollentem, cui proinde vi specialis delegationis hic et nunc spiritualis in supplicem potestas committatur. Etenim ut Sacramentalis Confessio vere sit valida, in confessore requiritur non solum „potestas ordinis" seu „facultas remota," sed etiam „potestas jurisdictionis" seu „facultas proxima," quae tantum „proprio sacerdoti" tamquam legitimo superiori suos in subditos competit. Proprius autem sacerdos in Ecclesia universa Summus Pontifex, in sua quisque dioecesi episcopus, in sua parochia parochus est dicendus. Attamen potest etiam Summus Pontifex, utpote universae Ecclesiae sacerdos proprius, cuilibet presbytero ejusmodi potestatem spiritualem delegare, quemadmodum episcopus in sua dioecesi facere solet. [3]) Summa hac potestate usi sunt Pontifices Romani, literas confessionales erogantes. Quarum literarum tenore ad libitum poterat eligi confessarius eique hic et nunc delegari spiritualis jurisdictio.

Quibusnam concessae leguntur.

Sed parce admodum et solis proceribus privilegium hoc concessum novimus, eaque sane de ratione, ne hierarchicus in Ecclesia ordo subverteretur. Qui igitur tali gratia ornati in Bullario reperiuntur sunt: Guido de Flandria comes Zelandiae, Wilhelmus III et Johanna de Vallesio uxor, Wilhelmus IV et Johanna de Brabantia conjux Hollandiae comites (numm. 499, 840, 858, 933, 934, 988); Margareta comitissa, Reynaldus II comes et Sophia uxor, Reynaldus III comes et Maria conjux, Eduardus dux I Gelrenses (numm. 760, 765, 1266, 1864); Margareta de Valkenburgh burggravia Zelandiae et Guido de Blesis Schoonhoviae dominus (numm. 1831 et 1998). Inter episcopos Trajectenses eadem gratia potiti occurrunt Johannes de Syrick et Wilhelmus Bertholdi (numm. 396 et 421) et quidem post utriusque consecrationem peractam. Quod difficultate non caret, quandoquidem Gregorius papa IX jam permiserat „episcopis et aliis superioribus necnon minoribus praelatis exemptis, ut praeter sui superioris licentiam providum et discretum sibi possint eligere confessorem." [4]) Quid ergo praeter generale hoc episcoporum privilegium sibi velle dicenda est specialis illa utrique antistiti nostro concessa facultas? Ad nodum istum extricandum optime juvare videtur observatio, tam Johanni de Syrick quam Wilhelmo Bertholdi Romae tunc degentibus impertitas fuisse literas

---

1) Cfr. Moll l.l. 199 seq. 2) Decret. Greg. l.l.
3) Cfr. *Kirchenlexikon* i. v. Beichte II. 235.
4) Decret. Greg. Lib. V. Tit. XXXVIII. cap. 16.

confessionales. Quapropter conjicere licet, generale de confessore eligendo indultum utique profuisse episcopis, extra suam dioecesim peregrinantibus, non tamen quamdiu in ipsa Urbe essent commoraturi. Pro hoc solo temporis intervallo speciali Sedis Apostolicae facultate indiguisse atque literas confessionales impetrasse praesules nostri videntur. Hanc porro distinctionem minime arbitrio nostro factam probat doctrina Henrici de Segusio, Hostiensis vulgo nuncupati. Qui canonista tam antiquitate quam eruditione praeclarus quod ad episcopos et superiores ita docet: „De talibus et similibus spectat correctio ad solum papam; *in occultis* vero potest sibi eligere confessorem, *nisi sit in curia*, quia tunc debet confiteri Poenitentiario secundum quosdam." [1]) Neque opinioni nostrae revera obstat indultum, Johanni de Diest episcopo postea concessum (num. 793), quippe quod literis confessionalibus minime aequum valeat, sed jurisdictionem intendat quod ad casus specialiter reservatos.

Decursu autem temporis in largiendo hujusmodi privilegio liberaliores se gesserunt Romani Pontifices. Idipsum magistro Johanni Wilde de Dotinchem praeposito Embricensi, familiari et scriptori suo erogavit Gregorius papa XI (num. 2057). Immo Fredericus de Blankenheim episcopus ipse facultatem sibi delegatam habuisse videtur, saltem ad unum annum literis confessionalibus proceres donandi (App. XVIII).

Dispensationes matrimoniales super consanguinitate vel affinitate.

F. *Matrimonialium dispensationum*, quae in Bullario nostro leguntur, numerus longe major agit de impedimento consanguinitatis vel affinitatis. Impedimentum hoc dirimens antiquitus sese extendebat usque ad septimum gradum inclusive, [2]) secundum ecclesiasticam graduum computationem. At in Concilio Lateranensi IV Innocentius papa III ita statuit: „prohibitio copulae conjugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum de caetero non excedat." [3]) Dispensandi vero facultatem in quovis gradu prohibito Summus Pontifex suo arbitrio reservandam putavit neque ullam episcopis in sua cuique dioecesi committendam. [4]) Quoties ergo consanguinitatis vel affinitatis impedimentum nuptiis obstabat, ad Sedem recurrere Apostolicam necesse erat, nisi forte cuidam legato papali specialis esset delegata facultas, sicut Johanni episcopo Sambiensi, cum in subsidium Wilhelmi Romanorum regis Crucem praedicabat (num. 253). Dispensandi hac potestate sibi soli reservata Sedes Apostolica parce admodum tunc uti solebat. Proinde in Bullario nostro dispensationes longe plurimae quartum consanguinitatis vel affinitatis gradum concernunt, paucissimae vero tertium gradum aut quartum cum tertio mixtum. Quae de tertio consanguinitatis gradu agunt dispensationes principibus eorumque proximis datae sunt (numm. 361, 625, 725), quandoque non sine magna difficultate longaque actione praevia. [5]) Reperiuntur insuper nonnullae super impedimento affinitatis in tertio gradu hominibus plebejis erogatae (numm. 941 et 959); sed matrimonium hisce in casibus jam pridem erat celebratum, altera saltem partium nullius impedimenti conscia.

---

1) *Summa Hostiensis* Tit. de penitentiis, § Cui patriarcha. (Ed. 1479 in bibliotheca Seminarii Warmondensis). Literae cursivae sunt a me appositae.

2) F. P. van de Burgt *De matrimonio* (Ultraj. 1875) 152 et 173.

3) Decret. Greg. Lib. IV. Tit. XIV. cap. 8.

4) Thomassinus *Ecclesiae disciplina* II. 630.

5) Cfr. supra Introd. p. XXIV.

Dispensationis super consanguinitate vel affinitate in tertio gradu cum quarto mixto similiter paucos casus habemus obvios (numm. 456, 968, 1127, 1220); qui singuli, penultimo solo excepto, ad oratores principum vel nobili saltem genere conspicuos pertinent. Immo ipsa in quarto gradu dispensatio saepius quidem principibus et nobilibus concessa legitur, rarissime vero hominibus nobili genere carentibus, iisque nonnisi post nuptias jam antea celebratas (numm. 796, 944, 1223). Cur autem prae caeteris et quasi exclusive papali super impedimentis matrimonii dispensatione fruiti sint proceres, [1]) facile explicatur. Etenim in rescripto pontificio tamquam propria dispensationis ratio sive causa maximam vim habere solet „bonum pacis" inter amicos et consanguineos cujusque contrahentis reparandum vel stabiliendum. Sed Ecclesiae et reipublicae non tantum valere bonum pacis inter homines plebejos, quam si inter potentes et nobiles servari contingat, ultro patescit.

In specie demum adhuc notanda videtur dispensatio ita dicta generalis, quam nonnunquam principibus eorumque filiis filiabusve datam legimus (numm. 208, 589, 595, 759). Tali in dispensatione nomen utriusque vel saltem unius contrahentis minime designari, sed generatim, ut cum aliquo nobili consanguineo vel affini matrimonium inire liceret, indulgeri solebat. At iste dispensandi modus brevi tempore tantum in usu erat, quandoquidem an. 1364 Urbanus papa V eum expresse revocavit (num. 1796).

Dispensationem super impedimentis matrimonii rarius ipsis oratoribus inscripserunt Romani Pontifices, idque nonnisi principi cuidam (v. gr. num. 188, 208); sed dispensationis rescriptum ad ordinarium loci plerumque, aliquando etiam ad episcopum vicinum destinare solebant, cui executio sive fulminatio demandaretur (v. gr. numm. 938, 941, 1088, 1334, 2146, App. XI). Eidem dispensationis executori simul facultas committebatur, prolem legitimam decernendi, excommunicationis sententiam, quam contrahentes impedimentum non ignorantes forte incurrissent, relaxandi, iisdem poenitentiam imponendi salutarem, denique omnia faciendi, quae de jure fuerint injungenda (v. gr. numm. 1215, 1248, 1509).

Dispensationes super aliis impedimentis.

Caetera impedimenta, super quibus in Bullario dispensatum legimus, sunt: *a. affinitatis spiritualis* (numm. 205, 559, 1169) sive propinquitatis personarum ortae ex S. Baptismo vel S. Confirmatione. Impedimentum dirimens cognationis spiritualis nunc ex Concilii Tridentini [2]) Constitutione solum comprehendit paternitatem, compaternitatem et filiationem, sed etiam ad confraternitatem antiquitus sese extendebat. [3]) Hujusmodi spiritualis cognationis ex confraternitate ortae specimina praebent numm. 559 et 1169. *b. Criminis*, scilicet adulterii cum promissione nuptiarum. Impedimentum hoc dirimens antiquissimis jam temporibus conditum [4]) hodiedum adhuc viget; cujus solum exemplum exstat num. 246. *c. Publicae honestatis*, [5]) quod impedimentum dirimens ex praeviis sponsalibus oriundum impedivisse legitur, quominus inter Albertum dominum de Vorne ejusque uxorem Magtildim matrimonium valeret (num. 666).

---

1) Cfr. supra Introd. p. XXII seq. 2) Sessio 24 cap. 2 de ref. matr.
3) Sexti decret. Lib. IV. Tit. III. cap. 1; cfr. van de Burgt l.l. 156.
4) Decret. Greg. Lib. IV. Tit. VII. cap. 6. 5) Van de Burgt 131 et 164 seq.

Verbulo tandem commemorare hic juvat literas apostolicas, quibus nullo matrimonii impedimento obstante minime quidem dispensatio aliqua impertita est, quaeque indulta securitatis gratia dici possunt (numm. 358, 359, 409). Angebatur tunc quodam scrupulo contrahentium animus vel forte a quodam aemulo insidiae iis parabantur. Ad conscientiam igitur metu liberandam et cautelam cujuslibet contradictioni ponendam domini Papae expressam declarationem impetrarunt, quod in contracto jam matrimonio remanere utique sibi liceret.

Missa quibusnam tempore et loco celebranda.

G. *Missae Sacrificium* ante auroram celebrare non licet, sed „Missa privata quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest." [1]) Inter rationabiles causas, ab hoc praecepto excusantes, a recentioribus auctoribus allegantur necessitas, itineris occasio, privilegium post Concilium Tridentinum concessum. [2]) Porro hac in re severior fuisse videtur quae medio aevo viguit disciplina ecclesiastica. Etenim privilegium ante auroram celebrari faciendi raro dumtaxat et personis proceribus tantum in Bullario nostro concessum legitur, idque sub iisdem fere conditionibus, quae hodie ipso facto talem licentiam involvunt: scilicet „cum urgebit necessitas vel ante diem contigerit proficisci." Hujusmodi licentiam qui expresse impetrarunt principes sunt vel illustriore saltem nobilitate conspicui: scilicet Reynaldus II comes Gelriae ejusque uxor Sophia, Wilhelmus IV comes et Margareta comitissa Hannoniae, Eduardus dux Gelriae (numm. 764, 1131, 1496, 1795), Johannes de Blesis Schoonhoviae dominus, Ghiselbertus et Suederus de Abcoude, Reynaldus de Brederode (numm. 1338, 1593, 2068, 2069). Nullum omnino clericum tali privilegio ornatum legimus nisi solum Johannem de Pistorio decanum S. Salvatoris familiarem papalem (num. 1153).

Denique referre oportet favorem a Wilhelmo Hannoniae comite III ejusque conjuge Johanna de Vallesio impetratum, ut „ab aurora usque ad horam nonam, dum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit," Missam celebrari faciendi copiam haberent (numm. 923—924). Quam „horam nonam" appellant literae papales hic intelligenda est nostra hora tertia post meridiem, quandoquidem insecutae fuisse videntur modum temporis diurni computandi, quem tum Israelitae cum Christiani antiquitus colebant. [3])

Missae celebratio vetatur etiam tempore interdicti, quod est „censura ecclesiastica prohibens divinorum officiorum, Sacramentorum aliquorum et ecclesiasticae sepulturae usum." [4]) Procedente autem tempore miserabiles interdicti effectus non mediocriter mitigarunt Romani Pontifices idque praecipue Bonifacius papa VIII in celebri Constitutione: *Alma mater.* [5]) Quo mitigandi studio dioecesis nostra Trajectensis in casibus peculiaribus saepissime fruita est. Cum enim generale terrae interdictum (sive locale nuncupatum) alicubi fuerit, ibidem officia divina privatim celebrandi vel celebrari faciendi permissum legimus monasteriis Egmundano et Rynsburgensi (numm. 61, 77, 127), item abbati Middel-

1) Ita Rubricae generales Missalis Romani XV.
2) Cfr. S. Alphonsi de Ligorio *Theologia moralis* Lib. V. n° 343; P. J. B. de Herdt (Lovanii 1877) *Sacrae lithurgiae praxis* I. n° 102.
3) Cfr. S. Matthaeus Ev. XX : 3—6 et S. Lucas Ev. XXIII : 44.
4) Ligorio l.l. Lib. VII cap. 4.
5) Sexti decret. Lib. V. Tit. XI. cap. 24; cfr. etiam *Kirchenlexikon* i. v. VI. 825.

burgensi tamquam Crucis praedicatori (num. 112); frequentius autem ita factum reperimus post editam Constitutionem: *Alma mater.* Nam qui ante Bonifacium papam VIII tali favore donatus legitur, inter principes nostros unus et solus est Reynaldus I Gelriae comes (num. 410). Deinde vero multo plures occurrunt: scilicet Johannes II et Philippa uxor, Wilhelmus III et Johanna de Vallesio, Wilhelmus IV et Johanna de Brabantia, Margareta de Bavaria, Wilhelmus V Hollandiae comites (numm. 448, 478, 544, 943, 986, 1494, 1986), Reynaldus II comes et Sophia uxor, Margareta comitissa, Reynaldus III et Maria, Eduardus dux Gelrenses (numm. 762, 767, 1265, 1790). Neque rari sunt, qui simile obtinuerunt privilegium apud nos nobiles illustriores, uti v. gr. Johannes de Blesis Schoonhoviae dominus, Raso et Franco de Borsselen, Reynaldus de Brederode (numm. 1830, 1856, 2065, 2070). Minime tamen saepe personis ecclesiasticis sic indultum reperimus: episcoporum Trajectensium nulli penitus, caeteroquin solis Suedero Uterlo praeposito Trajectensi et Arnoldo de Horst presbytero (numm. 1871 et 2152).

Ecclesiae violatae reconciliatio.

H. *Reconciliatio ecclesiae consecratae* (non vero, quae benedicta tantum fuerit), quam per effusionem sanguinis et seminis vel per sepulturam excommunicati ibidem factam contigerit violari, est ordinis episcopalis; quapropter inferioris gradus clericis demandari non potest, [1]) nisi expressa prius super hoc obtenta Sedis Apostolicae facultate. Unde in tam ampla dioecesi Trajectensi, cujus in partibus longe lateque diffusis statim adesse episcopus nec ordinarius nec suffraganeus posset, [2]) complura eaque gravissima exorta fuisse incommoda facile intelligitur. Ne igitur ecclesia quaedam violata cultu divino diutius privaretur, in episcopatu nostro semel atque iterum erogatam legimus facultatem, reconciliationem aqua per episcopum prius benedicta cuivis presbytero committendi. Ita indultum fuit nonnullis Trajectensis dioeceseos capitulis quod ad ecclesias suas, dummodo tamen ipse ordinarius antea assentiret (num. 152); similiter episcopis Trajectensibus Johanni de Syrick, Guidoni de Hannonia, Frederico de Syrick, Johanni de Diest, quod ad omnes promiscue suae dioeceseos ecclesias et coemiteria (numm. 397, 504, 557, 615). Sed nonnisi ad quinquennium vel ad triennium hujusmodi facultas data reperitur, quo temporis intervallo elapso ipsam denuo petere necesse erat. Qua quidem facultate episcopi nostri aliquando caruisse videntur, uti nominatim Guido de Hannonia. Nam an. 1306 hanc reconciliandae ecclesiae parochialis in Biervliet potestatem Clemens papa V presbytero cuidam directe commisit (num. 472). Ecclesiae autem Dordracensis reconciliatio, quae an. 1355 Petro Cameracensi antistiti fuit demandata (numm. 1533 et 1548), talem facultatem non requisivit. Etenim cum extraneo cuidam episcopo delegaretur, tantum de jurisdictione tunc agi illico patescit.

Tabelliones.

I. *Tabellionatus officium* conferendi facultas a Summo Pontifice plus semel episcopis Trajectensibus concessa fuisse legitur: scilicet Johanni de Syrick, Frederico de Syrick, Johanni de Diest, Johanni de Arkel (numm. 394, 556, 623, 1065). Qui tamen ad certum tantummodo numerum hujusmodi officium conferre valuerunt, quattuor scilicet, tribus, duabusve per-

---

1) Decret. Greg. Lib. III. Tit XL. capp. 9—10; cfr. F. P. van de Burgt *De celebratione Missarum* (Ultraj. 1871) 179 n° 214. 2) Cfr. numm. 152, 504, 557.

sonis. Quandoquidem tabellionis nomine venit „qui contractuum et testamentorum instrumenta conscribebat," [1]) tabellionatus officium inter officia civilia potius quam stricte ecclesiastica recensendum videtur. Hanc ob rationem clericis non conjugatis neque in sacris ordinibus constitutis mandari solebat, qui ut munere suo publico fungerentur, publica quadam auctoritate ornandi erant. Proinde sicuti reges et imperatores suos notarios publicos vulgo instituebant, ita tabelliones creare eosque sacra quadam auctoritate insignire Romanis Pontificibus saepius placuit. Quod in partibus nostris factum esse legitur vel mediate, quoties tabellionatus officium conferendi facultas episcopo Trajectensi delegata est, vel immediate, quoties dominus Papa praedictum officium cuidam personae idoneae ipse mandavit. Qui hoc modo tabellionatus officio insigniti occurrunt Trajectensis dioeceseos clerici sunt: Henricus de Haslo, Geraldus Naldekin, Johannes de Westrenen, Johannes dictus de Dulmen, Wernerus de Heest, Henricus Spiker de Arnhem, Johannes dictus Wit de Embrica, Nicolaus Mudde, Gerardus Borgrevinc, Johannes Salomonis, Johannes Spycman de Asperen, Johannes Judoci Triests, Wilhelmus de Amersfordia, Reynaldus Godefridi de Edingwerden dictus Scherpine, Henricus Caeliaert, Gherardus Thenkippe de Doesburg, Bernardus Henrici de Daventria, Johannes Pot de Arnhem. [2]) Aliquando tandem media quadam ratione hoc officium Romani Pontifices clericis nostrae dioeceseos tribuerunt, delegando nempe episcopum vel praelatum extraneum, qui eos tali munere donaret. Sic Bertrandus Convenarum episcopus Johanni Goetschalci de Amersfordia, Franciscus episcopus Aurasicensis Reynero de Bruenic et Theoderico Gruitbudel de Embrica, Petrus Villani auditor papalis Petro Kof clericis facultate specialiter sibi commissa tabellionatus officium contulisse leguntur (numm. 1762, 1850, 1885).

J. *Testandi facultas* erogata est episcopis Johanni de Syrick (num. 400), Wilhelmo Bertholdi (num. 428) Johanni de Diest (num. 616), Johanni de Pistorio decano S Salvatoris (numm. 1154 et 1229), Swedero Uterlo praeposito Trajectensibus (num. 2111). Quae facultas, nisi fallor, indole mihi duplex videtur: partim quae jus canonicum „*de testamentis et ultimis voluntatibus*" [3]) generatim statuit, majorem ad tutelam specialiter confirmat; partim vero novum et expressum quendam significat favorem. Poterant enim episcopi, idemque jus quod ad caeteros clericos viget, de bonis suis propriis libere testari. Quae „propria bona" varie distinguuntur: uti patrimonialia, industrialia, haereditate acquisita etc., immo etiam ut talia fructus beneficiorum parsimoniales recenset D. Thomas Aquinas [4]). Circa propria hujusmodi bona quaelibet per testamentum dispositio clericis utique licet, ejusque diplomata, quibus facultas testandi conceditur, initio expressam faciunt mentionem. E contrario de bonis per ecclesiam acquisitis, quae alio nomine „fructus beneficiales superflui" vocantur, nullo modo, nec etiam ad pias causas, testari possunt clerici; sed „penes ecclesias eadem bona remanere" [5]) praecipiuntur. Jam vero de hisce bonis ecclesiasticis praecipue agitur in facultate testandi:

Facultas testandi.

1) Ducange *Glossarium* i. v. 2) Numm. reperies indicatos in Indice rerum.
3) Decret. Greg. Lib. III. Tit. XXVI. capp. 1, 7, 8, 12.
4) *Summa theologica* II. II. Qu. 185 art. VII. 5) Decret. Greg. l.l. cap. 7.

quae proinde novam et expressam intendit veniam, bona sive mobilia sive immobilia, etiam per ecclesiam acquisita, cuilibet haeredi in pios et licitos usus legandi. Quoddam tamen veniae moderamen addere solebant instrumenta pontificia: scilicet ut qui testamentum faceret praelatus liberalem se exhiberet erga ecclesias, a quibus talia bona percepisset.

Visitatio episcopalis.

K. *Visitare quotannis* suam dioecesim omnesque et singulos in eadem locos sacros non exemptos, est officium episcopo jure Canonum impositum. Cui tamen quaedam moderamina sunt addenda, scilicet: *a.* quodsi visitatio singulis annis fieri nequeat, tunc quolibet saltem biennio instituatur; *b.* quodsi episcopus, ne ipse visitet, legitime fuerit impeditus, idoneus visitator ad hoc officium deputetur. [1] Episcopo autem visitanti certas procurationes, a sacerdotibus et ecclesiis visitatis tribuendas, assignant Canones. Hujusmodi procurationes solum in victualibus fieri antiquitus licebat, sed interdum in summam pecuniae conversae sunt, quae etiam non visitantibus erat persolvenda. Id tamen abusive factum, nullasque procurationes in numerata pecunia episcopis deberi, nisi ex speciali aliquo jure ab episcopali distincto eis competeret, non obscure docet Nicolaus papa IV a° 1289. [2] Idipsum jam antea Innocentius IV et Gregorius X papae quam gravissime inhibuerant. Verum Bonifacius papa VIII ita statuit: ut *volentibus visitatis* epicopus visitans posset in pecunia numerata recipere procurationes. [3]

Super hoc visitationis et procurationum officio duo episcopi Trajectenses dispensationem papalem impetrarunt: an. 1291 Johannes de Syrick (num. 402) et an. 1359 Johannes de Arkel (num. 1617). Quorum indultorum cardo duplex mihi esse videtur: tam ut episcopus per alium visitare sinatur, quam ut visitatione sive per seipsum sive per alium absoluta, procurationes in pecunia numerata recipere valeat. Porro Johannes de Arkel, Constitutioni Bonifacii papae VIII innixus, *volentibus visitatis* procurationes in pecunia numerata recipere utique poterat. Sed tunc episcopum de jure suo visitandi litem praecipue cum quinque capitulis Trajectensibus saepius movisse novimus. [4] Proinde an. 1359 indultum papale antistiti nostro datum eo praesertim inserviisse mihi videtur, ut jam facta communia juris moderamina etiam extenderentur quod ad contumaces atque episcopo visitanti vel ejus vices gerenti revera prodessent adversus cujuslibet contradictionem.

Quandoquidem archidiacono quoque suis in partibus competunt visitationis officium et intime cum hoc connexum jus procurationum, Nicolaus de Caputio an. 1361, cum sedem Trajectensem jamdiu resignasset, tamquam archidiaconus Daventriensis simile privilegium ad quinquennuum sibi obtinuit (num. 1669).

§ 4. De beneficiis ecclesiasticis.

Hanc ad materiam nostrorum diplomatum magnus sane spectat numerus. Si accuratiore calculo definire non taedet, diplomata saeculo XIV anteriora,

---

1) Decreti II Pars Causa X. Qu. I. cann. 10—11.

2) Ita Ducange *Glossarium* i. v. procuratio, quod dicitur a: procurare = excipere hospitio et convivio. 3) Sexti Decret. Lib. III. Tit. XVII. cap. 1—3.

4) Cfr. Moll *Kerkgeschiedenis* II. I. 149; *de Katholiek* a° 1895, CVIII. 8 seq.

quae de collatione, reservatione, permutatione beneficiorum vel de simili negotio agunt, ad numerum quinquaginta ascendunt, eaque ab an. 1300—1378 nongenta et septem computantur. Ergo in universum diplomata ut ita dicam beneficialia fere duas quintas partes Bullarii Trajectensis occupant.

Ad varios modos, quibus Romani Pontifices de beneficiis ecclesiasticis apud nos disposuisse leguntur, nonnulla concinne annotare expedit.

Jus conferendi beneficia.

A. *Collatio et reservatio beneficiorum ecclesiasticorum.* Jus hujusmodi collationis episcopo, in cujus territorio beneficia consistunt, nullique alii Canones antiquissimi attribuunt.[1]) Procedente autem tempore consuetudo invaluit, ut ad solum capitulum, secluso episcopi consensu, nonnullorum beneficiorum collatio spectaret.[2]) Ita quoque in ecclesia Majori Trajectensi provisio canonicatuum et praebendarum pertinuisse legitur „ad decanum et capitulum communiter"[3]), eademque lex apud reliquas ecclesias collegiatas viguisse merito supponitur (cfr. numm. 401, 528, 532). Porro collatio beneficii ecclesiastici est vel „libera," scilicet quando episcopus aut capitulum suo provisionis jure ad libitum uti sive quemcumque sibi acceptum in beneficio instituere potest; vel est „necessaria, non libera," quando collator de beneficio providere nequit nisi alicui personae, per tertium sibi praesentatae. Hoc quidem jus praesentandi etiam laicis, nominatim beneficii patrono, competere potest ac solet, sed minime obstat, quominus jus collationis proprie dictum sive „institutio tituli collativa" solis superioribus ecclesiasticis reservetur.[4]) Denique praenotandum hic videtur decretum Innocentii papae III, qui generalem adhibuit juris regulam, etiam in conferendis beneficiis inferioris negligentiam suppleri a superiore.[5])

Hisce praesuppositis facile colligitur, Summum Pontificem ut „Episcopum episcoporum" ex plenitudine Apostolicae potestatis habere jus conferendi in universa Ecclesia quaelibet beneficia eumque saepissime, quoties sibi opportunae rationes suaderent, hujusmodi suo jure fuisse usum. Jamvero saec. XIII Apostolica Sedes post acerrimam et diuturnam cum Frederico II imperatore dimicationem aere alieno magnopere erat gravata. Proinde, ut angustiis aerarii proprii quodammodo occurreret, supremum jus suum quod ad beneficia conferenda sibi vindicare coepit.[6]) Quod tamen initio nonnisi per modum exceptionis et in casibus particularibus fecisse videtur. Immo, ut stricte loquamur, non tam suum collationis jus applicare, quam potius aliquod beneficium vacaturum suae collationi reservare, de eodem cuidam personae praebendo mandatum ad executores vel ad collatores ordinarios mittere, „gratias exspectativas" largiri Romani Pontifices tunc solebant. Sic in Bullario nostro Honorius papa III executoribus mandasse legitur, ut G. pauperi subdiacono de praebenda in ecclesia S. Mariae Trajectensi provideri facerent (num. 79). Cujus utique praebendae collatio Papae hac vice competiit. Ex statuto enim, quod a° 1179 Concilium Lateranense III condidit, tuto concluditur donationem beneficii ultra annum jam vacantis ad Romanam sedem devolvi.[7]) Gregorius papa IX Willibrando episcopo

Summi Pontifices saec. XIII beneficia apud nos conferentes.

1) Decr. secunda Pars C. XVI. Q. VII. capp. 10—11; Decret. Greg. Lib. III. Tit. VII. cap. 3.
2) Decret. Greg. Lib. I. Tit. VI. cap. 31; Lib. III. Tit. VIII. cap. 2.
3) S. Muller *Het Rechtsboek van den Dom van Utrecht* II. n° 21.
4) Cfr. *Kirchenlexikon* i. v. *Collation* et *Collationsrecht.*
5) Decret. Greg. Lib. I. Tit. X. cap. 3.
6) Cfr. König *Die päpstliche Kammer* 1.
7) Cfr. Hefele-Knöpfler *Conciliengeschichte* V. 713; Decret. Greg. Lib. III. Tit. VIII. cap. 2.

Trajectensi Eiconem pauperem clericum commendavit, ut tamquam collator ordinarius dictum Eiconem quodam in sua dioecesi beneficio donaret (num. 122). Similes ad decanum et capitulum ecclesiae Sucaciensis destinavit literas pro magistro Rogero subdiacono (num. 135). Neque etiam Innocentius papa IV suprema sua auctoritate de beneficiis ecclesiasticis peremptorie apud nos disposuisse videtur, sed vulgo maluisse potius superiores vel collatores ordinarios ipsos intervenire. Hunc in modum epistolas misit ad Conradum de Hochstaden archiepiscopum Coloniensem, qui tamquam metropolita in suffraganea sua dioecesi de conferendo quodam beneficio disponeret (numm. 169, 181, 182, 183, 219); vel etiam ad executores, qui „praesentium litterarum latori" de beneficio in civitate vel dioecesi Trajectensi providere curarent (numm. 214, 218, 222, 231, 248, 249, 257); vel denique ad superiores ipsius ecclesiae, in qua cliens papalis canonicatum et praebendam obtineret (numm. 190, 247). Bis tantum accidisse novimus, ut praedictus Summus Pontifex in quadam ecclesia nostrae dioeceseos de canonicatu et praebenda alicui personae quamprimum conferendis peremptorie disposuerit (numm. 184 et 259).

Alexandri papae IV nullae omnino supersunt literae beneficiales, in dioecesim Trajectensem emanatae, ejusque successoris Urbani IV quinque tantum (numm. 292, 296, 300, 301, 302).

Summi Pontifices beneficia magis magisque sibi reservantes.

Moderatam hanc disciplinae rationem in conferendis et reservandis beneficis ecclesiasticis primus mutavit Clemens papa IV. Etenim Constitutione sua: „*Licet ecclesiarum*" d.d. 25 Augusti an. 1265, attendens quod „beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere, ita quod non solum ipsa, cum vacant, potest de jure conferre, verum etiam jus in ipsis tribuere vacaturis", praedictus Papa omnia et singula beneficia, „quae apud sedem ipsam [Apostolicam] deinceps vacare contigerit", suae collationi generatim reservavit. [1]). Eandem Constitutionem amplius explicuit Bonifacius papa VIII, qui statuit beneficium „apud curiam vacare" etiam in locis vicinis, i. e. „quae remota ultra duas dietas legales a loco, ubi moratur ipsa curia, non existunt." [2]) Idem fecit Clemens papa V, qui reservationem supra laudatam ad cathedrales quoque ecclesias expresse extendit. [3]) Hac ratione ulterius processit Johannes XXII, qui Constitutione: „*Ex debito*" praecepit, ut „in curia vacare" censerentur quaelibet beneficia Cardinalium et curialium ubicumque decedentium; immo quotquot in posterum, licet extra curiam, beneficia essent vacatura per depositionem, privationem, promotionem, translationem, consecrationem aut benedictionem, auctoritate pontificia immediate insecutas, propriae suae dispositioni reservavit. [4]) Similiter disposuit in Constitutione sua: „*Execrabilis*" quod ad beneficia, quibus utpote cum alio suo beneficio incompatibilibus renunciare deberent possessores. Quas reservationes omnes et singulas complexus est atque approbavit Benedictus papa XII Constitutione a° 1335 edita: „*Ad regimen Ecclesiae.*" [5])

Jam sufficit de generali Ecclesiae disciplina, quam tunc quod ad beneficia conferenda et reservanda Summi Pontifices, praecipue Avenionenses, condi-

1) Sexti Decret. Lib. III. Tit. IV. cap. 2. 2) Ibidem cap. 34.
3) Extrav. comm. Lib. III. Tit. II. capp. 3—4.
4) Ibidem Lib. I. Tit. III. cap. 4. 5) Ibidem Lib. III. Tit. II. cap. 13.

derunt. Quomodo autem nostris in partibus applicata fuerit, nonnulla saltem ostendant specimina. A Clemente papa IV ejusque in continuo successoribus usque ad Johannem XXII nullas omnino editas literas novimus, quibus in episcopatu Trajectensi beneficium ecclesiasticum directe collatum vel reservatum fuerit. Nil aliud legimus, quam Johanni de Syrick a Nicolao papa IV commissam esse facultatem, in singulis suae dioeceseos ecclesiis collegiatis non exemptis disponendi de canonicatu et praebenda (num. 401), eidemque mandatum fuisse a Coelestino V, ut Henrico de Sutvenia pauperi clerico in ecclesia S. Salvatoris Trajectensi de beneficio faceret provideri (num. 413). Deinde Clemens papa V nonnisi interveniente priusque supplicante Guidone episcopo quaedam in dioecesi Trajectensi beneficia contulit (numm. 518—519). At novam apud nos disciplinam in conferendis et reservandis beneficiis ecclesiasticis introduxit Johannes papa XXII, qui non solum intercedente ordinario episcopo de beneficiis Trajectensibus disposuit (v. gr. numm. 528, 532, 679, 683, 892), sed etiam suprema sua auctoritate ad libitum usus quamplura beneficia directe contulit suoque reservavit arbitrio. Quem plerumque adhibere solebat collationis modus erat: conferre in aliqua ecclesia canonicatum „cum plenitudine juris canonici," reservare autem praebendam quamprimum vacaturam, quam cliens papalis acceptandam putaret (v. gr. numm. 533, 561—564, 580). Hunc in modum illico conferri solum officium ecclesiasticum, non vero beneficium stricte dictum, quod suis cum proventibus usque ad datam occasionem exspectari oporteret, facile intelligitur.

Inter dignitates principales, quas nostris in partibus Summos Pontifices distribuisse novimus, silentio hic praeterire licet dignitatem tum episcopalem cum abbatialem; de utraque enim a Sede Apostolica identidem collata fuse jam egimus [1]). Restat igitur, ut de praepositura et de decanatu seorsum loquamur.

Major post episcopalem dignitas est praepositura (cui plerumque connectitur archidiaconatus) in ecclesia collegiata. Primum haec dignitas a Romano Pontifice apud nos collata fuisse legitur a° 1322, cum in ecclesia b. Mariae Trajectensi vacaret per obitum Henrici de Teghele, sed motu proprio, nulla scilicet canonica ratione urgente, jam antea collationi Sedis Apostolicae esset reservata (numm. 613—614). Idem Johannes papa XXII insuper disposuit de praepositura in ecclesiis Arnhemensi, Elstensi, Daventriensi (numm. 869, 871, 878). Dignitates apud nos a Papa collatae.

Similiter ordinavit Benedictus papa XII de praepositura b. Martini Trajectensis (num. 952), quippe quam ejus praedecessor collationi Sedis Apostolicae motu proprio reservasset. Item Clemens papa VI de praepositura b. Mariae, cum a° 1342 per mortem Ingeranni de Fiesses vacaret (num. 1036); de praepositura Embricensi, quam cum ecclesia parochiali incompatibilem Walramus de Moerse aliquamdiu possederat (num. 1122); de praeposituris Oldenzalensi et S. Salvatoris Trajectensis, sibi jam antea reservatis (numm. 1141 et 1185); de praepositura S. Petri Trajectensis utpute vacante per illegitimam occupationem (num. 1234); de praepositura Daventriensi, cum Anibaldo episcopo Tusculano defuncto esset vacua (num. 1389).

Quas deinde praeposituras usque ad an. 1378 Romanos Pontifices apud nos

---

1) Cfr. supra Introd. p. XXXI seq. et XXXVI.

contulisse novimus sunt: ecclesiae S. Salvatoris Trajectensis a° 1371 et iterum a° 1372 (numm. 1984 et 2039); S. Mariae atque S. Johannis, quae bis a Sede Apostolica collata fuisse legitur (numm. 1595, 1758, 2031); Daventriensis a° 1367 et denuo a° 1371 (numm. 1870 et 2009); Arnhemensis et Elstensis (numm. 2218, 2060, 2119); Embricensis ter (numm. 1539, 1566, 1853); Oldenzalensis a° 1372 et rursus a° 1376 (numm. 2044 et 2245).

Altera principalis dignitas, qua nulla caret ecclesia collegiata, est decanatus. Hanc dignitatem contulerunt Pontifices in ecclesiis: S. Martini Trajectensi a° 1332 atque iterum a° 1349 (numm. 870 et 1297); S. Salvatoris a° 1345 (num. 1142); S. Johannis a° 1354 et a° 1360 (numm. 1515 et 1650); S. Petri ab a° 1368 usque ad an. 1373 ter (numm. 1863, 1886, 2156); Daventriensi a° 1340 et a° 1371 (numm. 1194 et 2005); Embricensi a° 1348 et Oldenzalensi a° 1350 (numm. 1268 et 1366).

Aliorum beneficiorum collationes et reservationes papales.

Beneficiorum collationes proprie dictae, quas Bullarium Trajectense exhibet, longe pleraeque ad canonicatum cum praebenda, neque paucae ad ecclesiam parochialem, rariores denique ad vicariam vel simile beneficium inferius spectant. Cum rationis canonicae, ob quam hujusmodi collationes factae leguntur, multiplex sit varietas, cujusque generis aliquem titulum exempli gratia proferre lubet. Provideri fecit Johannes papa XXII titulo resignationis de canonicatu et praebenda ecclesiae Majoris Trajectensis (num. 749); titulo promotionis ad decanatum contulit scholastriam S. Salvatoris Trajectensis (num. 865); titulo obitus in curia papali assignavit canonicatum et praebendam Daventrienses (num. 772); occasione beneficiorum permutationis dedit ecclesiam parochialem de Oudekerk in Duvelandia (num. 893); titulo vacationis ultra terminum a Concilio Lateranensi praefixum donavit canonicatum et praebendam Oldenzalenses (num. 724). Singulis hisce modis ut beneficium aliquod apud curiam vacare censendum esset proindeque ipso facto Sedis Apostolicae collationi reservandum, Constitutiones supra laudatae jubebant.[1])

Non raro tamen, urgente nulla penitus ratione canonica, supremum suum reservationis jus alicui beneficio adhibere Summis Pontificibus placuit, idque vel cum beneficium nondum vacaret, vel cum jam vacaret quidem, sed nondum esset de novo legitime occupatum (v. gr. numm. 1051 et 613). Cujusmodi praevia reservatio, ut ita dicam, ex arbitrio vel „motu proprio" facta maximopere in usu erat, quoties conferebatur canonicatus sive officium, praebenda vero sive beneficium stricte dictum reservabatur. Provisio apostolica tali casu plenum tandem sortiebatur effectum, simul ac praebendam in assignata ecclesia vacantem „infra unius mensis spatium, postquam ..... vacatio innotuerit," acceptandam putaverit cliens papalis (cfr. num. 533).

Quae denique suae collationi quam frequentissime reservarunt Pontifices Romani sunt beneficia inferiora cum vel sine cura animarum. Hujus generis reservatio primum occurrit sub Innocentio papa IV (num. 218), sed procedente tempore magis in morem abiit atque sub Pontificibus Avenionensibus numero assidue crevisse videtur. Porro Clemens papa VI ejusque continui successores, vixdum munere consecrationis essent adaucti, petitionum quibus beneficium obtineretur copia permagna quasi obrui solebant. Quibus petitionibus saepius

1) Cfr. Introd. p. LII.

quam forte congrueret annuentes, clienti suo conferendum reservabant beneficium incertum, cujus dispositio spectabat ad alicujus ecclesiae capitulum vel monasterii conventum cujusque fructus annui certum valorem non excederent. Hujus valoris limites ad 25 marcas argenti, si beneficium haberet curam animarum annexam, ad 18 marcas, si beneficium esset sine cura, vulgo determinabantur (cfr. num. 1451 seq.).

Frequentium reservationum incommoda et damna.

Copiosa haec reservationum papalium multitudo quin plurimis taediis, querelis, litibus ansam dederit, dubitari non potest. Immo vicini nostri, qui a meridie incolunt, scilicet universus clerus Leodiensis dioeceseos, circa an. 1350 eo usque pervenerunt, ut enixis petitionibus, ad Clementem papam VI destinatis, de tali consuetudine lamentati et jam factas reservationes papales omnino revocandas expresse deprecati sint. [1]) Idem tamen mos sub Pontificibus Avenionensibus continuo floruit, atque „maxime circa promotionis ad Sedem Apostolicam exordia" acervatim reservabantur ecclesiastica beneficia. At quid mirum? Abundabat semper curia papalis clericis undique oriundis, qui ad beneficium obtinendum precibus suis Summum Pontificem fatigare non desistebant. Hujusmodi „precistarum" genus etiam in partibus nostris despectui fuisse, merito asseritur. [2]) Nam de ipso beneficio, quod avide ambire minime taeduerat, semel pacifice obtento, nedum de officio huic annexo nullatenus curabant, dummodo proventibus beneficii frui liceret atque suis interim studiis in extera quadam universitate vel aliis negotiis ad libitum se dedere.

Hoc autem modo beneficia ecclesiastica a nativa sua indole propriaque sorte quam facillime deficere illico patet. Ita nempe non remanet beneficium nisi emolumentum et commodum possessoris, penitus tamen tollitur tamquam officium ad laudem Dei Omnipotentis, in Ecclesiae decus et ornamentum, ad salutem animarum institutum. Profecto dum isto tempore precistarum genus tam laete crescens videmus, multiplex damnum Ecclesiae sic illatum non possumus non dolere aptissimeque Philippi Rovenii redargutione uti congruit: „Quot viri ecclesiastici, qui totos dies ociosi vagantur, magnatum aulas et palatia obsident, venantur beneficia et cum deberent esse piscatores hominum, fiunt piscatores praebendarum, pro quibus saepe litigando se et sua perdunt et consumunt." [3])

Quod ad pluralitatem beneficiorum disciplina ecclesiastica.

B. *Dispensatio super pluralitate beneficiorum* saepissime in Bullario nostro occurrit. Porro simultaneam complurium beneficiorum possessionem jam in Canonibus antiquissimis vetitam legimus. [4]) Eandem Decretales Gregorii papae IX et diversae ejus successorum Constitutiones identidem prohibent. [5]) Ut autem bene intelligatur, quomodo beneficiorum pluralitas juri canonico repugnat, distinguendum est inter beneficia duplicia et simplicia. Sunt beneficia duplicia, quibus praeter commune chori aut altaris servitium aliae partes inhaerescunt: veluti dignitates, quibus insuper jurisdictio spiritualis, personatus, quibus honoris

---

1) *Analectes pour servir à l'hist. eccl. de la Belgique* XV. 28 seq.

2) Cfr. Moll *Kerkgeschiedenis* II. I. 399 seq.

3) *Tractatus de Missionibus* (Lovanii 1624) p. 4.

4) Decr. prima Pars Dist. LXX. can. 2 et Dist. LXXXIX. can. 1; secunda Pars Causa XXI. qu. I. cann. 1—2.

5) Decret. Greg. Lib. III. Tit. IV. cap. 3 et Tit. V. capp. 7, 14, 15, 28; Sexti Decret. Lib. I. Tit. XVI. cap. 1; Extravag. Jo. XXII. Tit. III. cap. 1 et Extrav. commun. Lib. III. Tit. II. cap. 4.

praeeminentia sive praecedentia, officia, quibus bonorum ecclesiasticorum administratio, denique beneficia curata, quibus cura animarum est annexa. Hujuscemodi beneficiorum unum et solum retinere eodem tempore licet, nisi quis dispensationem ab ipsa Sede Apostolica desuper esset adeptus. E contrario beneficia simplicia complura simul obtineri posse, jus ecclesiasticum passim tacite videtur innuere.[1]) Immo in Constutione laudata: „*Execrabilis*" Johannes papa XXII beneficium curatum cum beneficio sine cura simul retinendum clericis diserte permisit (§ Statuimus). Similem fere disciplinam observandam inculcavit Synodus dioecesana an. 1310 Ultrajecti celebrata, in qua Guido episcopus expresse prohibuit: „ne aliquis presbyter duabus ecclesiis .... deserviat."[2])

Dispensationes desuper erogatae. Verumtamen super lege tam salutari etiam in partibus nostris saepissime fuisse dispensatum, Bullarium Trajectense clare demonstrat. Hac in re Sedis Apostolicae venia primus fruitus esse legitur Willibrandus episcopus, cui an. 1228 Gregorius papa IX concessit facultatem cum quattuor clericis suis dispensandi super pluralitate beneficiorum (num. 120). Insuper Henrico decano Majoris ecclesiae Trajectensis, ut complura beneficia eorumque nonnulla cum animarum cura annexa retinere liceret, an. 1236 indultum est (num. 149). Eandem gratiam apud nos septies concessisse legitur Innocentius papa IV, sed ejus successores continui parce admodum elargiti fuisse videntur, donec tandem sub Pontificibus Avenionensibus dispensandi liberalitas in hac quoque re magis magisque proficeret. Etenim praeter dispensationes, quas super beneficiorum pluralitate in forma expressa saepius concesserunt Pontifices Avenionenses, maximam hic oportet rationem habere clausulae in literis provisionis subinde occurrentis: „Non obstantibus," quandoquidem talis clausula, quoties opus erat, una cum collatione vel reservatione novi cujusdam beneficii efficere solebat dispensationem, retinendi alia beneficia jam dudum legitime occupata (v. gr. num. 1039). Nonnunquam tamen in hac dispensandi liberalitate aliquo moderamine usi sunt Summi Pontifices, qui Avenione sedem habuerunt, idque prae caeteris Urbanus papa V, subjungendo in literis provisionis conditionem summopere congruam: dummodo cliens papalis, quamprimum beneficium sibi de novo assignatum integre et pacifice esset assecutus, omnino dimitteret alterum beneficium, praesertim siquod haberet curam animarum annexam (v. gr. numm. 1741, 1758, 1767).

Nihilo secius beneficiorum pluralitas nostris in partibus in morem abire pergebat eamque tamquam abusum potius quam usum licitum merito redarguerunt viri ecclesiastici, qui saec. XIV morum gravitate apud nos excelluisse noti sunt, veluti Gerardus Magnus et Dionysius Carthusiensis.[3])

Residentiae in beneficiis disciplina. C. *Dispensatio super personali in beneficiis residentia* spectat ad illos, qui beneficio residentiali pollent sive beneficio, cujus onera nonnisi in ipsa ecclesia rite expleri queunt. Ad quod genus maxima beneficiorum ecclesiasticorum pars utique pertinet. Porro „de clericis non residentibus in ecclesia vel praebenda" jus Canonum summatim ita statuit: qui non residet apud suam ecclesiam, beneficio privetur. Interim a lege residentiae excusandi censentur,

---

1) Cfr. Sexti Decret. Lib. I. Tit. III. cap. 7.
2) *Batavia Sacra* I. 175. 3) Cfr. Moll *Kerkgeschiedenis* II. IV. 125 seq.

qui sunt in servitio episcopi, qui ex indulto Apostolico studiis incumbunt, qui tamquam familiares Papae deserviunt.[1]) Cui disciplinae generali optime conveniunt non tantum *Statuta ecclesiae Trajectensis*[2]), sed verisimiliter quoque reliquorum capitulorum in nostra dioecesi consuetudines. Statuta praedicta sic decernunt: qui sola voluntate propria se ab ecclesia absentaverit, a decano cum capitulo poterit compelli ad residendum, quodsi contumaciter recusaverit, beneficio suo privari. Continua autem residentia in ecclesia Majori Trajectensi non requirebatur nisi „causative," scilicet ut praebendarum integri fructus percipi possent. Deinde residentiae legem ita distinguere juvat: ut libertatibus aliisque praerogativis canonicus gaudere valeat, „per unum annum integrum continuam residentiam fecerit in civitate Trajectensi et eidem ecclesiae nostrae in suo ordine servierit" necesse est; et haec dicitur residentia prima. Secundam vero residentiam fecisse censetur, qui per majorem anni partem adfuerit, exceptis sex (postea tribus) septimanis et non amplius, quibus habita capituli licentia abesse poterit. Ita residens integros suae praebendae fructus percipiet. Similiter qui „licentia fratrum ierit in peregrinatione causa orationum;" qui „causa metus, infirmitatis corporalis, prosecutionis litis" pro beneficio suo sustinendae abfuerit; qui de consensu capituli studio literarum alibi incumbit; qui „propter necessitatem vel utilitatem ecclesiae nostrae et dioecesis Trajectensis vel episcopi" abierit; denique qui privilegio gaudent Apostolico, ut absentes beneficii sui proventibus frui liceat, — omnes hi perinde ac si personaliter residerent, integros sui beneficii fructus percipere poterant, exceptis solis distributionibus quotidianis, „quae ex sua institutione corporalem exigunt praesentiam."[3])

Hac in re dispensationes.

Quibus praesuppositis facile colligitur, dispensationis super residentia personali privilegium, quod Bullarium Trajectense saepius exhibeat, cum ecclesiastica tam generali quam particulari, quae in dioecesi nostra viguerit disciplina passim consentire. Quoties tale privilegium clericis familiaribus alicujus principis vel praelati concedi legimus, merito dici potest, liberaliore modo fuisse adhibitum legis moderamen assertum canonicis, quos propter utilitatem ecclesiae abesse contingeret. Sic hujusmodi favorem ad certum tempus (plerumque ad triennium) pro nonnullis clericis suis familiaribus (puta: quattuor aut sex) obtinuerunt Hollandiae comites Wilhelmus II Romanorum rex, Johannes II, Wilhelmus III isque tribus successive vicibus, Wilhelmus IV (numm. 196, 449, 477, 586, 726, 1054), comitissa Johanna de Vallesio eaque bis (numm. 813 et 892), Gelriae comites Reynaldus I ejusque uxor Margareta et bis Reynaldus II (numm. 453, 454, 756, 853), Fredericus de Syrick episcopus atque Ademarus de Rupe praepositus S. Salvatoris (numm. 554 et 2089).

Similiter in residentiae lege favore pontificio frui leguntur Thilmannus de Tungris et Henricus Boye canonici Daventrienses, Georgius de Rotariis et Robertus Ayme canonici Trajectenses, Adam Hobbonis de Catwyk rector ecclesiae parochialis de Emelisse (numm. 568, 637, 708, 1301, 2117); quibus singulis moderamen, quod clericis literarum studio insistentibus vulgo

---

1) Decret. Greg. Lib. III. Tit. IV. capp. 1—17.
2) S. Muller *Het rechtsboek van den Dom* 198 seq.
3) Muller l.l. 198, 201, 202, 221.

asseritur, merito poterat adaptari. Insuper dispensationem super residentia personali erogatam legimus canonicis Johanni de Pistorio, Gerardo Naldekin, Ademaro de Rupe (numm. 1042, 1411, 2087), quippe qui inter familiares Summi Pontificis jure computentur. Tandem ad genus clericorum, qui propter utilitatem ecclesiae suae absunt, non immerito revocari potest Johannes Michaelis de Machlinia canonicus b. Mariae Trajectensis (num. 900), quandoquidem urbs Machliniensis, cujus negotiis insistendo canonicatus sui fructus licite percipere valeret, tunc erat tessera diuturnae et acerrimae inter principes nostros dimicationis.[1])

Solus igitur restat Albertus dictus Hovel canonicus Embricensis, quicum nulla juridica ratione expressa super lege residentiae dispensatum fuisse legimus (num. 821). Unde recte deducimus, Romanos Pontifices hac in re ad disciplinam nostris in partibus vigentem prudenter se accommodasse. Profecto bis tantum eos a consuetudine ecclesiae Trajectensis declinasse novimus, quum Reynaldo S. Adriani et Jacobo S. Georgii ad Velum Aureum diaconis Cardinalibus, qui in ecclesia Majori erant canonici, privilegium in lege residentiae primae et in obtinendo „anno gratiae"[2]) concesserunt (numm. 1498, 2211—2213). Ceterum vero quam parcissime facultate sua dispensandi super residentia personali nostris in partibus fuisse usam Apostolicam Sedem, Bullarium satis demonstrat.

Illegitimi an et quomodo obtinere possunt beneficia.

D. *Dispensatio super defectu natalium* duplex (vel triplex, si mavis) in jure canonico distinguitur: una quae ab episcopo erogari potest quaeque sufficit, ut illegitimus aliquis ad ordines promoveatur minores et beneficium simplex, cui cura non imminet animarum, possit obtinere; altera quae ad majores quoque ordines suscipiendos et ad dignitates, personatus, alia beneficia cura animarum conjuncta requiritur cujusque largiendae nonnisi Apostolicae Sedi facultas competit. „Ille vero, cum quo per Sedem dispensatur eandem, ut praemisso non obstante defectu valeat ad beneficium, etiam si curam animarum habeat, promoveri, nequit praetextu dispensationis hujusmodi nisi unicum beneficium obtinere."[3]) Ut igitur illegitimus quis plura beneficia posset obtinere, speciali opus erat dispensatione, quae ad tertiam speciem revocanda videtur.

Ad secundam ergo speciem dispensationum super natalium defectu, quas Bullarium nostrum exhibet, pars longe major respicit. Qui tali dispensatione indiguisse leguntur plerique sunt filii presbyterorum. De hisce porro jus Canonum speciatim vetat, ne quis illegitimus instituatur in beneficio ecclesiastico, in qua immediate prius institutus fuerat ejus pater. Etenim tamquam abusum pessimum „successionem in ecclesia Dei haereditariam detestatur"[4]) Apostolica Sedes. Quod in dioecesi Trajectensi evidenter ostendit Bonifacius papa VIII, quippe qui Wilhelmo Bertholdi episcopo facultatem impertiverit, revocandi bona ecclesiastica, quae sacerdotes suis filiis filiabusque relinquere attentassent (num. 423). Unde qui presbyterorum filii super defectu natalium dispensatione pontificia rite gaudebant, nonnisi in alia, quam ubi pater beneficium obtinebat, ecclesia erant instituendi. Insuper ne in ecclesia cathedrali Trajectensi cano-

---

1) Cfr. J. P. Arend *Algemeene geschiedenis des Vaderlands* II. II. 100 seq.
2) Cfr. Muller l.l. 194 seq.
3) Cfr. Decret. Greg. Lib. I. Tit. XVII. cap. 18; Sexti Decret. Lib. I. Tit. XI. cap. 1.
4) Decret. Greg. l.l. capp. 7, 11, 16.

nici admitterentur filii presbyterorum, nisi dispensatio Apostolica id expresse indulsisset, a° 1297 severe prohibuit Wilhelmus Bertholdi episcopus.[1])

Tandem hic notare juvat, dispensationis super tali defectu literas papales, quas ad secundam speciem referendas supra dixi, alicui praelato (plerumque episcopo ordinario vel ejus vices gerenti) tamquam executori fulminandas vulgo committi (cfr. numm. 384, 462, 618, 737, 859, 890, 1006—1030 etc); dum bis tantum contigisse novimus, hujus speciei dispensationem ad ipsum oratorem directe fuisse destinatam (numm. 459 et 678). E contrario, tertiam hujusmodi dispensationis speciem, ut quis illegitime natus plura beneficia posset obtinere, non ad executorem, qui fulminationem obiret, sed ad ipsum oratorem inscribi mos erat (cfr. numm. 166, 471, 510, 1101, 1239 etc.).

Corollarium.

Sane hoc caput caeteris amplius et clarius ostendit, praesertim saec. XIV nimis proh dolor! in dioecesi Trajectensi relaxatam fuisse ecclesiasticam disciplinam. Quot enim sacerdotum vel saltem virorum, qui sacro erant Ordine initiati, illegitimi filii super defectu natalium papalem dispensationem obtinuisse leguntur. At magis adhuc lapsa tunc morum disciplina revelatur, quod insuper clericos simili defectu laborantes, qui ut beneficio simplici minoribusque Ordinibus manerent contenti, ipsum episcopum precibus adiverint, minime raros fuisse tuto conjicere liceat.

III.

DE REBUS RATIONIBUSQUE,

Tertiae partis in duas sectiones divisio.

quibus dioecesis nostra Trajectensis cum Romano Pontifice usque ad an. 1378 conjuncta erat, hujus Introductionis tertiam partem, ut initio suscepimus, finem habere convenit. Quandoquidem in quavis necessitudine „terminum a quo" atque „terminum ad quem" recte philosophi distinguunt, eodem fere modo assidua inter Apostolicam Sedem et dioecesim Trajectensem conjunctio secerni potest. Hujus porro conjuctionis „terminus a quo" utique dicenda est suprema quae Romano Pontifici in Ecclesiam universam competit auctoritas. Et sic accipienda sunt quotquot a Sede Apostolica nostras in partes emanata novimus mandata, privilegia, legationes. Deinde vero episcopatus Trajectensis existimari potest non solum ejusdem necessitudinis „terminus ad quem," sed etiam „terminus a quo," tametsi secundarius. Et sic consideranda sunt quotquot nostris ex partibus in papalem curiam prodiisse leguntur preces, officia, appellationes, domestici familiares.

Proinde qua in secunda Introductionis parte egimus ratione, ita hanc tertiam quoque partem quod ad materiam bipartito secernere praestat. Cujus ergo prima sectio aget de iis, quae a Romana curia in dioecesim Trajectensem emanaverunt, altera autem de iis, quae nostris e partibus ad solium pontificium ascendisse notum est.

Sectio prima.

Quae in dioecesim Trajectensem a Summis Pontificibus diplomata emanaverunt, supremam eorum auctoritatem magnopere apud nos valuisse satis et

1) Muller l.l. 50—52.

abunde probant. Quanti enim momenti papalis fuerit auctoritas tum in negotiis civilibus cum praesertim in rebus sacris, jam supra diffuse ostendimus.[1]

Literae papales nondum omnes et singulae residuae.

Idcirco tamen nemo putet, se fontes, quibus Summorum Pontificum apud nos auctoritas cognoscatur, penitus exhausisse. Nam longe abest, ut quotquot in dioecesim Trajectensem Romana curia ediderit diplomata Bullarium quoque nostrum exhibeat, quandoquidem dubitari non potest, quin multo plures quam mihi undique investiganti reperire contigit literae pontificiae revera prodierint. Ipsa porro Bullarii nostri diplomata identidem mentionem faciunt cujusdam papalis epistolae, quae temporis injuria deperiisse videtur. Bullae hujusmodi, quae adhuc commemorantur quidem, minime vero aetatem tulerunt, ante saec. XIV ascendunt ad numerum octo,[2] eaedemque ab an. 1300—1378 fere quinquaginta computantur.[3] Sed in aliis etiam libris impressis subinde mihi occurrit fieri mentionem nonnullarum bullarum, quas frustra invenire conatus essem. Sic verbi gratia quo ecclesiastica patriae nostrae historia praecipue tractatur liber *Batavia Sacra*[4] nuncupatus indulgentias laudat a Clemente V et Innocentio VI concessas ecclesiis parochialibus in Haarlem et in IJsselsteyn. Attamen utraque quae hanc ad rem pertinet bulla nusquam reperiri jam potuit. Idemque qui *Bataviae Sacrae* auctor Hugo van Heussen in altero suo opere principali: *Historia episcopatuum Foederati Belgii*[5] nonnunquam de quibusdam bullis pontificiis diserte loquitur, quae tamen in Bullario Trajectensi desiderantur. Ex paucis his exemplis jam tuto concludimus, majorem sane partem literarum papalium usque ad an. 1378 editarum nobis jam praesto esse, minime autem omnes et singulas, ita ut amplitudinem auctoritatis, qua Summi Pontifices tunc apud nos pollebant, peremptorie definire vix liceat.

Eademque nostra opinio tanto magis patescit, siquis considerat, per diplomata in nostro Bullario exhibita solum manifestari Romanorum Pontificum auctoritatem, quoties ut directe interveniret accidisse noverimus. Attamen permultis in negotiis auctoritatem suam non directe, sed potius indirecte, interponere solebat Apostolica Sedes, scilicet per legatos suos et nuncios, Crucis praedicatores, decimae collectores, bonorum conservatores, causarum judices. Ut igitur quae in dioecesi Trajectensi olim viguit auctoritatis papalis amplitudo plenius intelligatur, de singulis qui nostras in partes a Summo Pontifice missi leguntur, disserere oportet.

Quinam apud nos fuerunt legati et nuncii papales.

A. *Legati et nuncii papales.* Amplissimo hoc munere primum apud nos ornati quodammodo dici possunt: a° 1124 Wilhelmus episcopus Praenestinus, quem clero per Galliam et Germaniam constituto Calixtus papa I suum commendavit nuncium (num. 2271); a° 1137 Albero archiepiscopus Trevirensis, qui Apostolicae Sedis legatus in Coloniensem aliasque Germaniae provincias depu-

---

1) Introd. Pars II.

2) Cfr. numm. (32), ubi laudatur bulla Anastasii papae ad abbatiam Middelburgensem, 49, 78—80, 167, 193, 230, 356, 368.

3) Cfr. numm. 440 (bis), 458, 509, 596 (bis), 661 (bis), 771, 782, 787, 1068 (bis), 1090, 1101, 1114, 1204, 1207, 1239, 1241, 1361, 1449, 1573, 1630, 1687, 1691, 1784, 1785, 1811, 1842, 1872, 2017, 2026, 2028, 2060, 2074, 2075, 2090, 2120, 2123, 2126, 2132 (bis), 2133, 2159, 2187, 2192, 2197.

4) Editio an. 1714 Pars II. 155, 290, 424.

5) Ed. an. 1719 Ultraject. 503 et Middelb. 7; *Kerkel. Historie en Outheden* (Zeeland) IV. 13.

tatus est (num. 15—16); a° 1138 Thitwinus S. Rufinae Cardinalis episcopus, qui una cum Alberone praedicto ac eadem fungens legatione diplomati donationis a Conrado rege III factae ipse subscripsit. [1]) De hisce vero papalibus legatis nihil aliud compertum nobis est.

Deinde a° 1152 occurrit anonymus „Cardinalis quidam a latere Papae delegatus," qui Hermanno Hornio et Frederico de Havell infulam Trajectensem aemulantibus „citavit utrosque electos Leodium, ubi praefatus Hermannus per eundem Cardinalem et regem Conradum adeptus fuit pontificium." [2])

Quorum postea vel in Bullario nostro vel alibi fit mentio legati papales sunt:

Guido episcopus Praenestinus, coram quo an. 1202 Henricus dux I Lotharingiae atque Otto comes I Gelrensis apud Trajectum ad Mosam pacis compositionem fecerunt. [3]) Huic etiam legato commisit Innocentius papa III, ut Willebrandum episcopum Trajectensem ad solvenda debita compelleret (num. 45). Qua in causa an. 1208 adhuc intervenisse leguntur Hugo Ostiensis episcopus et Leo tit. S. Crucis presbyter Cardinalis (num. 48).

A° 1225 Pelagius Galvanus episcopus Albanensis adversus eos, qui in partibus nostris pecuniam Terrae Sanctae debitam ad propria reportaverant, excommunicationis pronunciavit sententiam (num. 110).

A° 1226 Conradus episcopus Portuensis inter Ottonem II episcopum Trajectensem atque tam Gerardum III Gelriae quam Florentium IV Hollandiae comites concordiae pacta stabilivit. [4]) Idem quoque legatus negotio Terrae Sanctae apud nos promovendo operam dedisse traditur (num. 105) [5]); contra clericos provinciae Coloniensis cum mulieribus religiosis fornicaturos excommunicationis sententiam promulgavit (num. 305); episcopis Trajectensibus advocatiam Sallandiae suo munimine asseruit [6]); ecclesiam Sutphaniensem indulgentia donavit et conventum ordinis Cisterciensis apud Daventriam construendum permisit [7]); Fredericum S. Pauli abbatem regimine destituit (num. 114).

A° 1234 Petro de Supin scriptori papali in partes nostras et vicinas commissa est legatio, ut generalem Ecclesiae conditionem exponeret auxiliumque ei conquirere satageret (numm. 144—145).

A° 1245 Jacobus episcopus Praenestinus Guidonem antistitem Cameracensem, ut causam de limitibus dioecesium Trajectensis et Tornacensis tamquam arbiter audiret decerneretque, suis literis delegavit (num. 157).

A° 1246 Philippus electus Ferrariensis pro Henrico praeposito Trajectensi et Xanctensi beneficiorum conservator deputatus est (num. 186).

A° 1247 et per aliquot annos proxime sequentes Petrus de Caputio S. Georgii ad Velum Aureum diaconus Cardinalis ut praecipuus Wilhelmi Romanorum regis adversus Fredericum II fautor atque socius nobis jam innotuit. [8])

---

1) Muller *Oudste Cartularium* 128; *Oorkondenb. van Holl. en Zeeland* I. 77. n° 121.

2) Beka *Chronica* 52.

3) Sloet *Oorkondenb. van Gelre* I. 405. n° 400.

4) Diplomata d d. 1226 Januar. 26—27 *Oorkondenb. van Holl. en Zeeland* I. 170. seq. n° 294—295 et apud alios; cfr. Vermeulen *Inventaris* 67.

5) Cfr. Moll *Kerkgeschiedenis* II. I. 24.

6) Vermeulen *Inventaris* 70.

7) Sloet *Oorkondenboek* I. 485. n° 479 et 486. n° 481.

8) Cfr. supra Introd. p. XVIII.

Inter negotia civilia, quae cum regio suo cliente tractasse supra relatus est, hic solum fiat mentio utriusque diplomatis, quo theloneum de Lobith atque castrum de Novomagio Ottoni II Gelrensi comiti a Wilhelmo rege rite concessa confirmavit.[1]) Sed in ecclesiasticis etiam rebus auctoritatem suam apud nos saepius interposuisse idem legatus traditur: capitulis Trajectensibus tria statuta approbavit[2]) (num. 263); donationem ecclesiae S. Nicolai hospitali Theutonicorum in Trajecto factam suo assensu communivit;[3]) monialibus abbatiae b. Mariae Rynsburgensis quandam super lege jejunii dispensationem erogavit;[4]) Henricum de Gelria S. Salvatoris praepositum episcopum Leodiensem eligendum curavit;[5]) contra clericos concubinarios in dioecesi Trajectensi saluberrimum condidit statutum (num. 210); una cum Wilhelmo rege et Conrado archiepiscopo Coloniensi adfuit synodo Ultrajectensi, ubi Goswinus de Amstel electus episcopatui renunciavit et ubi „dominus Cardinalis ad postulationem archiepiscopi Coloniensis ex nunc Henricum de Vianden cathedrari jussit."[6])

A° 1250 Petrus episcopus Albanensis compositioni inter Wilhelmum Romanorum regem et Margaretham comitissam Flandriae tamquam primus testis subscripsit eandemque postea expresse confirmavit.[7])

A° 1252 Hugoni tit. S. Sabinae presbytero Cardinali Innocentius papa IV commisit, ut conventui b. Mariae in Rynsburg quasdam prolixas orationes omittendas indulgeret (num. 241). Eodem legato praesente Wilhelmus rex inter seipsum et capitulum S. Johannis Trajectensis abbatem S. Trudonis arbitrum nominavit,[8]) ipsoque jubente Albertus de Loginge lector Coloniensis ord. Praedic. de retinenda ecclesia S. Nicolai commendatori et fratribus domus Theutonicae in Trajecto veniam impertivit.[9])

A° 1265 Ottobonus S. Adriani diaconus Cardinalis et Simon tit. S. Caeciliae presbyter Cardinalis in Coloniensem aliasque vicinas provincias missi sunt (numm. 312, 313, 316, 321); atque a° 1267 eadem legatione functus Guido S. Laurentii in Lucina presbyter Cardinalis pro reparando monasterio S. Mariae in Horst indulgentiam concessit.[10])

A° 1270 Bernardus de Castaneto capellanus et nuncius papalis Ottonem comitem Gelrensem, quippe qui Engelberti Coloniensis archiepiscopi in captivitatem ducti conscius esset, excommunicatum ejusque dominium interdicto suppositum declaravit.[11])

A° 1287 Johannes episcopus Tusculanus suum delegavit capellanum Philippum de Castegnolis, qui cum Trajecti injuriis esset affectus, scultetum et scabinos nominatim excommunicavit totamque civitatem, nisi infra mensem condigne sibi satisfieret, interdicto supponendam decrevit.[12])

A° 1321 „ad Remensem provinciam pro parte illa, quae de regno Franciae non existit," destinatus est Johannes de Pinu, cujus excessus accu-

---

1) Sloet *Oorkondenb.* II. 684. n° 681 et 692. n° 693.
2) Vermeulen *Inventaris* 152—153; Muller *Oudste Cartularium* 211.
3) De Geer *Archieven* I. 218—219.
4) *Oorkondenb. van Holl. en Zeeland* I. 322. n° 601. 5) Meerman l.l. I. 237.
6) Beka *Chronica* 83. 7) *Oorkondenboek* l.l. n° 514 et 519.
8) L.l. n° 574 et 594. 9) De Geer *Archieven* I. 216.
10) Sloet *Oorkondenb.* II. 881. n° 905. 11) Sloet l.l. 893. n° 922.
12) Vermeulen *Inventaris* 410 et 417; S. Muller *Regesten van het Archief der stad Utrecht* (Utr. 1896) 53—54.

savit Wilhelmus Hollandiae comes III atque Johannes papa XXII se debite puniturum esse respondendo promisit (num. 598).

A° 1328 ad eundem Wilhelmum comitem Arnaldus Regis et Arnaldus de Sancto Genesio missi sunt nuncii papales (num. 750); deinde a° 1334 Hugo Tricastrinus et Johannes Massiliensis episcopi, qui paci inter principes nostros reparandae operam darent (num. 899); a° denique 1342 ad terras Wilhelmo comiti IV subjectas extensum est legationis officium Petro Praenestino et Anibaldo Tusculano episcopis (num. 1050).

A° 1357 Philippus episcopus Cavallicensis deputatus est nuncius in partes Alamanniae, ubi cathedrales ecclesias earumque personas visitaret et reformaret (numm. 2288—2289). At utrum apud nos etiam suo fuerit munere functus necne, nusquam apparet.

A° 1359 Innocentius papa VI inscripsit Folkero episcopo Gibelethano, qui tunc Johannis de Arkel suffraganeus erat, ut „apostolicae sedis nuncio" eidemque bona pro defensione Terrae Sanctae legata exigenda et recipienda commisit atque facultatem concessit vendendi et distrahendi quae in dioecesi Trajectensi ad Cameram Apostolicam bona pertinerent (numm. 1620 et 1622).

A° 1364 occurrit Petrus episcopus Cameracensis, qui tamquam nuncius papalis Albertum de Bavaria Hollandiae gubernatorem ejusque adversarios reconciliare studeret (numm. 1786, 1787, 1816, 1818—1821); tandem an. 1371—1372 in partibus Alamanniae nuncius fuisse legitur Wilhelmus de Lacu (numm. 1896, 2044, 2245).

Omnes hi legati vel nuncii papales quin Apostolicae Sedis auctoritati confirmandae et propagandae strenue incubuerint, dubitari non potest. Quorum acta et diplomata nisi quod ad maximam partem injuria temporis deperiissent, auctoritatis papalis, quae tunc apud nos viguit, plenam amplitudinem non parum sane illustrarent.

Quinam fuerunt Crucis praedicatores.

B. *Crucis praedicatores* sunt viri ecclesiastici, quibus a Summo Pontifice injunctum erat officium praedicandae Crucis, i. e. animos fidelium incitandi, ut signum Crucis assumerent vel ad Terram Sanctam e potestate paganorum liberandam vel ad aliam quamlibet expeditionem sacram promovendam. Qui saec. XIII apud nos Crucem praedicaverunt nonnulli jam noti erant: imprimis famosus ille Oliverius scholaster Coloniensis, deinde Johannes decanus Osnabrugensis, ordinis Minorum fratres Wilbrandus et Gerardus, Edmundus vicarius generalis, Baldewinus episcopus suffraganeus antistitis Trajectensis.[1] Paucis his viris nunc alia quaedam nomina, ex Bullario nostro deprompta, addi possunt, scilicet:

Hermanno decano Bunnensi una cum Oliverio praefato, ut in provincia Coloniensi expeditionem sacram quartam vulgo nuncupatam praepararent, Crucis praedicandae officium commisit Innocentius papa III (numm. 58—59); E. abbatem Middelburgensem a° 1225 Crucis praedicatorem deputatum fuisse legimus (numm. 110—112); archiepiscopo et episcopis suffraganeis provinciae Coloniensis, ut in sua quisque dioecesi subditos ad signum Crucis suscipiendum animarent, injunctum reperimus a° 1228 (num. 118), a° 1260 (num. 284), a° 1274 (num. 329), denique a° 1308 (num. 482).

---

1) Cfr. Moll *Kerkgeschiedenis* II. I. 22 seq.

Simili munere insigniti deinde occurrunt an. 1248—1249 Hido provincialis fratrum Praedicatorum, prior eorum fratrum et custos fratrum Minorum Trajectensium, Lubbertus abbas Egmundensis (numm. 207 et 211); a° 1264 Henricus de Vianden episcopus Trajectensis, cui in sua et Leodiensi dioecesibus ad succurrendum principatui Achayae praedicatio Crucis commissa est (num. 298); iterum a° 1274 prior provincialis fratrum Praedicatorum in provincia Coloniensi (num. 331).

Quamvis de modo, quo laudati Crucis praedicatores sui officii munus persolverint, parum aut nihil documenta nostra tradant, eos tamen auctoritati papali stabiliendae et propagandae multum conduxisse non dubium videtur. Erant enim ab ipso Romano Pontifice ad praedicandam Crucem deputati, qua de missione totam suam ipsorum auctoritatem et dignitatem mutuabantur, ita ut nonnisi Apostolicae Sedis potestatem urgendo et extollendo sua propria quoque uti valerent. Porro multifarium Crucis praedicatoribus incumbebat officium. [1]) Quibusnam facultatibus uterentur, varia Bullarii nostri diplomata edocent: poterant excommunicationis et interdicti sententias tum solvere cum infligere (numm. 94, 96, 110); per censuram ecclesiasticam, si necesse foret, ad arripiendum iter sacrum compellere (num. 207); votum Crucis relaxare et commutare (numm. 112 et 197); suam audientibus praedicationem indulgentias impertiri (numm. 221 et 331); pecuniam in subsidium Terrae Sanctae legatam vel alias deputatam colligere et servare (numm. 110—111). Unde facillimus nobis fit aditus ad aliud officium, quod cum munere praedicandae Crucis saepe connexum [2]) exercere solebant:

Decimarum origo atque ratio.

C. *Collectores papales.* Expeditiones sacrae, quas tum ad liberandam Terram Sanctam cum etiam ad haereticos comprimendos vel alios Ecclesiae hostes impugnandos ab exeunte saec. XI identidem provocarunt Summi Pontifices, ingentia afferebant impendia eaque publice sustineri fas erat. Proinde in subsidium Terrae Sanctae suis a subditis speciale tributum exigere primum a° 1147 coepit Ludovicus rex VII Galliae. Cujus exemplum sua quisque ratione imitati fuisse traduntur in Anglia Henricus rex II, in Germania vero Philippus Suevus. Mox eundem agendi modum, initio non sine cauta prudentia, gradatim autem magna cum industria, abhibendum putaverunt Pontifices Romani, qui in bellis sacris pro liberatione Terrae Sanctae toties gestis summi duces atque instinctores erant assidui. Aerarii angustiis oppressa expeditiones sacras promovere non poterat Apostolica Sedes, nisi a clericis sibi subditis nonnunquam specialia exigeret stipendia. Pedetentim itaque mos invaluit, levandi „decimam proventuum ecclesiasticorum," quam etiam „decimam cruciatae" vel „Terrae Sanctae" vulgo appellabant. [3]) Porro collectores, qui hujusmodi decimam vel alia tributa Curiae papali solvenda ubique reciperent, administrarent, tempore et loco debitis exhiberent, consulto deputare variasque in regiones mittere primum coepit non tam Innocentius papa III [4]) quam proximus ejus successor Honorius III. Antea enim ipsis cujusque regni episcopis hoc officium committi solebat. [5])

---

1) Cfr. Moll l.l 28 seq.

2) De arto utriusque officii nexu cfr. A. Gottlob *Die päpstlichen Kreuzzugs-Steuern des 13. Jahrh.* (Heiligenstadt 1892) 193 seqq.

3) Gottlob l.l. 2—17.

4) Sic asserit Fabre *Étude sur le Liber censuum* 160 seq.

5) Gottlob l.l. 47 et 167—184.

Quibus praesuppositis, brevi nunc in conspectu ponamus tam collectores papales quam tributa ecclesiastica, de quibus ante an. 1378 in partibus nostris occurrit mentio.

A° 1215 vicesimam reddituum ecclesiasticorum ab universo Urbis et Orbis clero per tres annos in subsidum Terrae Sanctae solvendam jussit Concilium Lateranense IV. Proinde anno proxime sequenti Honorius papa III praecepit Engelberto archiepiscopo Coloniensi ejusque suffraganeis, ut certam pecuniae summam nunciis collectoribus declararent atque integre exhiberent (numm. 70 et 72). Horum collectorum nomina silentio tegunt literae papales. At a° 1221 tali muneri functi leguntur famosus ille magister Conradus de Marburg et Johannes scholasticus Xanctensis, quibus ut in provinciis Coloniensi et Bremensi, atque a° 1225 E. abbas Middelburgensis, cui ut in Flandria et Brabantia, pecuniam ad opus Terrae Sanctae collectam administrarent, injunctum est (numm. 99, 110, 111). Decimae impositae a quibusnam apud nos collectae.

A° 1245 omnium proventuum ecclesiasticorum vicesimam, denuo ad triennium, exegit Innocentius papa IV eamque qui colligeret in Leodiensi, Cameracensi, Trajectensi dioecesibus abbatem Loci S. Bernardi deputavit (numm. 178, 179, 199, 210). Eidem tributo colligendo priores Lovaniensis et Antwerpiensis ordinis Praedicatorum ut in provincia Coloniensi operam darent mandatum apostolicum receperunt (num. 209).

Iterum a° 1264 vicesimam proventuum ecclesiasticorum in subsidium Terrae Sanctae solvendam jussit Urbanus papa IV, qui abbati S. Trudonis, Leodiensibus decano et archidiacono magistro Marchualdo mandavit, ut pecuniam in dioecesibus Leodiensi et Trajectensi collectam Henrico episcopo Leodiensi crucesignato assignarent (numm. 306—307).

A° 1274 in Concilio Lugdunensi II decimam omnium proventuum ecclesiasticorum per sex annos in subsidium Terrae Sanctae levandam praecepit Gregorius papa X (num. 330). Hujus decimae in provincia Coloniensi collectores deputati leguntur primum Albertus magister scholarum Parmiensis, tum Rainerius de Orio praepositus de Clavasio, denique Theodericus prior ecclesiae S. Andreae Urbevetanae (numm. 339, 355, 357, 360). Interim vero in territorio Guidonis comitis Flandriae speciales deputati sunt collectores abbas de Valcellis, Johannes de Brueriis et magister Renerus de Passiaco, qui praedicto comiti pecuniam decimae in dominio ejus collectam assignarent (numm. 337 et 338).

Hujusmodi collectorum unus omnium apud nos notissimus sane est Rainerius de Orio, non solum ob injurias et calamitates, quas officio suo incumbens perpessus est [1]), sed praecipue ob magnas partes, quas in patria nostra tamquam decimae collector habuisse traditur. Ipse enim pecuniam, quam pro solutione decimae quinque capitula Trajectensia et abbatia S. Pauli deberent, „secundum communem aestimationem" primus taxari fecit et ratificavit ad summam ducentorum florenorum auri annuam [2]), eademque summa stabilis dein norma permansit, ut videri potest ex diplomatis centum post annos editis. [3])

---

1) Cfr. Finke *Die Papsturkunden Westfalens* Einleitung XXXII; Gottlob l.l. 99 seq.

2) Vermeulen *Inventaris* 325.

3) V. gr. van Mieris *Charterboek* III. 312, d.d. 1375 Octobris 10.

Ipse quoque Rainerius quam an. 1276—1281 in dioecesi Trajectensi collegerat pecuniae decimam accurate descripsit in registro nobis adhuc residuo. [1] Ex quo computavit eruditus quidam, pecuniam decimae apud nos tunc receptam quotannis ascendisse ad summam 14,404 solidorum aureorum. [2] Praeterea novimus, partem hujus pecuniae a collectoribus depositam fuisse in ecclesia fratrum Praedicatorum Trajectensi, sed violenter inde a Johanne de Nassau electo asportatam (numm. 342, 376, 389). Qui propterea gravissimis censuris est innodatus et pecuniam ablatam non restituit, nisi a Florentio comite V Hollandiae summa 3151 florenorum auri et 12 denariorum prius in mutuum recepta. [3]

Nemo interim putet, pecuniam hujusmodi a collectoribus papalibus undecumque receptam ipsi tantum Sedi Apostolicae profuisse. Etenim in subsidium Terrae Sanctae vel in aliam expeditionem sacram tales copias integre impendi oportebat, ita ut nonnunquam pecuniae sic collectae ne nummus quidem in aerario pontificio vel ad tempus fuerit asservatus, sed promovendo cuidam bello solidum protinus inservierit. [4] Ita Wilhelmo comiti I, in Terram Sanctam profecturo, vicesimam ecclesiasticorum in ejus dominio proventuum concessit Honorius papa III (num. 87). Qui a° 1264 in dioecesibus Trajectensi et Leodiensi vicesimam collegerunt, totam pecuniae quantitatem Henrico episcopo Leodiensi crucesignato tradere debuerunt (numm. 306 et 307). Paullo post tam Ottoni II Gelrensi quam Guidoni Flandrensi comitibus iter transmarinum parantibus, tribuenda fuit summa 20,000 librarum Turonensium (numm. 316 et 321). Eidemque Guidoni comiti totam decimam, quam per sex annos in subsidium Terrae Sanctae convertendam decreverat Concilium Lugdunense, ejus in territorio contulit Johannes papa XXI, quum tamen, ne pecunia decimae perderetur, sedulo invigilare Romani Pontifices non destiterint (numm. 337, 344, 364—367, 371, 374, 375).

Subsidia archiepiscopo Coloniensi tribuenda.

Insuper archiepiscopis Coloniensibus quae tributa ecclesiastica Summus Pontifex levanda jussisset nonnulla assignata fuisse novimus. Sic Conrado de Hochstaden archipraesuli, strenuo tunc adversus Fredericum II propugnatori, [5] quintam omnium in sua provincia proventuum ecclesiasticorum semel indulsit Innocentius papa IV (numm. 153 et 154), qui in dioecesim Trajectensem collectores deputavit praepositum Tilensem ejusque collegas (num. 193). Super quo tamen mota est quaestio et dissensio non modica, idque non solum in Frisiae partibus, ubi abbates et alii clerici tam saeculares quam regulares istam quintam solvere contumaciter denegarunt et propterea excommunicationis incurrerunt sententiam (num. 193). Similiter enim „nec archiepiscopus Bremensis nec Trajectensis nec Monasteriensis nec aliqui episcopi totius Alamanniae, praeter Leodiensem [6] et Osnabrugensem, voluerunt in suis dioecesibus hanc exactionem admittere. Sed pro relaxatione miserunt ad dominum Papam supplicationes; qui nec voluit ad plenum revocare nec etiam sententias a praedictis archiepiscopis latas confirmare, sapienter expectans, ut medio tempore

---

1) Partim legitur apud Sloet *Oorkondenboek* n° 972.

2) G. H. M. Delprat *Kerkhistorisch Archief* Kist-Moll III. 331.

3) Van Mieris *Charterboek* I. 449.

4) Cfr. Gottlob l.l. 109 seqq.

5) Cfr. *Kirchenlexikon* VII. 850 seq. i. v. Köln.

6) Quod ad hunc errare videtur Menco, nam prae caeteris isti exactioni restitit Henricus antistes Leodiensis una cum toto suo clero; cfr. Gottlob l.l. 75.

fierent amicabiles compositiones, quod et factum est." Mox enim „quod eis singuli episcopi ex gratia apposuerunt, gratanter acceptarunt"[1]) Coloniensis et Moguntinus primates.

Deinde a° 1262 Engelberto metropolitae Coloniensi ad levanda debita, quibus tunc ejus ecclesia laborabat, vicesimam omnium in provincia Coloniensi reddituum ecclesiasticorum fructusque unius anni ibidem vacantium beneficiorum usque ad biennium assignavit Urbanus papa IV (numm. 289—290). Huic subsidio tribuendo acriter se opposuerunt quinque capitula Trajectensi eaque de causa solemni pacto se invicem obligarunt, ne praetexta jura sua ab archiepiscopo aliquatenus laederentur. Simile pactum duobus nondum annis elapsis seorsum pro seipso fecerat capitulum S. Mariae.[2]) Sed quem eventum ejusmodi habuerit pugna, omnino ignoramus.

Ceterum quod ad saec. XIII attinet, de tributis ecclesiasticis, quae Summi Pontifices apud nos exegisse traduntur, parum vel nihil notum est, nisi verbo in memoriam sufficiat revocare Jacobum decanum S. Johannis Trajectensis, qui a° 1285 „collector decimae in subsidium Terrae Sanctae concessae per dioecesim Trajectensem auctoritate Sedis Apostolicae constitutus" fuisse legitur.[3])

Saec. XIV apud nos collectores papales.

Nunc igitur saec. XIV ejusdem argumenti ergo aggrediamur. Et primum sane consideranda occurrunt reliqua decimae, quam Concilium Lugdunense a° 1274 ad sex annos exegerat, quandoquidem hujus decimae coepto jam saec. XIV magna pars adhuc erat solvenda.[4]) Quam ut tandem aliquando colligerent, in varias Germaniae provincias a° 1307 deputati sunt magister Gabriel capellanus papalis et Petrus de Garleux (num. 474, 488—490). Immo a° 1317 iterumque a° 1320 Johannes papa XXII collectoribus suis Petro Durandi et Bernardo de Montevalrano mandavit, ut tria millia marcarum argenti, quae Johannes de Nassau dudum abstulerat, ab ejus successoribus restituenda curarent (numm. 540 et 582). Attamen quod ad factum hic errasse dicendus est dominus Papa, cum istam pecuniam jam a° 1280 integre restitutam noverimus[5]); nisi potius supponi oporteat, Rainerium de Orio de pecunia sibi restituta rationem non dedisse Camerae Apostolicae.

Novam decimam per sex annos in subsidium Terrae Sanctae levandam imperavit Concilium Viennense eandemque a° 1312 Henrico archiepiscopo et episcopis ordinariis in provincia Coloniensi percipiendam commisit Clemens papa V (num. 520). Deinde a° 1316 Johannes papa XXII fructus primi anni omnium beneficiorum, quae per triennium in provincia Coloniensi vacarent, in Sedis Apostolicae commodum reservavit; quos similiter una cum Petro et Bernardo collectoribus praefatis episcopi ordinarii in sua quisque dioecesi colligere debuerunt (num. 535). Cum autem super hoc tributo solvendo difficultatem moverent ecclesiae collegiatae Trajectenses, utpote cathedrali ecclesiae sese aequiparantes, eas solutionem hujusmodi fructuum utique debere dominus Papa

1) Menconis Chronicon apud Matthaeum *Analecta* II. 138.

2) Diplomata d.d. 1263 Octobris 18 et 1265 Maji 8 Vermeulen *Inventaris* 250, 251, 263; cfr. A. Matthaeus ad Anonym. *De rebus Ultraject.* 173.

3) *Oorkondenb. van Holl. en Zeeland* II. n° 550.

4) Cfr. Kirsch *Die päpstlichen Kollektorien* Einleitung XVI seq.

5) Cfr. Introd. supra et num. 342.

expresse declaravit (num. 567). Neque praetermittenda hic videtur ratio accepti et expensi, quam collectores praedictos reliquisse novimus. Ipse porro Bernardus de Monte Valrano in suo hujus collectae registro declarat, se an. 1317—1320 a subcollectoribus suis civitatis et dioeceseos Trajectensium recepisse summam 1145 florenorum auri et aliquot denariorum. [1])

In diuturno inter Ludovicum de Bavaria et Sedem Apostolicam certamine papales sectati sunt partes Henricus de Virneburch et Walramus de Juliaco successive archiepiscopi Colonienses, quos igitur necessitatibus debitisque oppressos plus semel adjuvare conatus est Summus Pontifex. Nam ad diminuendum ecclesiae suae debita, ut ab universis in provincia Coloniensi personis ecclesiasticis subsidium moderatum exigere et recipere valeret metropolita, apostolicam veniam ter obtinuit, scilicet an. 1325, 1327 et 1332 (numm. 650, 723, 875). Insuper cum a° 1329 fructus primi anni beneficiorum in provincia Coloniensi vacaturorum per triennium sibi reservasset Johannes papa XXII, ut quartam vel tertiam ipsorum fructuum partem archiepiscopo Coloniensi ejusque suffraganeis assignarent, suis collectoribus mandavit, sed brevi post idem mandatum revocandum putavit (numm. 827—831). Collectores deputati tunc erant Henricus praepositus S. Severini Coloniensis, Godeschalcus de Barbergh scholasticus, Johannes de Bunna decanus ecclesiae Bunnensis (num. 842). Hisce injunxerat dominus Papa, ut in provincia Coloniensi colligerent tam beneficiorum fructus supra memoratos quam decimam omnium proventuum ecclesiasticorum, quippe quam jam dudum per sex annos Clemens V imposuisset, sed in Germania fere nemo solvere curasset (num. 834). Mox vero, ut ab utroque tributo exigendo penitus supersederent, iidem collectores novum mandatum papale receperunt (numm. 847—848). Gravibus enim querimoniis Summum Pontificem hac de causa lacessere non destiterat clerus Germanicus, donec tributa tam exosa saltem ad tempus fuissent abrogata. [2]) Hosce proinde collectores revera apud nos munere suo functos fuisse, vix credi potest, eoque minus quod ipsorum actionis et administrationis nulla omnino documenta supersint.

Sed collectoris officium in partibus nostris profecto obivit Johannes de Casleto canonicus Leodiensis, cui a° 1344 iterumque duobus annis post commisit Clemens papa VI, ut in provincia Coloniensi proventus unius anni beneficiorum vacantium tam ipse quam per subcollectores usque ad biennium exigendos curaret (numm. 1121 et 1170). In dioecesibus Coloniensi et Leodiensi hanc collectam ipse Johannes perfecit, in Trajectensi autem Hugonem Wstinc [3]) canonicum suum deputavit subcollectorem. Tota ratio accepti et expensi, quam Camerae Apostolicae proferre debuerunt collectores, nuper in lucem edita est. [4]) Ex quo registro concludimus, per utrumque biennium, scilicet an. 1344—1348, quae de fructibus primi anni beneficiorum, tunc in civitate et dioecesi Trajectensibus vacantium, tota summa recepta fuerit ascendisse ad 481 scudata, 40 solidos, 11 denarios monetae Trajectensis et 2 parvos florenos, vel uti alio modo computavit Johannes collector, ad 760 libras, 15 solidos, 5 denarios. [5])

---

1) Kirsch l.l. 49—50. 2) Cfr. Kirsch l.l. XXXVII.
3) De quo videsis Muller *Het rechtsboek van den Dom* VIII—XIII.
4) Kirsch l.l. 262—295. 5) Kirsch l.l. 284 et 291.

A° 1355 Innocentius papa VI, ut terras Ecclesiae Romanae ablatas recuperaret, decimam omnium in Germania reddituum ecclesiasticorum ad triennium exigendam imperavit. Cujus decimae collector generalis deputatus est Philippus episcopus Cavallicensis. Reluctante autem clero atque de eadem decima hinc et illinc tractante, Summus Pontifex denique consensit, ut semel dumtaxat subsidium, quod ad duas procurationes [1]) ascenderet, de redditibus suis personae ecclesiasticae solverent (numm. 2285—2290). In hoc igitur pars utraque convenisse dicenda est, ipsam decimam tunc avocari.

Deinde a° 1366 decimam unius anni quorumcumque in Germania et Bohemia proventuum ecclesiasticorum exegit Urbanus papa V (numm. 1766 et 1834). Tali enim adminiculo fore speravit Summus Pontifex, ut territorium Romanum facilius paci Sedique Apostolicae redderetur. Cum autem Carolo imperatori IV maximam haberet fidem ejusque tam animum sibi devincire quam copias augere prae caeteris studeret dominus Papa, praedictum subsidium ecclesiasticum sponte reliquit regio suo socio, „qui inimicos partes Italiae devastantes proxime et personaliter debellare intendit." Porro eandem decimam in commodum Caroli imperatoris revera apud nos exactam fuisse novimus. Etenim collector papalis Bernardus Mathesii canonicus Nemausensis cum quinque ecclesiis collegiatis Trajectensibus ita composuit, ut ad parem hujus decimae rationem faciendam certa pecuniae summa ab universo in dioecesi clero semel persolveretur (num. 1875). Quam summam acceptam testatus est ipse Bernardus in oppido Buscoducensi, die 6 Junii an. 1368. [2]) Praeterea eodem circiter tempore tamquam collectores papales nostris in partibus occurrunt Gerardus de Veno praepositus Arnhemensis, qui a° 1366 Johannem de Bosinchem suum constituit subcollectorem (numm. 1745 et 1780); Johannes natus Johannis de Ameronghen, qui etiam subcollector erat deputatus (num. 1764); Hugo Braem decanus b. Mariae Trajectensis, qui Sedis Apostolicae capellanus et collector audit (num. 1824); Sigerus de Novolapide decanus S. Servatii Trajectensis ad Mosam, qui in registro suae collectae declaravit, se a subcollectore civitatis et dioeceseos Trajectensium annis 1368, 1369, 1370 recepisse summam 342 florenorum auri et decem grossorum. [3]) Attamen hujus tributi pecunia non ad aliquam decimam vel quoddam subsidium extraordinarium a Summo Pontifice exactum referenda videtur, sed ad ordinaria tributa, quae nomine „Annalium," „Annatarum," „fructuum mediorum" [4]) quotannis de beneficiis ecclesiasticis exigere Sedes Apostolica jamtunc solebat.

Ultima denique quam Summi Pontifices imposuisse in Bullario nostro leguntur decima fuit an. 1372, cum Gregorius papa XI ad sublevandam ecclesiae Romanae necessitatem tale subsidium ab ecclesiasticis proventibus unius anni exegit (num. 2052). Collector generalis tunc deputatus est Elias de Vodromo, cui ut in exactione decimae assisteret Swederus Uterlo praepositus Trajectensis est requisitus. Sed de utriusque in hac re actione nihil

---

1) De procurationibus visitanti superiori persolvendis cfr. supra Introd. p. L.

2) Instrumentum apochae in archivo Status Ultraj. S. Johannis 154.

3) Kirsch l.l. 346.

4) De hisce et similibus cfr. Phillips *Kirchenrecht* V. II. 567 seq.; Kirsch l.l. Einleitung XXIV—XXIX.

novimus. Mox vero, in nostris saltem partibus, Eliae praedicto tamquam „collector generalis" successit Bernardus de Berne canonicus S. Andreae Coloniensis.[1]) Sic enim audit in diplomate die 8 Martii an. 1376 Trajecti edito, quo testatur, se „ad colligendam decimam in civitate et dioecesi Trajectensibus" commisisse vices suas Arnoldo de Hoorn episcopo, et quo „secundum taxationem decimae papalis in civitate et dioecesi antedictis ab antiquo consuetam" quinque capitula Trajectensia pro summa 200 florenorum rite accepta absolvit.[2])

Conservatoris officium.

D. *Conservatores*, a quibus adversus injurias defenderentur supplices, hisce deputare Sedes Apostolica antiquitus consuevit. Etenim Romanus Pontifex supremus juris protector debiliumque contra iniquos aggressores tutor praeeminens merito appellatur. Cum autem ubique terrarum jus violatum tueri ipse nequeat, suas hac in re vices delegare solet judicibus conservatoribus.[3]) Unde conservator dicitur: „judex datus ad defendendum aliquos contra manifestas injurias, judiciali indagine non utens."[4])

De conservatoribus jus Canonum nonnulla statuit, quae hic praenotanda videntur. Scilicet: *a.* ut nonnisi a manifestis injuriis et violentiis defendere possint nec ad alia, quae judicialem indaginem exigunt, suam extendere potestatem; *b.* ut a conservatoribus delegatis ad primum delegantem, i. e. Apostolicam Sedem, tantum appellari oporteat; *c.* ut conservatores „deputari non possint nisi episcopi vel eorum superiores aut abbates seu dignitates vel personatus in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis obtinentes;" *d.* ut qui limites sibi traditae potestatis excesserint conservatores, eo ipso per unum annum ab officio sint suspensi, pars vero, quae hoc fieri procuraverit, excommunicationis incurrat sententiam.[5])

Porro quibus bonorum atque privilegiorum conservatores instituuntur, conservatorias literas creberrimas Bullarium nostrum exhibet. Modo ad unum vel plures, plerumque tres, conservatores speciatim sunt directae (v. gr. numm. 25, 103, 140, 523), modo autem universis, „ad quorum notitiam pervenerint", praelatis generatim inscriptae sunt (v. gr. numm. 68, 121, 243, 261). Semel tantum hujusmodi literas ad communitatem saecularem destinatas novimus, scilicet pro Hugone abbate et conventu Egmondensibus, qui suis cum bonis juribusque universitati oppidi Dordracensis ab Innocentio papa VI commendati fuisse leguntur (num. 1663). Has vero nonnisi improprie literas conservatorias vocare licet, cum nullam contineant judicialem facultatem.

Conservatoriae literae a quibusnam apud nos impetratae.

Cujuslibet esse dignitatis et conditionis qui conservatorias literas a Summo Pontifice obtinuerunt, Bullarium satis ostendit. Inter plurimos nonnullorum modo meminisse sufficit: Guido de Hannonia, Johannes de Diest, Johannes de Arkel episcopi (numm. 517, 624, 948, 1064, 1520); capitulum et clerus pro immunitate ecclesiastica contra cives Trajectenses tuenda (num. 426); Henricus, Florentius de Jutfaas, Swederus Uterlo praepositi Majoris ecclesiae (numm.

---

1) De utroque cfr. Kirsch l.l. Einleitung XXI—XXII et 404 seq.
2) Instrumentum apochae in archivo Status Ultraj. S. Johannis 214.
3) Cfr. Kober *Die Suspension der Kirchendiener* 267 seq.
4) Ita Ducange *Glossarium* i. v.
5) Sexti decret. Lib. I. Tit. XIV. capp. 1, 3, 15.

186, 634, 1994, 2243); capitula Majoris, S. Petri, S. Salvatoris, S. Mariae Trajectensium et Daventriensis ecclesiarum (numm. 1505, 1644, 1512, 1528, 2053, 1387); Nicolaus de Caputio jamtunc Cardinalis pro Daventriensi praepositura sua (numm. 1423, 1504, 1765); Hermannus Arnhemensis et Wilhelmus de Zande Campensis ecclesiarum parochialium rectores (numm. 295 et 1521); domus Theutonica Trajectensis (num. 103); hospitalia pauperum in Delft et Groningen (numm. 713 et 954); monasteria tandem complura, uti Insulae S. Mariae, Campi Regis, de Sinu S. Mariae (numm. 68, 140, 243, 281), identidem vero Egmundanum et Rinisburgense. Cum enim literae conservatoriae plerumque ad certum temporis spatium, puta biennium, triennium, quinquennium concederentur, post terminum elapsum denuo peti et iis quorum interessent dari solebant.

Inveniuntur etiam qui hujusmodi literas papales impetrarunt homines saeculares; principes nempe, ne super quodam privilegio nuper obtento molestiis afficerentur, easdem aliquando implorarunt. Sic quidem Florentius de Hollandia, Maria Ottonis imperatoris vidua, Otto II et Reynaldus I comites Gelrenses, Johannes II Hollandiae comes, alii denique complures (numm. 235, 236, 256, 269, 449, 451).

Apostolica protectio atque confirmatio jurum.

Aptissime tandem revocari huc possunt literae papales, quibus ecclesiae vel monasteria suis in bonis, juribus, regulis confirmantur, quandoquidem in eundem fere sensum redire videntur ac literae conservatoriae: hisce mediate, scilicet per conservatores deputatos, illis vero immediate constituitur aliquis sub protectione Sedis Apostolicae, ne injuriis molestiisve afficiatur.

Nonnulla monasteria apud nos sub protectione Sedis Apostolicae ita fuisse constituta, ut simul ab ordinaria episcopi potestate eximerentur, jam supra vidimus.[1] Sed praeter monasteria Eltenum, Egmundanum, Rinisburgense quamplura erant loca sacra, quae tametsi non exempta, latiore quodam sensu privilegio protectionis Apostolicae gaudebant. Praecipue quidem saec. XIII hujusmodi literas confirmatorias a Summis Pontificibus appetiisse tum ecclesiae saeculares cum monasteria regularium apud nos videntur. Immo non pauca inveniuntur, quae tale privilegium tanti aestimaverunt, ut semel iterumque idipsum putaverint impetrandum. Ita quater abbatia b. Mariae Walachriensis, postea Middelburgensis (numm. 32, 102, 491, 919), itemque monasterium de Insula S. Mariae (numm. 23, 67, 133, 287); ter ecclesia regularis de Bethlehem (numm. 130, 141, 262) et monasterium S. Odulphi de Stauria (numm. 19, 2274, 2276); bis conventus de Horst (numm. 162 et 277), de Jerusalem prope Biezelingen (numm. 224 et 265), de Campo Regis (numm. 242 et 244). Quae semel bona juraque sua Apostolicae Sedi tuenda commiserunt sunt monasteria in Oudwyk prope Trajectum, in Stromberg prope Dordracum, de Sinu S. Mariae, in Loosduinen, Leeuwenhorst, Hemelum, domus Theutonica Trajectensis, hospitale pauperum in Kuinre (numm. 82, 83, 132, 225, 576, 2277, 317, 1199—1200).

Similiter principales apud nos ecclesiae Apostolico munimine se confirmandas atque protegendas non raro curarunt. Imprimis ipsa ecclesia Trajec-

---

1) Introductio p. XXXVII.

tensis, quam Godefrido episcopo petente in possessionibus a° 1159 confirmavit Hadrianus papa IV (num. 28); deinde quater ecclesia S. Salvatoris (numm. 35, 117, 119, 310); ter ecclesia S. Petri (numm. 60, 64, 311); semel ecclesia S. Johannis (num. 65). Neque hic omittendae sunt literae papales, quibus specialis quaedam concessio, donatio, compositio nuper facta, majoris firmitatis ergo, saepe communita fuisse legitur. Hujusmodi bullas confirmatorias sibi obtinuerunt v. gr. capitula b. Mariae Daventriensis, S. Petri et S. Salvatoris Trajectensium ecclesiarum, Folkerus Johannis de Arkel suffraganeus episcopus (numm. 160, 263, 354, 1637) atque monasteria complura.

Quanta autem tunc esset Romani Pontificis auctoritas, caeteris luculentius hac in re duo praesertim ostendunt exempla (numm. 95 et 467). Ipsi vel principes praepotentes privilegium Apostolicae protectionis minime dedignati sunt: scilicet Fredericus imperator II a° 1219 in Terram Sanctam profecturus [1]), itemque Reynaldus I comes Gelrensis a° 1306 cruce signatus „cum uxore, filiis necnon terra et vassallis ac omnibus aliis bonis" sub beati Petri protectione suscepti fuisse feruntur. [2])

Sectio altera.

Literae supplices Sedi Apostolicae porrectae.

Quae e dioecesi Trajectensi ad solium pontificium documenta ascenderint longe plurima aetatem non tulisse dolendum sane est. Ipsa enim si nosceremus, facultas nobis esset de intima quam patria nostra cum Apostolica Sede assidue coluit connexione melius judicandi. Nunc supersunt nisi literae, quibus ad supplicationes sibi oblatas respondere dignati sunt Romani Pontifices, eaeque magno quidem numero, sed ut dicam quot olim in partes nostras emanaverint, multum abest. At vero neque paucas fuisse porrectas supplicationes, ad quas respondere Curiae pontificiae non placuerit, tuto supponendum videtur. Summorum Pontificum, qui ante an. 1378 floruerunt, reperiuntur adhuc in archivo Vaticano nonnulli „Supplicationum libri," nimirum Clementis papae VI, Innocentii VI, Urbani VI [3]). Hisce tamen perscrutandis operam dare non potui nec inter eruditos, nisi fallor, aliquis hucusque incubuit.

Rarissima igitur eademque vix nota sunt ipsa documenta, quae e patria nostra in curiam papalem antiquitus prodierunt. Proinde sufficiant oportet rescripta pontificia aliaque quotquot ad rem faciunt diplomata vetera, ut necessitudinem, quam cum Apostolica Sede dioecesis nostra Trajectensis ut terminus a quo colere tunc sategit, aliquatenus perspiciamus.

Secundum ordinem supra propositum considerandi nunc sunt:

Visitatio ad Limina.

A. *Episcopi Trajectenses Limina Apostolorum visitantes.* Antistites nostros, dum gregi suo coram invigilarent, assiduam cum Romano Pontifice tamquam

1) Cfr. supra Introd. p. XVII.

2) Jucundum hic mihi incumbit gratiarum actionis officium erga carissimum amicum Theodorum Vlaming, in Seminario Warmondensi juris canonici antecessorem, quippe qui comi eruditione in tractandis tam arduis vetustae disciplinae ecclesiasticae quaestionibus meus consiliarius atque contra faciles lapsus revera esset „conservator."

3) Cfr. Greg. Palmieri *Manuductio* pp. 107, 125, 163.

„Episcopo episcoporum" rationem colere debuisse illico patet. Porro vix consecratus quilibet episcopus ut in solemni fidelitatis juramento sic promittat, jus Decretalium exigit: „Limina Apostolorum singulis annis aut per me aut per certum nuncium visitabo, nisi eorum absolvat licentia." [1]) Et vocabula ista: „Limina Apostolorum" non stricte sensu nativo intelligenda sunt, scilicet tamquam gloriosum beatorum Petri et Pauli in Basilica Romana Sepulcrum, sed latiore quodam sensu paullatim aequivalere coeperunt curiae papali, ubi Romanum Pontificem hic et nunc sedem habuisse contingeret. Nam saec. XIV minime ipsa in Urbe, sed Avenione suum visitationis officium praestare episcopi solebant. [2]) Quo tempore ad visitanda Limina stricta obligatio orta fuerit, certo definiri nequit. Ante saec. XIII hac de re consilia potius quam praecepta forte Romani Pontifices ediderunt; deinde vero lex, a Gregorio papa IX condita, semper viguit, ut certo temporis intervallo quisque episcopus neo-consecratus se Limina Apostolorum visitaturum jurejurando promitteret. Quod temporis intervallum tanto amplius concedi mos generatim erat, quo magis dissitam a curia papali novus antistes sedem haberet. [3])

Nunc quod ad episcopos Trajectenses attinet, Johannes de Syrick a° 1291 juravit singulis bienniis se Limina aditurum (num. 408). Contra diploma infra inserendum ostendere videtur, tempore Avenionensi, „curia existente citra montes," singulis annis Sedem Apostolicam visitare debuisse episcopos nostros. Ita saltem a° 1321 de Frederico de Syrick diserte affirmatur.

Visitatio ad Limina, de qua hucusque egimus, inter „visitationes verbales" vulgo recensetur, ut a „visitatione reali" rite distinguatur. Haec porro est obligatio nonnullis episcopis incumbens solvendi Camerae Apostolicae certam pecuniae summam, quoties Limina oportuerit visitare. [4]) Quam „visitationem realem" an episcopi quoque Trajectenses solvere debuerint, nusquam apparet, immo vero obligationem hujusmodi penitus negare videtur diploma hic insertum. [5])

Similiter quod ad modum, quo „visitationis verbalis" officium episcopi nostri obierunt, paucissima nobis prostant indicia. Sane complures anti-

---

1) Decret. Gregor. Lib. I. Tit. XXIV. cap. 4.
2) Cfr. Kirsch *Finanzverwaltung* 22.
3) Phillips *Kirchenrecht* II. 199 seq.
4) Kirsch l.l.
5) 1321, *Januarii* 12.

Visitatio episcopi Trajectensis (*In margine*).

Universis presentes litteras inspecturis Gasbertus permissione divina Massiliensis episcopus, domini pape camerarius, salutem in Domino.

Ad universitatis vestre noticiam presentium tenore deducimus, quod cum venerabilis pater dominus Fredericus episcopus Trajectensis teneatur singulis annis curie (*sic*) existente citra montes sedem apostolicam visitare, sedem ipsam pro uno anno proxime nunc transacto per providum virum dominum Hominem de Peretulo, cappellanum reverendi patris domini Neapoleonis Cardinalis, procuratorem suum ad hoc specialiter constitutum, cum devotione debita visitavit. Nichil tamen idem procurator visitationis hujusmodi nomine camere domini nostri pape obtulit vel servivit. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri fecimus et sigilli camerariatus nostri appensione muniri.

Dat. Avinione die XII Januarii, anno domini MCCCXXI, indictione IIII, pontificatus sanctissimi patris et domini nostri domini Johannis pape XXII anno quarto.

Obligationes Camerae Tom. 7, *f.* 600.

stites Trajectenses Limina Apostolorum coram visitasse, jam a tempore S. S. Willebrordi et Bonifatii testantur Chronica vetusta. Sic etiam S. Radbodus episcopus ad jus suum contra Megunthardum comitem Flandrensem in curia papali vindicandum Romam se contulit. [1]) A° 1123 Godebaldus praesul noster Concilio Lateranensi I ipsę interfuit. [2]) Deinde a° 1143 Heribertum episcopum suam in dioecesim ab Urbe revertisse novimus. [3]) Wilhelmus Bertholdi circa an. 1300 curiam Romanam adiisse item traditur. [4]) Tandem Guido de Hannonia, qui an. 1311 Concilio Viennensi adfuit, atque Johannes de Arkel, qui plus semel in Gallia commoratus est, [5]) procul dubio negotia sua coram Summo Pontifice saepius tractarunt.

Attamen certo definire non licet, utrum hujusmodi ad curiam papalem itinera fecerint episcopi nostri, ut proprie Limina Apostolorum visitarent, an potius ut grave quoddam et urgens negotium ecclesiasticum promoverent. Duplex proinde conjici licet: vel (quod tamen rarius evenisse putarem) ad instar Johannis de Syrick (num. 408) super officio „visitationis verbalis" dispensationem papalem impetrarunt; vel per nuncium sive procuratorem curiam visitarunt, sicuti Johannem de Diest a° 1320 fecisse testatur diploma supra adjectum, quo casu ecclesiae suae statum scriptis quandoque retulerunt, quemadmodum a° 1331 idem Johannes episcopus (num. 857). Porro in promissione, quam super visitatione regulariter facienda emittere solebant novi episcopi, eorum arbitrio penitus relictum fuisse videtur, sive ipsi sive „per certum nuncium" aut procuratorem tale officium vellent obire.

Procuratoris officium.

B. *Procuratores in curia papali* complures Bullarium nostrum refert. Nomine procuratoris hic intelligendus est: „vicarius, locum tenens, qui alterius vices gerit," [6]) ut domini sui delegantis certum quoddam negotium curet idque impensis hujus domini. [7]) Sic qui negotia ecclesiastica sibi commissa apud Sedem Apostolicam tractarent undequaque plurimi Romam confluebant procuratores. Initio quidem propter specialem causam deputari solebant procuratores eaque absoluta in patriam suam poterant reverti, postea vero ut procuratoris munere in qualibet re sibi forte deleganda fungerentur, prope ipsam curiam domicilium habebant.

Duplici autem modo diplomata nostra procuratorum Trajectensium faciunt mentionem: directe scilicet et expresse iis tale officium attribuendo, vel etiam indirecte ét tacite. Hoc modo procuratoris nomen nonnunquam produnt bullae papales a tergo, ubi ille, cui bulla esset tradenda, procurator scilicet, sive expresso ejus nomine sive alio quodam verbo designari solebat. [8]) Quotquot usque ad an. 1378 negotiorum ad partes nostras spectantium in curia procuratores alterutro modo occurrunt, sequens elenchus chronologice dispositos exhibet.

---

1) Cfr. num. 5 et supra Introd. p. X.
2) Harduinus *Concil.* VI. 2. p. 1114 seq.
3) Chronicon Groninganum A. Matthaeus *Analecta* I. 70.
4) Cfr. numm. 437 et 440; Moll *Kerkgeschiedenis* II. I. 128.
5) J. de Beka *Chronica* 107, 108, 117.
6) Ita Ducange *Glossarium* i. v.
7) Cfr. Decret. Greg. Lib. I. Tit. XXXVIII. cap. 6.
8) Cfr. Finke *Papsturkunden Westfalens* Einleitung XXIII.

Procuratorum Trajectensium nomina.

In ipso textu:

G. et H. procuratores Ludovici de Los et Wilhelmi I de Hollandia comitum a° 1217 (num. 78).
A. civis Coloniensis a° 1235 (num. 146).
Gotdefridus a° 1245 (num. 167).

Giselbertus archidiaconus
Johannes de Syttert
} a° 1290 (numm. 381, 385, 388, 389, 391).

Johannes de Marvefia a° 1311 (App. I).

Suederus de Vorne
Johannes de Dordraco
} a° 1317 (num. 552).

Johannes de Niuenhim a° 1318 (num. 565).

Johannes de Fumone
Franco de Ruella [1])
} a° 1324 (App. II, III, V).

Adam episcopus Herfordensis
Godefridus abbas Vicomiensis.
Michael de Ligne
} a° 1327 (numm. 719 et 727).

Albertus dictus Hovels
Sybertus provincialis O. C.
Johannes de Palle
Henricus de Juliaco
Henricus de Mierlaer
Ricardus dictus Cok
} a° 1328 (numm. 749, 781, 801).

Henricus de Awic
Henricus de Geldonia
Gerardus de Guimonyes
Salsetus de Haysne
Gerardus de Florenwille
Egidius de Hellemes
} a° 1343 (numm. 1055, 1087, 1093).

Jacobus de Velde
Petrus de Velde
Johannes de Westrenen
Johannes dictus Tengnagel
Arnoldus de Novimagio
Henricus dictus Bitter de Embrica
Johannes Moliart
Wilhelmus de Zande
} a° 1355 (numm. 1537, 1542—1544, 1546, 1555, 1556, 1561).

A tergo bullarum:

Johēs a° 1223 (num. 104).
Brema a° 1234 (num. 140).
Dronginso a° 1247 (num. 194).
Dodo capellanus Wilhelmi regis a° 1250 (num. 226).
Pa. Nepos Xanctor. a° 1252 (num. 241).
Johēs de Guarcino a° 1258 (numm. 280—281).
Petrus de scō Ambrosio a° 1263 (num. 293), a° 1278 (num. 343).
J. de scō Germano a° 1265 (numm. 310—311), a° 1276 (num. 334), a° 1281 (num. 350).
A. de Brugis a° 1265 (num. 314).
Petrus Nobilis a° 1274 (num. 328).
Hugo de Sircxze a° 1289 (num. 373).
P. de Frattis a° 1291 (num. 403).
De Daventria a° 1295 (num. 414).
C. de scō P. a° 1296 (num. 429).
Jo. Bosp. a° 1302 (num. 457).

Thilmannus de Tungris
Georgius de Brugis
P. de Neapoli
Johannes de S. Laurencio
} a° 1309 (numm. 491—494, 500—502).

Nicolaus de Campobasso a° 1310 (num. 509).
Nicolaus de Spas a° 1311 (num. 512).
Petrus de Nussia a° 1313 (num. 522), a° 1314 (num. 526), a° 1319 (numm. 576—579).
Egidius de Bake a° 1316 (numm. 537—539), a° 1317 (num. 552).
Nicolaus de Parma a° 1317 (num. 549).
Guillermus de Adria a° 1321 (numm. 591—593).
Theodericus de Reys a° 1323 (num. 629).
Guillermus de scō Stephano a° 1335 (num. 919).
N. de Valle a° 1336 (num. 939).

Franco de Ruella
N. de Buchorst
Reynerus de Aussia
} a° 1337 (numm. 948—950, 954).

Tilmannus de Nussia [2]) a° 1340 (num. 973).

---

1) A° 1327 iidem a Johanne de Diest episcopo constituti sunt procuratores in curia; cfr. S. Muller *Registers en Rekeningen* I. 84, ubi tamen legitur: Johannes de Firmone(?).

2) Idem etiam a° 1346; cfr. supra Introd. p. XXXVII.

In ipso textu:

Arnoldus Vos a° 1360 (num. 1658).
Andreas Herderinck de Groningen a° 1353 (num. 432), a° 1366 (numm. 1827—1828, ubi etiam a tergo).
Theodericus de Oy a° 1374 (num. 2161).
Theodericus de Ede a° 1375 (num. 2239).

Wilhelmus de Amersfordia, Bernardus de Bugneto, Hermannus de Vreden, Theodericus de Reys — a° 1376 (num. 2244).

Alibi insuper occurrunt a° 1321 Homo de Peretulo, a° 1357 Johannes Henrici de Zeelandia, a° 1368 Theodericus de Loccorst, a° 1387 Johannes Wit de Delf (Introd. pp. XXXVI—XXXVII et LXXIII).

A tergo bullarum:

Petrus Senescalli, Symon de Sagio — a° 1342 (numm. 989—992, 1046).
Gerlacus de Doernic a° 1349 (num. 1280).
Henricus de Embrica a° 1356 (num. 1555).
Johannes de Eltevil a° 1359 (num. 1616).
Egidius G. de Jaudraco a° 1360 (num. 1644).
Johannes de Lochem a° 1367 (num. 1840).
Sanderus de Heynsberg, Martinus Florencii — a° 1372 (numm. 2046 et 2095).
Ghiselbertus Boc a° 1374 (numm. 2174—2176, 2196).
Tricus de Lunenbourg a° 1375 (num. 2231).
Everardus de Reys a° 1376 (num. 2244).

Inter procuratores hucusque enumeratos alii propter negotium speciale sibi demandatum Sedem Apostolicam aggressi sunt, veluti qui a° 1217 causam inter Ludovicum et Wilhelmum comites in curia promoverunt, qui a° 1290 Johannis de Nassau electi resignationem fecerunt, qui a° 1328 Reynaldi comitis II Gelrensis petita obtulerunt; alii vero ut procuratorio munere assidue fungerentur, fixum apud curiam papalem domicilium habuisse videntur, veluti Petrus de Nussia, Egidius de Bake, Andreas Herderinck de Groningen. Praecipue autem tempore Avenionensi non pauci viri ecclesiastici, ex dioecesi Trajectensi oriundi, continuo in curia morabantur. De quibus ut quaecumque Bullarium nostrum exhibet in conspectu habeantur, seorsum jam observandi sunt:

Clerici nostri in curia.

C. *Clerici Trajectenses in curia papali.* E dioecesi nostra quam plurimos viros ecclesiasticos Sedem adiisse Apostolicam, ut beneficio quodam in patria donarentur, abunde supra vidimus. [1]) Sic jam saec. XIII occurrunt G. pauper subdiaconus, Eico olim dictus Henricus, Rogerus subdiaconus, Guillermus pauper clericus de Trajecto, qui singuli provisionis bulla recepta verisimiliter illico reverterunt, beneficium sibi assignatum occupaturi (numm. 79, 122, 135, 300). Maximopere tamen in curia abundabat hujusmodi precistarum genus tempore Avenionensi. Nec minimam istius generis copiam fuisse ex dioecesi nostra oriundam, tuto colligere licet tum ex numero bullarum incipientium: „Constitutus in praesentia," quippe quibus clerico in curia degenti beneficium quoddam conferri soleat, cum ex numero abundanti virorum ecclesiasticorum

1) Introd. p. LV

Trajectensis dioeceseos, qui apud Sedem Apostolicam vita functi leguntur (v. gr. numm. 518, 772, 792 etc.). Quorum maxima sane pars ad precistarum genus pertinuisse censenda est. Etenim suo beneficio jam occupato minime contenti alterum, immo plura ut impetrarent, curiam papalem ambierunt. Avidae autem cupiditati frenum imposuit inopinata mors atque precistae beneficium Sedi Apostolicae collationi reservandum manebat. Porro quantopere tales precistae Summum Pontificem rogitando obtuderint, signanter ostendunt Johannes de Zanten et Everardus Riquini (numm. 1844 et 2207). Utrique scilicet, simul ac literas papales de vicaria sibi assignata rite expeditas habuisset, ut statim a curia recederet suaque in ecclesia resideret, expresse est injunctum.

Alias ob causas alii in curia pontificia commorati fuisse reperiuntur. [1]) Ita Gobertus de Perewez a° 1245 litem diuturnam Lugduni sustinuit, ut praepositoram Trajectensem sibi vindicaret (num. 167). Thilmannus de Tungris canonicus Daventriensis atque Christianus de Elst canonicus S. Petri Trajectensis apud Sedem Apostolicam literarum et S. Theologiae studio incubuisse leguntur (numm. 568 et 1254). Nec inconsulto Avenione adfuit Fredericus de Syrick, cum sibi praesentaretur electionis ad infulam Trajectensem decretum (num. 552).

Hii autem singuli et alii complures nonnisi fortuito, ut speciale quoddam negotium explerent, in curia adfuisse affirmari possunt. Contra nec pauci inveniuntur, qui in curia pontificia stabile munus vel officium obierunt. Prae caeteris notandi videntur:

A° 1296 Wilhelmus Bertholdi causarum auditor. [2])

A° 1302 Petrus Vander Praest scriptor et familiaris papalis, de oppido Arnhemensi, cui insigne privilegium obtinuit, probabilissime ortus (num. 443).

A° 1339 Hermannus natus Hermanni Fabri de Xanctis canonicus Daventriensis, Anibaldi episcopi-Cardinalis Tusculani notarius (num. 970).

A° 1353 magister Aegidius Waspart canonicus Trajectensis, scriptor papalis, capellanus et magister capellae Petri episcopi Praenestini (numm. 1450 et 1564).

A° 1359 magister Johannes Henrici de Zelandia causarum fiscalium patronus (num. 1624).

A° 1362 Johannes Hobbonis canonicus S. Salvatoris, cantor capellae Hugonis S. Mariae in Porticu diaconi Cardinalis (num. 1706).

A° 1372 Henricus de Arena canonicus Trajectensis, literarum apostolicarum abbreviator et magister Johannes Wilde de Dotinchem praepositus Embricensis, scriptor papalis (numm. 2041 et 2056).

Reliquos clericos Trajectensis dioeceseos, qui praecipue Avenione cujusdam Cardinalis vel praelati pontificii familiares, domestici, servitores, cubicularii, secretarii, capellani vel simile quid in Bullario nostro audiunt, singulos nominatim recensere nimis prolixum foret. Eos qui cognoscere vult, Indicem rerum inspiciat sub capite: *Clerici Trajectenses in curia.*

Capellani papales.

Non tamen notatu indigni videntur quotquot Bullarium nostrum laudat Sedis Apostolicae capellanos. Scilicet:

---

1) De Arnoldo de Isenburg cfr. supra Introd. p. XXXI.
2) J. de Beka *Chronica* 101.

Henricus praepositus Trajectensis et Xanctensis, deinde thesaurarius quoque b. Mariae, a° 1246 et 1286 (numm. 181 et 368).

Theodericus de Altena praepositus S. Salvatoris a° 1290 (num. 379).

Johannes de Syrick, priusquam sedi Trajectensi praefectus est, a° 1291 (num. 385).

Adulphus de Waldeck praepositus Trajectensis, postea episcopus Leodiensis, a° 1301 (num. 441).

Reynaldus de Westerburch canonicus Majoris ecclesiae a° 1336 (num. 942).

Nicolaus de Caputio, infula Trajectensi nondum ornatus, a° 1341 (num. 977).

Henricus de Juliaco canonicus Majoris ecclesiae a° 1343 (num. 1104).

Florentius de Jutfaes praepositus Oldenzalensis a° 1345 (num. 1141).

Johannes de Clivis canonicus Majoris ecclesiae, qui deinde tamen statum laicalem nuptiasque maluisse fertur, a° 1347 (num. 1231).

Johannes de Lapideania praeceptor domus S. Catharinae Trajectensis a° 1349—1350 (num. 1335).

Tielmannus Oem de Stryen canonicus Majoris ecclesiae a° 1360 (num. 1654).

Hugo Braem decanus b. Mariae Trajectensis a° 1366 (num. 1824).

Ocko abbas S. Odulphi in Stauria a° 1369 (num. 1877).

Swederus Uterlo praepositus Trajectensis a° 1372 (num. 2243).

Quaenam officia et privilegia capellanis papalibus speciatim inhaeserint, hic explicare supersedeo. [1]) Etenim qui in partibus nostris capellani papales fuisse leguntur, fere omnes et singuli, exceptis probabiliter solis Johanne de Syrick atque Nicolao de Caputio, „capellani honoris" erant, ut cognomine tantum ornarentur, non tamen ipso fungerentur munere. Interim dubitandum non videtur, quin hujusmodi capellani honoris, saltem in beneficiis ecclesiasticis obtinendis et percipiendis, quotquot familiares papales frui solebant privilegiis et ipsi fuerint gavisi.

Jus appellandi ad Papam.

D. *Appellatio ad Sedem Apostolicam* inde oritur, quod Romanus Pontifex supremus est in Ecclesia judex atque justitiae tutor, cui plena commissa est ligandi et solvendi potestas. [2]) Quibusnam in casibus et quibus sub conditionibus liceat ab ecclesiastico judice inferiore ad Papam appellare sive, uti vulgo dicunt, „Apostolos petere," Canones diserte statuunt. [3]) Hujusmodi autem conditiones sic intelligendae sunt, ut firmum inconcussumque semper maneat principium generale, antiquissimis jam temporibus affirmatum: „ad Romanam ecclesiam omnes episcopi, qui voluerint vel quibus necesse fuerit, quasi ad caput suffugere eamque appellare debent," quum ipsa „fas de omnibus habeat judicandi neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissus." [4])

Deinde quod ad jus nostrum dioecesanum attinet, a° 1209 Theodericus

1) Cfr. Phillips *Kirchenrecht* VI. 441 seq. et *Kirchenlexikon* VI. 152 i. v. Hofkapläne.
2) Cfr. S. Matthaeus Ev. XVI: 19.
3) Decret. Greg. Lib. II. Tit. XXVIII; Sexti Decret. Lib. II. Tit. XV; Clement. Lib. II. Tit. XII.
4) Decr. secunda Pars Causa II. qu. VI. can. 6 et Causa IX. qu. III. can. 17.

de Are in statuto synodali diserte edixit: siquam ecclesiam sibi subditam ab episcopo vel ejus justitiario injuria affici contingat, „ecclesia laesa coram Papa vel archiepiscopo suam injuriam prosequetur". [1]) Canonicis Trajectensibus fas erat a sententia capituli vel appellare „ad immediatum superiorem, scilicet episcopum," vel etiam „omittere episcopum et appellare ad Papam," sed tunc oportebat „in scriptis appellare et causam exprimere." [2])

Variae appellationes Trajectenses.

Hisce de jure appellandi praenotatis facta breviter attingamus. Inter episcopos Trajectenses Sedem Apostolicam appellasse noscuntur: S. Radbodus adversus Megunthardum comitem Flandrensem; Otto II electus cum episcopo Tornacensi de limitibus dioecesium altercatus; Johannes de Diest, quum a° 1332 Ghernandum abbatem S. Pauli regimine destituisset ideoque in curia Coloniensi adversam incurrisset sententiam (numm. 5, 157, 881). Inter principes nostros Wilhelmus comes I Hollandiae in diuturna cum Ludovico de Los aemulatione a sententia archiepiscopi Trevirensis, [3]) Florentius V comes tam pro se quam pro Johanne de Nassau a censuris, quas Sigfridus Coloniensis metropolita inflixerat, Wilhelmus IV comes in bello Cameracensi audientiam papalem provocasse leguntur (numm. 78, 80, 352, 1341).

Contra neque desunt, qui ab episcopis nostris ad Apostolicam Sedem appellarunt. Sic a° 1258 quinque capitula Trajectensia, quum jura sua ab Henrico de Vianden episcopo violari deprecata sunt; [4]) a° 1276 abbas et conventus S. Petri Gandensis, quum a Johanne de Nassau electo in percipiendis decimis justitia sibi denegabatur (numm. 336 et 348); a° 1298 ipsa civitas Trajectensis, quum a Wilhelmo Bertholdi episcopo injurias sibi affici fuit conquesta. [5]) Similiter alii contra alios diversis in causis Apostolos petiisse repe riuntur: ita a° 1245 procurator capituli Majoris Trajectensis, quippe quod Gobertum de Perewez praepositum a Papa nominatum admittere noluerit (num. 167); an. 1292—1293 tum Nicolaus rector ecclesiae parochialis de Jutfaas cum ejus adversa pars, capitulum scilicet S. Salvatoris, ut jus in dictam ecclesiam alteri abjudicaretur; [6]) a° 1300 capitulum Majoris ecclesiae Trajectensis, quippe quod cum reliquis quattuor capitulis tunc de mutuis juribus altercatum sit; [7]) a° 1310 abbatissa et conventus Rynsburgenses adversus abbatem et conventum in Middelburg (num. 509); tandem a° 1367 Theodericus de Eze, cum capitulo Majori litem de decimis agitans, primum ab officiali Trajectensi curiam metropoliticam et deinde Apostolicam Sedem appellavit (num. 2292).

Variae autem sunt provisiones beneficiorum, quae appellationi ad Papam interponendae ansam dedisse expresse leguntur (numm. 596, 661, 950, 1068, 1555, 2165). Sed insuper multo saepius idem contigisse facile colligitur, quoties diplomata nostra quasi per transennam litis cujusdam in curia motae faciunt mentionem (v. gr. numm. 751, 755, 758).

Praeter appellationes hujusmodi in forma juridica ad Sedem Apostolicam

1) *Batavia Sacra* I. 152.
2) S. Muller *Het rechtsboek van den Dom* 151.
3) Cfr. supra Introd. p. XV—XVI.
4) Vermeulen *Inventaris* 223.
5) S. Muller *Regesten der stad Utrecht* 71—74.
6) Vermeulen 477 et 496.
7) Vermeulen 619.

interpositas complures querelas de injuriis sibi illatis cum a clericis tum a laicis Trajectensis dioeceseos ad Summum Pontificem delatas fuisse Bullarium nostrum tradit. In quibus judicandis alterutra via procedere mos erat. Vel ipsa in curia lis instituebatur et definitiva pronunciabatur sententia; hujus vero executio committi tunc solebat certis quibusdam judicibus, qui „simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, informatione recepta, si per informationem hujusmodi repereritis ita esse", decretum in curia editum efficiendum curarent (v. gr. num. 596). Vel aliis judicibus,[1] qui nostris in partibus commorati causam propius ipsi inspicere possent, rite se informandi, testes ad judicium evocandi, justam sententiam edendi facultas delegabatur; quam sententiam deinceps „appellatione postposita per censuram ecclesiasticam firmiter observari" facerent (v. gr. num. 279). Hunc in modum a° 1375 Johannes de Arkel tunc episcopus Leodiensis, qui antea per viginti annos et amplius ecclesiae Trajectensi praefuerat ejusque conditionem plane expertus noverat, judex deputatus esse legitur in causa difficillima, saepius eo tempore inter antistitem et archidiaconum Trajectenses de jurisdictione spirituali agitata (num. 2241). Eandem agendi rationem plerumque a Sede Apostolica in judiciis sapienter fuisse observatam, speciminibus quibus appareat Bullarium minime caret.

Epilogus. Nunc denique Introductionis nostrae finis. In qua nihil aliud sectatus sum, nisi ut quanta utilitas ad studia historica, quae quidem in rebus ecclesiasticis patriae nostrae versantur, ex toto hoc opere conferri possit, porro qua vi atque auctoritate his in regionibus usque ad an. 1378 Romani Pontifices gauderent, satis explicaretur.[2] Cujus instituti prior pars eo majoris videbatur momenti, quod tum vetusta Chronica cum auctores, a quibus episcoporum Trajectensium antiquam historiam descriptam novimus, res politicas vel profanas primo loco ponere amant, e contrario res stricte ecclesiasticas vel sacras non tam ex professo tractare, quam ut illis subordinatas. Instituti nostri altera pars maxime videtur idonea, qua convicia et opprobria Romanis Pontificibus ob supremam, qua nostris in partibus antiquitus usi sunt, auctoritatem vulgo imputata refutentur vel saltem de verbis exasperatis reprehendantur. Interim vero non apologeta, historicus tantum esse sincere studui. Idcirco tota hac Introductione ut ipsa diplomata paucis illustrata quidquid verum tali in re sciri possit fideliter patefaciant conatus sum. Porro hac solum ratione Bullarium Trajectense praebere apologiam solidam atque Pontificatu Romano, qui teste Josepho de Maistre[3] nulla alia defensione indiget nisi veritate, non indignam persuasum habeo. Itaque fore spero, ut in ecclesiasticam patriae quoque nostrae historiam quodammodo cadat insigne illud celeberrimi Pertzii elogium: *„die beste Vertheidigung der Päpste ist die Enthüllung ihres Seins."*[4]

Dabam Ultrajecti a. d. III Nonas Apriles MDCCCLXXXXVI.

---

1) Cfr. Indicem rerum i. v. *Judices deputati.*
2) Cfr. supra Praefatio p. III.
3) *Du Pape* (Anvers 1820) Chap. XIII. p. 284.
4) *Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde* (Hannover 1824) Bd. V. S. 29.

BULLARIUM TRAJECTENSE.

ROMANORUM PONTIFICUM DIPLOMATA

QUOTQUOT

OLIM USQUE AD URBANUM PAPAM VI (AN. 1378)
IN VETEREM EPISCOPATUM TRAJECTENSEM DESTINATA

REPERIUNTUR

COLLEGIT ET AUSPICIIS SOCIETATIS HISTORICAE RHENO-TRAJECTINAE EDIDIT

GISBERTUS BROM
ULTRAJECTINUS, S. THEOL. DOCTOR.

Tomi Secundi Fasciculus I.

HAGA-COMITIS
MARTINUS NIJHOFF.
1893.

CLEMENS VI (1342 –1352.)

1220. *1347, Junii 21, Avenionis.*

Cum Raynaldo (III) comite Gelriae et Maria nata Johannis (III) ducis Brabantiae ad petitionem Philippi regis Franciae dispensatur, quod impedimentis consanguinitatis, affinitatis, publicae honestatis non obstantibus matrimonium inire valeant.

Dilecto filio nobili viro Raynaldo comiti Ghelrie et dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie nate dilecti filii nobilis viri Johannis ducis Brabancie.

Sedis apostolice circumspecta benignitas status et condiciones personarum diligenter attendens, aliquibus presertim generis claritate sublimibus, Deo et sibi devotis nonnulla, rigorem canonum mansuetudine temperando, quandoque de gratia speciali, prout secundum Deum attenta utilitate publica cognoscit expedire, concedit que aliis merito denegantur. Nuper siquidem petitio pro parte carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris nobis exhibita continebat, quod cum terre ducatus Brabancie ac comitatus de Ghelrie *(sic)* sint in diversis partibus contigue ac vicine, si pacis et unitatis concordia inter vos et dominos terrarum ipsarum vigeat (et) continue foveatur, tam vobis quam incolis parcium illarum et habitatoribus varia exinde provenient commoda vitabunturque dispendiosa discrimina, que dissensiones et guerre dominorum predictorum producerent, sicut alias hoste procurante humani generis non sine multis stragibus et aliis variis rerum dispendiis ac animarum et personarum periculis produxerant, tractatum inter amicos vestros de voluntate regis ejusdem, qui statum dictarum parcium pacificum desiderat et tranquillum, extitit, sicut dudum, dum quondam Raynaldus comes Ghelrie genitor tuus, fili comes, adhuc in humanis ageret, fuerat, quod inter vos ad firmandam et solidandam hujusmodi pacis et unitatis concordiam vitandaque guerrarum discrimina invicem matrimonium contrahatur. Sed quia id pro eo fieri non valet absque dispensatione dicte sedis, quia vos in tercio et quarto et inferioribus seu remotioribus consanguinitatis gradibus ex utroque latere invicem attinetis, seu ex affinitate infra gradus predictos aut publice honestatis justicia hujusmodi matrimonium impeditur, nobis humiliter supplicari fecit rex predictus, ut providere super hoc de oportune dispensationis gratia dignaremur. Nos igitur bona innumera, que predicta concordia secum trahit et mala inenarrabilia, que dicte dissensiones, si essent, quod absit, producerent, ut alias ostendit rei evidentia, sicut superius est expressum, considerantes attente cupientesque bona procurari hujusmodi dictisque dispendiis et periculis salubriter obviari, supplicationi hujusmodi benignius inclinati, vobis-

cum, quod impedimentis ex hujusmodi affinitatis et consanguinitatis gradibus ac publice honestatis justicia provenientibus et quibuscunque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, licite valeatis invicem matrimonialiter copulari, auctoritate apostolica dispensamus, prolem ex hujusmodi suscipiendam matrimonio legitimam nichilominus nunciando. Nulli ergo *etc.* Dat. Avinione, XI Kl. Julii, anno sexto.

Reg. Vat. T. 141, *cap.* 84.

1221. *1347, Julii 3, Avenionis.*

Gerardo de Veno conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum ecclesiae Trajectensis, vacantes per obitum Giselberti de Everdingen, post diem 1 Octobris proxime elapsum defuncti, cujus beneficia die 20 Aprilis an. 1345 dispositioni sedis apostolicae erant reservata. — Deputantur executores.

Honestas morum.... Non obstantibus ... quod canonicatum et prebendam ac decanatum in Steenwijc Trajectensis diocesis nosceris obtinere.... Dat. Avinione, V Non. Julii, anno sexto.

Reg. Av. T. 38, *f.* 94.

1222. *1347, Julii 6, Avenionis.*

Johanni (de Arkel) episcopo Traj. laudando respondetur ad ipsius tam clausas quam patentes literas de Girardo (de Amerongen) temerario archidiaconatus et praepositurae S. Salvatoris Traj. occupatore.

Venerabili fratri Johanni episcopo Trajectensi.

Gratanter et placide tam clausis quam patentibus receptis fraternitatis tue litteris, qualiter ad conterendum presumptuosam illius Girardi occupatoris temerarii archidiaconatus et preposituге ecclesie sancti Salvatoris Trajectensis (temeritatem) [1]) ac ejus maliciosas fraudes et detestandos excessus correctione debita castigandos, tu zelo devotionis et justicie impendisti hactenus et proponis constanter impendere, describentibus in effectu, et contentis in eis intellectu pleno collectis, circumspectam et devotam tuam prudentiam et operosam in hac parte diligentiam multipliciter in Domino commendamus, fraternitatem rogantes et hortantes eandem, quatinus hujusmodi operosa solicitudo, commendatione digna multiplici, usque ad perfectionem votivam et salubrem non tepescat, sciturus, frater, quod tibi assistemus, quantum rationis equitas suaserit super hiis, nosque ad ea, que tuam et ecclesie tue commoditatem respiciant, reperies propicios et benignos. Rursus processus et littere, de quibus fiebat in tuis predictis litteris mentio, tibi cum presentibus destinantur. Que

autem circa premissa feceris, nobis rescribere quesumus non omittas. Dat. Avinione, II Non. Julii, anno sexto.

Reg. Vat. T. 141, *cap.* 139.

1) Hoc vel simile verbum omissum esse videtur.

1223. *1347, Julii 12, Avenionis.*

Cum Hellino de Steland armigero et Maria nata Walteri Serwautermans dispensatur super impedimento affinitatis in quarto gradu.

Dilecto filio Hellino de Steland armigero et dilecte in Christo filie Marie nate dilecti filii Walteri Serwautermans mulieri Trajectensis diocesis salutem *etc.*

Romani pontificis precellens auctoritas, quam ipse nequaquam ab homine obtinet sed a Deo, personarum et temporum qualitate pensata, nonnunquam sacrorum rigorem canonum, presertim circa personas, que nobilibus exorte natalibus ac Deo et sedi apostolice sint devote, prout expedire conspicit, mansuetudine temperans, eis interdum quod prohibet juris severitas de sue munificencia largitatis indulget. Sane nuper exhibite nobis pro parte vestra peticionis series continebat, quod vos dudum nullum impedimentum penitus tunc scientes, quominus matrimonialiter copulari possetis, bannis per dilectum filium .. vicarium .. ordinarii loci in spiritualibus generalem de gracia relaxatis, matrimonium per verba de presenti, nemine contradicente, in ecclesia invicem publice contraxistis illudque, carnali postmodum inter vos copula subsecuta, plures anni elapsi sunt, consummastis; processu vero temporis est compertum, quod tu, fili Helline, ante hujusmodi matrimonium sic contractum carnaliter cognoveras quandam mulierem nunc defunctam, tibi, filia Maria, quarto consanguinitatis gradu, dum viveret, prout asseritur, attinentem, propter quod .. officialis curie ac .. archidiaconi Trajectensis, ad ipsius noticiam hujusmodi impedimento perducto, pronunciavit matrimonium hujusmodi fore nullum. Cum autem, prout ipsa peticio subjungebat, ex separacione vestra hujusmodi homicidia et scandala maxima aliaque multa pericula inter vestrum cujuslibet consanguineos et amicos, ob ambarum parcium magnam potenciam, oriri procul dubio timeantur, tu, fili Helline, consultus Romanam curiam de longinquis partibus non absque magno tui corporis periculo visitasti nobisque tam tuo quam eciam tuo, filia Maria, nomine supplicastis, ut providere vobis super hoc de oportune dispensacionis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem et pacem querimus singulorum et libenter cunctis Christi fidelibus et presertim nobilitatis generositate conspicuis, jurgiorum matheriis amputatis quorumlibet et precisis, quietis et pacis commoda procuramus, hujusmodi scandalis, homicidiis atque periculis, quantum cum Deo possumus, obviare salubriter intendentes, vestris hujusmodi supplicacionibus inclinati, quod premissis nequaquam obstantibus matrimonium inter vos de novo contrahere ac in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeatis, vobiscum auctoritate apostolica de specialis dono gracie dispensamus, prolem suscipiendam ex hujusmodi matrimonio legitimam decernentes.

Nulli ergo *etc.* nostre dispensacionis et constitucionis infringere *etc.* Dat. Avinione, IIII Id. Julii, anno sexto.

Reg. Av. T. 43, *f.* 300.

1224—1225. *1347, Julii 12, Avenionis.*

A. *(Johanni) episcopo Traj. committitur, ut cum Rodolpho dicto Koc et Sophia nata Johannis de Ligno, nobilibus Traj. dioec., qui nullius impedimenti conscii matrimonium publice contraxerunt et etiam consummarunt, dispenset super impedimento affinitatis, exinde oriundo* „quod idem Rodolphus et quondam Johannes de Merweda tue prefate diocesis, prior ejusdem Sophie maritus, quarto consanguinitatis gradu se invicem attingebant."

B. *(Johanni) episcopo Traj. committitur, ut cum Alberto Gheyzinc de Elso et Eynbrowa Traj. dioec., qui nullius impedimenti conscii matrimonium publice contraxerunt et etiam consummarunt, super impedimento affinitatis dispenset, exinde oriundo,* „quod idem Albertus quandam mulierem, antequam dictum matrimonium fieret, fornicario actu cognoverat, que dicte Eynbrowe in tercio et quarto consanguinitatis gradibus attinebat."

Exhibita nobis.... Dat. *ut supra.*

Reg. Av. T. 43, *f.* 301v *et f.* 388.

1226. *1347, Julii 27, Avenionis.*

Everardo Theoderici conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum in ecclesia Trajectensi, vacantia per obitum Giselberti de Jutfaes, cujus beneficia die 16 Julii an. 1345 dispositioni sedis apostolicae erant reservata. — Deputantur executores.

Laudabilia merita.... Dat. Avinione, VI Kl. Augusti, anno sexto.

Reg. Av. T. 41, *f.* 468.

1227. *1347, Julii 29, Avenionis.*

Petro Buxeire conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum in ecclesia S. Salvatoris Traj., vacantia per obitum Tilemanni Vanden Campe, alias dicti de Campo, prope curiam defuncti. — Deputantur executores.

Probitatis et virtutum.... Dat. Avinione, IIII Kl. Augusti, anno sexto.

Reg. Av T. 41, *f.* 445.

1228. *1347, Augusti 6, Avenionis.*

Johanni Rogerii confertur thesauraria ecclesiae Trajectensis, vacans per obitum Giselberti de Jutfaes. — Deputantur executores.

Nobilitas generis.... Dat. Avinione, VIII Id. Augusti, anno sexto.
Reg. Av. T. 41, *f.* 479r.

1229. *1347, Augusti 16, Avenionis.*

Magistro Johanni de Pistorio, decano ecclesiae S. Salvatoris Traj., capellano domini Papae, conceditur licentia de bonis suis libere testandi.

Quia presentis.... Dat. Avinione, XVII Kl. Septembris, anno sexto.
Reg. Av. T. 44, *f.* 464.

1230. *1347, Septembris 7, Avenionis.*

Wilhelmo de Zyl clerico Traj. dioec. conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem capituli Trajectensis et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Honestas morum.... Dat. Avinione, VII Id. Septembris, anno sexto.
Reg. Av. T. 39, *f.* 145.

1231. *1347, Septembris 7, Avenionis.*

Everardo Arnoldi canonico ecclesiae S.S. Apostolorum Colon. conferenda reservantur canonicatus, praebenda et supplementum ecclesiae Trajectensis, quae mox vacare sperantur, ex eo quod „Johannes de Clivis canonicus ecclesie Trajectensis, apostolice sedis capellanus, intendat ad laycalia vota se transferre et quandam mulierem publice in uxorem ducere proponat." — *Deputantur executores.*

Vite ac morum.... Dat. Avinione, VII Id. Septembris, anno sexto.
Reg. Av. T. 40, *f.* 394v.

1232. *1347, Septembris 26, Avenionis.*

Abbati monasterii S. Genovefae Parisiensis mandatur, ut Guillermo de Dolagne [1]) *clerico Parisiensi in ecclesia Trajectensi canonicatum conferat et praebendam cum supplemento reservet.*

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, VI Kl. Octobris, anno sexto.

Reg. Vat. T. 40, *f.* 153v.

1) Vel: Dolague?

1233. *1347, Novembris 23, Avenionis.*

Viveno de Akersloet clerico Traj. dioec. conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem abbatus et conventus Egmondensium et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Laudabilia merita.... Dat. Avinione, VIIII Kl. Decembris, anno sexto.

Reg. Av. T. 39, *f.* 228.

1234. *1348, Januarii 7, Avenionis.*

Executoribus mandatur, ut Pelegrino de Reno 1) *canonico ecclesiae S. Petri Traj. conferant praeposituram ejusdem ecclesiae ex eo vacantem, quod ipsam Ricoldus de Hessewijc clericus insimul cum praepositura Zutphaniensi absque aliqua dispositione retinere praesumpsit et adhuc praesumit.*

Dilectis filiis .. abbati monasterii Egmondensis Trajectensis diocesis et Henrico de Weyda ac Thederico de Jutfaes canonicis Trajectensibus salutem *etc.*
Merita probitatis.... Non obstantibus ... quod idem Pelegrinus ... de personatu ecclesie de Puten 2) Trajectensis diocesis in Romana curia se asserit litigare.... Dat. Avinione, VII Id. Januarii, anno sexto.

Reg. Av. T. 42, *f.* 370v.

1) Codex habet: de Recio. 2) Putten in Velavia.

1235. *1348, Januarii 8, Avenionis.*

Suedero de Manaforde 1) *laico Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, VI Id. Januarii, anno sexto.

Reg. Av. T. 39, *f.* 395r.

1) Montfoort?

1236. *1348, Januarii 18, Avenionis.*

Everardo Theodorici de novo conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum ecclesiae Trajectensis, quorum collatio die 27 Julii an. 1347 viribus carebat, quia tunc clericali charactere nondum insignitus erat. — Deputantur executores.

Laudabilia merita.... Dat. Avinione, XII Kl. Februarii, anno sexto.

Reg. Av. T. 42, *f.* 303.

1237. *1348, Januarii 29, Avenionis.*

Nobili mulieri Agneti dominae castri de Montforde Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, IIII Kl. Februarii, anno sexto.

Reg. Av. T. 44, *f.* 447.

1238. *1348, Martii 14, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut magistro Johanni de Pistorio, capellano domini Papae et decano ecclesiae S. Salvatoris Traj., qui pro certis negotiis ad Elisabeth reginam Ungariae destinatur, quolibet die, quo hujusmodi negotiorum prosecutioni institerit, in quatuor florenis auri et de salvo conductu providere curent.

.. Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis *etc.* ... ad quos littere presentes pervenerint, salutem.

Cum dilectum filium.... Dat. Avinione, II Id. Marcii, anno sexto.

Reg. Vat. T. 141, *cap.* 1181. Similiter pro eodem ad diversos principes.

1239. *1348, Martii 27, Avenionis.*

Rutgero Wusting clerico Traj. dioec., qui de soluto genitus et soluta ad omnes sacros ordines suscipiendum et beneficium etiam curatum obtinendum dispensationem jam dudum obtinuit, indulgetur, quod duo beneficia recipere et etiam permutare libere valeat.

Probitatis et.... Dat. Avinione, VI Kl. Aprilis, anno sexto.

Reg. Av. T. 44, *f.* 418v.

1240. *1348, Aprilis 2, Avenionis.*

Johanni de Westende canonico ecclesiae Elstensis Traj. dioec. declaratur, literas apostolicas [1], *quibus ipsi de canonicatu et praebenda Elstensibus provisum est et etiam indultum, quod eadem simul cum perpetua vicaria ecclesiae Trajectensis retinere posset, perinde valere ac si in praefatis literis expressum fuisset, dictis canonicatui et praebendae curam imminere animarum.*

Suffragancia tibi.... Dat. Avinione, IIII Non. Aprilis, anno sexto.

Reg. Av. T. 43, *f.* 414.

1) Supra num. 1091.

1241. *1348, Aprilis 16, Avenionis.*

Ghiselberto dicto Grater [1] *de Renen canonico ecclesiae S. Lebuini Daventriensis, qui super canonicatu et praebenda ecclesiae Elstensis, de quibus tunc per obitum Stephani Brent alias dicti Vos de Embrica vacantibus per literas apostolicas ipsi dudum provisum est, cum Johanne dicto Vanden Westeynde perpetuo ecclesiae Trajectensis vicario in curia litigat, datur declaratio, praefatas literas perinde valere ac si expressum ibi fuisset, quod dicti canonicatus et praebenda ab aliquibus quarta Elstensis ecclesiae pars nuncupantur ac iisdem cura imminet animarum.*

Meritis tue.... Dat. Avinione, XVI Kl. Maji, anno sexto.

Reg. Av. T. 44, *f.* 402v.

1) Vel: Gruter?

1242—1243. *1348, Aprilis 25, Avenionis.*

A. *Geraldo Pyl conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae b. Mariae Traj., quae cum Johanne Majoris pro parochiali ecclesia de Ema Traj. dioec. putavit permutanda. — Deputantur executores, inter quos Johannes Spirinc* [1] *et Henricus dictus Berro* [2] *de Broechusen canonici ecclesiae Traj.*

B. *Johanni Majoris confertur parochialis ecclesia de Ema Traj. dioec. — Iidem deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, VII Kl. Maji, anno sexto.

Reg. Av. T. 38, *f.* 191 *et T.* 41, *f.* 276. B habet: 1) Spiririnc, et 2): Borroni.

1244. *1348, Aprilis 25, Avenionis.*

Giselberto de Walenborch conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum ecclesiae S. Salvatoris Traj., quae olim a Johanne de Daventria obtenta nunc per liberam resignationem Wilhelmi de Zyl clerici vacant, licet adhuc a Gerardo de Herderwic clerico et Johanne Grawart occupata teneantur. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Non obstantibus .... quod in ecclesia Davantriensi Trajectensis diocesis canonicatum et thesaurariam .... sub expectatione prebende ac supplementi ac dimidiam portionem parochialis ecclesie sancti Nicolai Trajectensis per duos solite gubernari rectores obtines.... Dat. Avinione, VII Kl. Maji, anno sexto.

Reg. Av. T. 38, *f.* 226.

1245. *1348, Maji 10, Avenionis.*

Arnaldo domino de Yselsteyne nobili viro Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, VI Id. Maji, anno sexto.

Reg. Av. T. 44, *f.* 455v.

1246. *1348, Maji 19, Avenionis.*

Gerardo nato Vopponis de Rotterdam clerico Traj. dioec. conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem abbatis et conventus monasterii S. Pauli Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Exigentibus tue.... Dat. Avinione, XIIII Kl. Junii, anno septimo.

Reg. Av. T. 46, *f.* 492v.

1247. *1348, Maji 20, Avenionis.*

Wilhelmo Wilhelmi Gheester de Rynsborgh clerico Traj. dioec. conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem abbatis et conventus Egmondensium et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Dat. Avinione, XIII Kl. Junii, anno septimo.

Reg. Av. T. 48, *f.* 52v.

1248. *1348, Maji 21, Avenionis.*

(Johanni) episcopo Traj. committitur, ut Johanni de Polanen militi et Odae natae quondam Willermi de Hoerne, qui cum impedimento consanguinitatis in quarto gradu matrimonium inierunt ac consummarunt, absolutionem ab excommunicationis sententia necnon dispensationem concedat et iisdem injungat poenitentiam salutarem.

Venerabili fratri episcopo Trajectensi salutem *etc.*

Peticio nobilis viri Johannis de Pollanen militis et nobilis mulieris Ode quondam Willermi domini de Hoerne nate Trajectensis et Leodiensis diocesum nobis exhibita continebat, quod dudum pro parte ejusdem Johannis et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Aleydis domine de Craendunc nate Willermi et sororis Ode predictorum nobis exposito, quod ad sedandum guerras et dissensiones, que inter ipsorum communes amicos et consanguineos, procurante pacis emulo, hactenus viguerant, prout vigebant, et propter quas diverse et plures guerre inter principes convicinos videlicet dilectos filios nobiles viros Johannem ducem Brabancie et comitem Holandie fuerant frequenter exorte, dictis amicis mediantibus habitus extiterat tractatus, quod ipsi Johannes miles et Aleydis, qui matrimonium ad invicem contrahere desiderabant, matrimonialiter copletarent; set quia ipsi quarto consanguinitatis gradu se invicem contingebant, matrimonium hujusmodi contrahere non poterant, dispensacione super hoc apostolica non obtenta; ac supplicato nobis, ut providere eis super hoc de oportune dispensacionis gracia misericorditer dignaremur, nos tibi per alias nostras dedimus litteras [1]) in mandatis, ut si esset ita, cum prefatis Johanne milite et Aleyde, quod impedimento consanguinitatis hujusmodi non obstante matrimonium insimul licite contrahere et, postquam contractum foret, in eo licite remanere valerent, auctoritate nostra dispensares, prolem suscipiendam ex hujusmodi matrimonio legitimam decernendo, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut eadem peticio subjungebat, antequam ad ulteriora procederetur inter ipsos Johannem militem et Aleydem, eadem Aleydis supervenientem pateretur infirmitatem, prout adhuc patitur, ita quod ipsis et eorum amicis non videbatur expedire, quod hujusmodi tractatus matrimonii fieret inter eos, ob hoc et alia supradicta iidem Johannes et Oda ex tractatu et voluntate amicorum utriusque ipsorum, scientes se dicto gradu conjunctos, matrimonium de facto adinvicem contraxerunt, carnali inter eos copula subsecuta. Quare predicti Johannes miles et Oda nobis humiliter supplicarunt, ut ad sedandum premissa et obviandum gravibus dissensionibus ac personarum et rerum periculis, que ex ipsorum divorcio, si fieret, timerentur verisimiliter provenire, eis de absolucionis ab excommunicacionis sentencia, quam propterea incurrerunt, et dispensacionis oportune remediis providere misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui Christifidelibus libenter pacis commoda procuramus, volentes hujusmodi dissensionibus et periculis quantum cum Deo possumus obviare, hujusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus, si est ita et tibi expediens videatur, quod dicta dispensacio concedatur, super quo tuam conscienciam oneramus, ipsis Johanne milite et Oda separatis ad tempus, de quo tibi videbitur expedire, ipsos a sentencia excommunicacionis, quam scienter contrahendo dictum matrimonium incurrerunt,

auctoritate nostra juxta ecclesie formam absolvas, injunctis eis inter alia sub virtute juramenti prestandi, quod de cetero similia non committant nec facientibus prebeant consilium, auxilium vel favorem, ac penitencia salutari et aliis, que de jure fuerint injungenda; et demum cum eisdem Johanne milite et Oda, ut impedimento ex consanguinitate hujusmodi proveniente nequaquam obstante, matrimonium de novo contrahere et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeant, eadem auctoritate dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex eis legitimam decernendo. Volumus autem, quod predicti Johannes miles et Oda unam perpetuam capellaniam instituere eamque de viginti libris Turonensium parvorum annui redditus dotare infra biennium teneantur, super quo ydoneam recipias cautionem. Dat Avinione, XII Kl. Junii, anno septimo.

Reg. Av. T. 46, *f.* 47v.

1) Supra num. 1088.

1249. *1348, Maji 25, Avenionis.*

Jacobo de Binchorst militi, domino de Rosenberch, Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, VIII Kl. Junii, anno septimo.

Reg. Av. T. 46, *f.* 347.

1250. *1348, Maji 28, Avenionis.*

Arnoldo domino de Iselsteine, militi Traj. dioec. conceditur licentia habendi altare portatile.

Sincere devotionis.... Dat. Avinione, V Kl. Junii, anno septimo.

Reg. Av. T. 45, *f.* 213.

1251. *1348, Junii 27, Avenionis.*

Arnoldo domino de Iselsteine, militi Traj. dioec. indulgetur, quod in locis interdicto suppositis Missam et alia divina officia privatim celebrari facere valeat.

Devocionis tue.... Dat. Avinione, V Kl. Julii, anno septimo.

Reg. Av. T. 45, *f.* 213.

1252. *1348, Junii 27, Avenionis.*

(Engelberto) episcopo Leodiensi committitur, ut ad sedandum dimicationes mortalissimas, qui diu inter ipsorum progenitores viguerunt, cum Willelmo domino de Hoerne et Mattildi nata Johannis domini de Arkel Leod. et Traj. dioec. dispenset, quatenus non obstante impedimento consanguinitatis in quarto gradu matrimonium inter se contrahere valeant.

Petitio pro parte.... Dat. Avinione, V Kl. Julii, anno septimo.

Reg. Av. T. 46, *f.* 83v.

1253. *1348, Julii 11, Avenionis.*

(Johanni) episcopo Traj. committitur, ut cum Wigboldo Hermanni et Inta[1]) *nata Alberti de Gherner nobilibus suae dioec. dispenset, quatenus non obstante impedimento affinitatis in quarto gradu matrimonium inter se contrahere valeant.*

Exhibita nobis.... Dat. Avinione, V Id. Julii, anno septimo.

Reg. Av. T. 45, *f.* 192.

1) Vel: Juta?

1254. *1348, Julii 16, Avenionis.*

Cristiano de Elst magistro in artibus, qui „a duodecim annis circiter et etiam per aliquos annos Parisiis et in Romana curia in theologica facultate" *studuit, conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia S. Johannis Traj., vacantes per obitum Alberti dicti Hovel, apud sedem apostolicam defuncti. — Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, XVII Kl. Augusti, anno septimo.

Reg. Av. T. 48, *f.* 19r.

1255. *1348, Julii 21, Avenionis.*

Wilhelmo dicto Hovel de Zande conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia Embricensi, vacantes per obitum Alberti dicti Hovel. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Dat. Avinione, XII Kl. Augusti, anno septimo.

Reg. Av. T. 48, *f.* 91.

1256. *1348, Octobris 18, Avenionis.*

Henrico de Haslo clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto Traj. dioec. confertur tabellionatus officium.

Ne contractuum memoria.... Dat. Avinione, XV Kl. Novembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 45, *f.* 100v.

1257. *1348, Octobris 18, Avenionis.*

Petro de Cargavo in artibus et medicina magistro conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia S. Johannis Traj., vacantes per obitum Guillermi de Pluderen, apud sedem apostolicam defuncti. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, XV Kl. Novembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 48, *f.* 276.

1258. *1348, Novembris 8, Avenionis.*

Ludovico „de Renghersuliece" *conferuntur canonicatus, praebenda cum supplemento et choriepiscopatus ecclesiae Trajectensis, quae cum Roberto de Scorriaco pro praepositura ecclesiae S. Petri Rothnacensis et capellania b. Catharinae de Malda Cameracensis dioec. putavit permutanda. — Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, VI Id. Novembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 49, *f.* 394v.

1259. *1348, Decembris 8, Avenionis.*

Jordano de Noureberch tamquam rectori confertur parochialis ecclesia de Wesepe [1] *Traj. dioec., quam cum Hillino de Jamerloe pro parochiali ecclesia in Alphen Colon. dioec. putavit permutandam. — Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, VI Id. Decembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 47, *f.* 190v.

1) Weesp.

1260. *1348, Decembris 8, Avenionis.*

Thomae de Withing tamquam rectori confertur parochialis ecclesia de Risewic [1] *Traj. dioec., quam cum Arnoldo de Hudem pro parochiali ecclesia in Droemel* [2] *Colon. dioec. putavit permutandam. — Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. *ut supra.*
Reg. Av. T. 47, *f.* 298.

1) Rijswijk. 2) Dreumel in Gelria.

1261. *1348, Decembris 29, Avenionis.*

Gerardo Foec utriusque juris perito conferuntur canonicatus, praebenda cum supplemento et decanatus curatus in ecclesia S. Salvatoris Traj., vacantes per liberam resignationem Johannis episcopi Tridentini. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, IIII Kl. Januarii, anno septimo.
Reg. Av. T. 48, *f.* 289v.

1262. *1349, Martii 20, Avenionis.*

Julianae relictae quondam Nicholay de Huesden, viduae Traj. dioec., conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, XIII Kl. Aprilis, anno septimo.
Reg. Av. T. 45, *f.* 181.

1263. *1349, Martii 20, Avenionis.*

Martino de Sanctopetroveteri thesaurario ecclesiae Lausanensis conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum, in ecclesia Trajectensi per consecrationem Lazerini electi Albiensis proxime vacatura. — Deputantur executores.

Suffragancia tibi.... Dat. Avinione, XIII Kl. Aprilis, anno septimo.
Reg. Av. T. 49, *f.* 332.

1264. *1349, Martii 26, Avenionis.*

Petro de Leyden confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia b. Mariae Traj. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Non obstantibus ... quod parrochialem ecclesiam de Wemeldingh [1]) Trajectensis dioecesis nosceris obtinere.... Dat. Avinione, VII Kl. Aprilis, anno septimo.
Reg. Av. T. 45, *f.* 538v.

1) Wemeldinge in Sutbevelandia.

1265. *1349, Aprilis 16, Avenionis.*

Reynaldo (III) comiti et Mariae comitissae Gelriae indulgetur, quod in locis interdicto suppositis Missam et alia divina officia privatim celebrari facere valeant.

Dilecto filio nobili viro Renaldo comiti et dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie comitisse Guellensibus *(sic)* salutem *etc.*

Devocionis vestre.... Dat. Avinione, XVI Kl. Maji, anno septimo.

Reg. Av. T. 46, *f.* 254.

1266. *1349, Aprilis 16, Avenionis.*

Iisdem conceduntur literae confessionales.

Benigno nobis sunt.... Dat. *ut supra.*

Ibidem.

1267. *1349, Aprilis 16, Avenionis.*

Iisdem conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, XVI Kl. Maji, anno septimo.

Reg. Av. T. 46, *f.* 367v.

1268—1269. *(1348, a die 19 Maji usque ad diem 18 Maji an. 1349.)*

A. Johanni Thome de Huesden providetur de decanatu ecclesie sancti Martini Embricensis Trajectensis diocesis vacante.

B. Roberto Ayme providetur de canonicatu et prebenda ac supplemento ecclesie Trajectensis vacantibus.

Ita legitur in rubrica literarum anni septimi, quae deficiunt: Reg. Av. T. 48, *f.* 543v *et* 546.

1270—1273. *1349, Maji 22, Avenionis.*

A. *Nicholao Henrici de Zevenberghen, perpetuo capellano capellae sitae in curia Hugemanni domini de Zevenberghen Leod. dioec., magistro in artibus, conferendum reservatur beneficium in districtibus Zelandiae aut Hollandiae*

vacans vel vacaturum et cum cura 70, sine cura vero 50 librarum Turonensium parvorum valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

B. *Arnoldo de Gruthuys rectori parochialis ecclesie* „de Anuners" [1]) *Traj. dioec., magistro in artibus, conferendum reservatur beneficium sine cura, spectans ad dispositionem capituli b. Mariae Traj. et 20 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.*

C. *Johanni Reedsaert clerico Tornacensis dioec., magistro in artibus, conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem capituli Daventriensis et cum cura 70, sine cura vero 50 librarum Turonensium parvorum valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.*

D. *Theoderico Bor clerico Traj. dioec., magistro in artibus, conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem capituli Trajectensis et cum cura 27, sine cura vero 20 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, XI Kl. Junii, anno octavo.

Reg. Av. T. 54, *scilicet* A *f.* 442v; B *f.* 456; C *f.* 567; D *f.* 574v.

1) Legendum videtur: Ammers = Ammerstol sive Klein-Ammers ad Lecam.

1274. *1349, Maji 22, Avenionis.*

Johanni Walteri de Arnhem clerico Traj. dioec., magistro in artibus, conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem capituli S. Petri Traj. et cum cura 27, sine cura vero 20 marcarum argenti valorem annuum excedens. — Deputantur executores.

Suffragancia tibi.... Dat. *ut supra.*

Reg. Av. T. 54, *f.* 519.

1275. *1349, Maji 23, Avenionis.*

Johanni de Hay clerico Traj. dioec., baccalaureo in legibus, conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem abbatis et conventus de Egmunde et cum cura 60, sine cura vero 40 librarum Turonensium parvorum valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, X Kl. Junii, anno octavo.

Reg. Av. T. 54, *f.* 329r.

1276. *1349, Junii 20, Avenionis.*

Rolando de Mirabele magistro in artibus confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia b. Mariae Traj. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, XII Kl. Julii, anno octavo.

Reg. Av. T. 55, *f.* 353v.

1277. *1349, Junii 21, Avenionis.*

Engelberto dicto Elze tamquam rectori confertur parochialis ecclesia in Hiere 1) *Traj. dioec., vacans per liberam resignationem Johannis de Elze. — Deputantur executores.*

Vite ac morum.... Dat. Avinione, XI Kl. Julii, anno octavo.

Reg. Av. T. 52, *f.* 155.

1) Hierden prope Hardervicum?

1278. *1349, Junii 21, Avenionis.*

Hugoni Willermi de Lapide de Ardembourch clerico Tornacensis dioec., magistro in artibus, conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem abbatis et conventus b. Mariae in Middelburg 1) *Traj. dioec. et cum cura 70, sine cura vero 50 librarum Turonensium parvorum valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, XI Kl. Junii, anno octavo.

Reg. Av. T. 53, *f.* 345.

1) Codex habet: Mildebourch.

1279. *1349, Junii 21, Avenionis.*

Johanni Heyging 1) *clerico Traj. dioec. conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem episcopi et capituli Trajectensium et cum cura 25, sine cura 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.*

Laudabile testimonium.... Dat. Avinione, XI Kl. Julii, anno octavo.

Reg. Av. T. 54, *f.* 429v.

1) Legendum videtur: Heying.

1280. *1349, Julii 1, Avenionis.*

Abbatissae et conventui monasterii in Reynsburgh confirmantur omnes libertates, immunitates, indulgentiae, exemptiones, a Romanis pontificibus vel aliis rationabiliter ipsis concessae.

Solet annuere.... Dat. Avinione, Kl. Julii, pontificatus nostri anno octavo.

Autographum in archivo Status Hagae-Comitano, cum sigillo plumbeo filis sericis rubri flavique coloris appenso; super plica inferiori: $\text{A. Raynaldi,}^{\text{Rta}}$ *a tergo:* Gerlacus de Doernic. *Ibidem apographum saec. XV in chartul. Rinisburgensi II, f.* 81.

1281. *1349, Julii 29, Avenionis.*

Geraldo Naldekin clerico Trajectensi non conjugato nec in sacris ordinibus constituto confertur tabellionatus officium.

Ne contractuum.... Dat. Avinione, IIII Kl. Augusti, anno octavo.
Reg. Av. T. 53, *f.* 478.

1282. *1349, Augusti 18, Avenionis.*

Hugoni Elye baccalaureo in jure canonico tamquam rectori confertur parochialis ecclesia in Lopic Traj. dioec., vacans per liberam resignationem Hugonis Uusting. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, XV Kl. Septembris, anno octavo.
Reg. Av. T. 52, *f.* 287.

1283. *1349, Augusti 18, Avenionis.*

Hermanno dicto Speculum clerico Traj. dioec. conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem abbatis et conventus Egmundensium et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Attributa tibi.... Dat. Avinione, XV Kl. Septembris, anno octavo.
Reg. Av. T. 53, *f.* 294v.

1284—1285. *1349, Augusti 18, Avenionis.*

A. *Gerlaco Gerardi Eyse clerico Traj. dioec. conferendum reservatur simile beneficium spectans ad collationem capituli S. Salvatoris Traj. — Deputantur executores.*

B. *Petro dicto Wolfart presbytero Traj. dioec. conferendum reservatur simile beneficium spectans ad dispositionem episcopi Trajectensis. — Deputantur executores.*

Exigentibus tue.... Dat. *ut supra.*

A *Reg. Av. T.* 53, *f.* 321 *et* B *T.* 54, *f.* 386.

1286—1288. *1349, Septembris 16, Avenionis.*

A. *Agneti relictae quondam Roveri de Montfoerde militis, nobili viduae Traj. dioec., conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

B. *Johanni de Coinde laico Traj. dioec. idem privilegium.*

C. *Arnoldo de Duvenvoerde nobili militi Traj. dioec. idem privilegium.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, XVI Kl. Octobris, anno octavo.

Reg. Av. T. 51, *f.* 468v.

1289. *1349, Septembris 24, ap. Villamnovam.*

Gerardo de Naldekin clerico Traj. dioec. conferenda reservantur canonicatus, praebenda et supplementum in ecclesia S. Petri Traj., proxima vacatura per dimissionem Johannis episcopi Tridentini. — Deputantur executores.

Merita probitatis.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIII Kl. Octobris, anno octavo.

Reg. Vat. T. 55, *f.* 253.

1290. *1349, Octobris 4, Avenionis.*

Giselberto de Walenborch conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum in ecclesia Trajectensi, vacantia per obitum Hugonis Uustinc et die 26 Novembris an. 1347 dispositioni sedis apostolicae reservata. — Deputantur executores.

Morum et vite.... Non obstantibus .... quod in capella castri de Horst cum prebenda et in Davantriensi Trajectensis diocesis thesaurariam sub expectatione prebende ac supplementi obtines et in Herbipolensi ac in sancti Salvatoris [1]) Trajectensi ecclesiis de canonicatibus, prebendis ac supplementis tibi auctoritate nostra asseris fuisse provisum.... Dat. Avinione, IIII Non. Octobris, anno octavo.

Reg. Av. T. 54, *f.* 197.

1) Supra num. 1244.

1291. *1349, Octobris 10, Avenionis.*

Riquino Uppenorde conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae S. Johannis Traj., vacantes per liberam resignationem magistri Jacobi de Pistorio, literarum poenitentiariae in curia scriptoris. — Deputantur executores.

Probitatis et.... Non obstantibus .... quod in ecclesia sancti Salvatoris Trajectensi quandam perpetuam vicariam .... diceris obtinere.... Dat. Avinione, VI Id. Octobris, anno octavo.

Reg. Av. T. 52, *f.* 231.

1292. *1349, Octobris 19, Avenionis.*

Geraldo Naldekin clerico Caroli Romanorum regis conferuntur canonicatus et praebenda sub expectatione supplementi in ecclesia S. Salvatoris Traj., vacantes per obitum Bettonis dicti Blieth, cujus beneficia die 30 Octobris an. 1346 dispositioni sedis apostolicae sunt reservata; eidem Geraldo datur licentia, dicta beneficia cum canonicatu, praebenda et supplemento ecclesiae S. Petri Traj., quae jam obtinet, necnon cum beneficio, quod a capitulo hujus ecclesiae expectat, libere retinendi. — Deputantur executores.

Probitatis et.... Dat. Avinione, XIIII Kl. Novembris, anno octavo.

Reg. Av. T. 54, *f.* 186.

1293. *1349, Octobris 20, Avenionis.*

Archiepiscopo Coloniensi ejusque suffraganeis mandatur, ut singuli in suis civitatibus et dioecesibus adinventiones et ritus profanos, quos Flagellatores temerarie attentant, reprobos et illicitos publice denuncient ac omnes tam ecclesiasticos quam laicos ab hujusmodi superstitione efficaciter avertant.

Inter solicitudines.... Dat. Avinione, XIII Kl. Novembris, anno octavo.

Reg. Av. T. 55, *f.* 555. In e. m. ac quamplurimis aliis archiepiscopis eorumque suffraganeis.

1294. *1349, Octobris 22, Avenionis.*

Abbatissae et conventui monialium monasterii in Reynsburch conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, XI Kl. Novembris, pontificatus nostri anno octavo.

Autographum nonnihil laceratum in archivo Status Hagae-Comitano, cum sigillo plumbeo, filis sericis rubri flavique coloris appenso; latere sinistro subscriptum est: L G. Andect, *latere dextero:* R.; *super plica inferiori:* M. Paschalis; *a tergo:* R. *Ibidem apographum saec. XV in chartul. Rinisburgensi II, fol.* 79. *In Reg. Av. T.* 55, *f.* 72 *nonnisi in rubrica.*

1295. *1349, Novembris 24, Avenionis.*

Johanni Pape alias de Casleto conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum in ecclesia Trajectensi, vacantia per obitum Henrici de Jutfaes et die 26 Maji an. 1349 dispositioni sedis apostolicae reservata. — Deputantur executores.

Morum decor.... Dat. Avinione, VIII Kl. Decembris, anno octavo.
Reg. Av. T. 54, *f.* 249.

1296. *1349, Decembris 6, Avenionis.*

Giselberto de Brochusen conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia S. Salvatoris Traj., vacantes per obitum Johannis de Arena et die 13 Augusti an. 1348 dispositioni sedis apostolicae reservatae. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Non obstantibus ... quod capellam sine cura de Appetonda *(sic)* [1]) Trajectensis diocesis, que de patronatu laicorum existit, nosceris obtinere.... Dat. Avinione, VIII Id. Decembris, anno octavo.
Reg. Av. T. 52, *f.* 301[v].

1) Legendum videtur: Appecouda = Abcoude.

1297. *1349, Decembris 8, Avenionis.*

Henrico de Weyda confertur decanatus ecclesiae Trajectensis, vacans per obitum Henrici de Judfaes et die 26 Maji an. 1349 dispositioni sedis apostolicae reservatus. — Deputantur executores.

Nobilitas generis.... Non obstante ... quod canonicatum et prebenda ac supplementum in ecclesia predicta necnon preposituram Frisie, cui cura imminet animarum, Trajectensis diocesis nosceris obtinere.... Dat. Avinione, VI Id. Decembris, anno octavo.
Reg. Av. T. 52, *f.* 581.

1298. *1349, Decembris 10, Avenionis.*

Ghiselberto de Rienen confertur canonicatus et conferenda reservatur praebenda in ecclesia Trajectensi, reservatur insuper praepositura Westfrisiae proxime vacatura, quamprimum Henricus de Veyda (sic) decanatus in eadem ecclesia possessionem pacificam assecutus fuerit. — Deputantur executores.

Morum et vite.... Non obstantibus ... quod in ecclesia sancti Lebuini Daventriensi canonicatum et prebendam obtines et quod super canonicatu et

prebenda seu quarta parte ecclesie Elstensis Trajectensis diocesis nosceris litigare.... Dat. Avinione, IIII Id. Decembris, anno octavo.
Reg. Av. T. 55, *f.* 501v.

1299—1300. *1349, Decembris 21, Avenionis.*

A. *Adelize de Wulven relictae quondam Johannis de Zaelmonde, viduae Traj. dioec., conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*
B. *Henrico de Weyda canonico ecclesiae Trajectensis idem privilegium.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, XII Kl. Januarii, anno octavo.
Reg. Av. T. 51, *f.* 472v.

1301. *1349, Decembris 23, Avenionis.*

Roberto Ayme canonico Trajectensi indulgetur, quod scholasticis insistendo disciplinis non teneatur ad personalem in suis beneficiis residentiam. — Cujus privilegii deputantur conservatores.

Personam tuam.... Dat. Avinione, X Kl. Januarii, anno octavo.
Reg. Vat. T. 51, *f.* 444v.

1302. *1350, Januarii 18, Avenionis.*

Henrico de Tiveren conferuntur tamquam rectori parochialis ecclesia de Lexmonde necnon perpetua vicaria ecclesiae S. Salvatoris Traj., quas cum Henrico Utenleen pro parochiali ecclesia de Carnisse putavit permutandas. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, XV Kl. Februarii, anno octavo.
Reg. Av. T. 52, *f.* 361v.

1303. *1350, Januarii 18, Avenionis.*

Henrico Utenleen tamquam rectori confertur parochialis ecclesia de Carnisse Traj. dioec. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Non obstantibus ... quod canonicatum et prebendam ecclesie Arnhemensis Trajectensis diocesis nosceris obtinere.... Dat. *ut supra.*
Reg. Av. T. 53, *f.* 94v.

1304. *1350, Januarii 30, Avenionis.*

(Johanni) episcopo Traj. mandatur, ut Gerardo Bierwis conferat canonicatum et praebendam reservet in ecclesia S. Salvatoris Traj.

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, III Kl. Februarii, anno octavo.
Reg. Av. T. 55, *f.* 325.

1305—1306. *1350, Februarii 1, Avenionis.*

A. *Ricaldo de Hezewyc praeposito ecclesiae S. Petri Traj. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.*

B. *Martino Alfardi thesaurario ecclesiae Zutphaniensis Traj. dioec. idem privilegium.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, Kl. Februarii, anno octavo.
Reg. Av. T. 51, *f.* 476.

1307. *1350, Februarii 1, Avenionis.*

Wilhelmo dicto Zande tamquam rectori confertur parochialis ecclesia de Campen Traj. dioec., vacans per obitum Alberti de Varrenhoute, cujus beneficia sedes apostolica sibi die 18 Novembris an. 1347 reservavit. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Non obstantibus ... quod in ecclesia Embricensi dicte diocesis canonicatum et prebendam nosceris obtinere.... Dat. Avinione, Kl. Februarii, anno octavo.
Reg. Av. T. 53, *f.* 95.

1308—1311. *1350, Martii 13, Avenionis.*

A. *Maurino nato quondam Bertholdi Saye laico et Hadewigi ejus uxori Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

B. *Johanni domino castri de Egmonda militi et Guiotae ejus uxori nobilibus Traj. dioec. idem privilegium.*

C. *Nicolao Stenart et Alaydi ejus uxori Traj. dioec. idem privilegium.*

D. *Margaritae Paridans mulieri Traj. dioec. idem privilegium.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, III Id. Marcii, anno octavo.
Reg. Av. T. 51, *f.* 479.

1312. *1350, Martii 15, Avenionis.*

Henrico Demberg confertur canonicatus et reservatur praebenda necnon dignitas, personatus vel officium in ecclesia Trajectensi. — Deputantur executores.

Attributa tibi.... Dat. Avinione, Id. Marcii, anno octavo.
Reg. Av. T. 55, *f.* 92v.

1313. *1350, Aprilis 23, Avenionis.*

Ghiselberto de Rienen [1]) *conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum in ecclesia Trajectensi, vacantia per obitum Willermi de Raelt et die 19 Februarii proxime elapso dispositioni sedis apostolicae reservata. — Deputantur executores.*

Vite ac morum.... Non obstantibus ... quod in ecclesia sancti Lebuini Daventriensi canonicatum et prebendam obtines et super quarta parte parrochialis ecclesie Elstensis per quatuor solite gubernari rectores Trajectensis diocesis, que canonicatus et prebenda vulgariter nuncupatur, extra dictam curiam litigas, quodque de prepositura Westfrisie .... tibi duximus providendum [2]).... Dat. Avinione, VIIII Kl. Maji, anno octavo.
Reg. Av. T. 54, *f.* 319v.

1) Codex habet: de Rieven. 2) Supra num. 1298.

1314. *1350, Aprilis 27, Avenionis.*

Johanni dicto Mochart praeposito ecclesiae Arnhemensis Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, V Kl. Maji, anno octavo.
Reg. Av. T. 51, *f.* 488.

1315. *1350, Maji 2, ap. Villamnovam.*

Gerardo nato quondam Eremberti de Verart confertur perpetua vicaria altaris S. Crucis siti in ecclesia S. Salvatoris Traj., vacans per liberam resignationem Riquini Uppenoerde. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI Non. Maji, anno octavo.
Reg. Av. T. 53, *f.* 181.

1316. *1350, Maji 8, ap. Villamnovam.*

Herbodo de Pallaes canonico Trajectensi confertur praebenda cum supplemento in ecclesia Trajectensi, vacans per obitum Wilhelmi de Raelt et die 10 Septembris proxime elapso dispositioni sedis apostolicae reservata. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIII Id. Maji, anno octavo.

Reg. Av. T. 54, *f.* 299v.

1317. *1350, Maji 12, ap. Villamnovam.*

Johanni Serclaes de Bruxcella legum doctori conferuntur canonicatus et praebenda cum supplemento in ecclesia Trajectensi, vacantes per obitum Wilhelmi de Raelt et die 10 Septembris an. 1349 dispositioni sedis apostolicae reservatae. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, IIII Id. Maji, anno octavo.

Reg. Av. T. 52, *f.* 544.

1318. *1350, Maji 13, ap. Villamnovam.*

Willermo de Zyl conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia Trajectensi, vacantes per obitum Roberti de Chiessen et die 23 Augusti an. 1346 dispositioni sedis apostolicae reservatae. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III Id. Maji, anno octavo.

Reg. Av. T. 54, *f.* 261.

1319—1330. *(1349 a die 19 Maji usque ad diem 18 Maji an. 1350).*

A. *Nobili viro Ottoni de Bilant seniori militi Trajectensis dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.*

B. *Item* Danieli de Mathenesse	Trajectensis	diocesis.
C. *Item* Danieli de Rodense	"	"
D. *Item* Gerardo de Heemsteden	"	"
E. *Item* Johanni de Buren	"	"
F. *Item* Henrico de Heemskerke et ejus uxori	"	"
G. *Item* Symoni de Castro et ejus uxori	"	"
H. *Item* Johanni de Pollanen et ejus uxori	"	"
I. *Item* Bertoldi Herstancii	"	"

K. *Item* Elizabet uxori Johannis domini Ciminghen *(sic)* [1] militis Trajectensis diocesis.
L. *Item* Johanni domino de Culemborch domicello „ „
M. *Item* Madilti domine de Vornis „ „

Ita singuli recensentur Reg. Av. T. 55, *f.* 69—75, *ubi exstant* „rubrice litterarum de absolutionibus anni octavi."

1) Legas: de Cruninghen.

1331—1338. *(1349 a die 19 Maji usque ad diem 18 Maji an. 1350).*

A. Suedero Uterlo conceditur, quod collatio sibi facta de officio scolarie ecclesie Trajectensis valeat.

B. Martino Alphardi canonico Davantriensi Trajectensis diocesis conceditur, quod permutatio facta per ipsum cum dicto canonicatu valeat.

C. Guinpardo de Herelere canonico beate Marie Trajectensis conceditur, ut collatio et acceptatio ac provisio sibi facte de prebenda ecclesie predicte valeant.

D. .. Episcopo Leodiensi mandatur, ut cum nobili viro Paulo Moelner milite et Aleyde relicta Symonis Zevorder quondam militis Trajectensis diocesis super illegitimo matrimonio inter eos contracto dispenset.

E. Johanni de Lapideania preceptori domus sancte Katherine Trajectensis ordinis sancti Johannis Jerosolimitani: recipitur in capellanum sedis apostolice ut in forma.

F. Nobili viro Giselberto de Abcode *(sic)* de Ghaeboet [1] militi et Johanne ejus uxori Trajectensis diocesis indulgetur, in locis ecclesiasticis interdicto ecclesiastico suppositis summissa voce januis clausis in sua presentia possint facere celebrare ut in forma.

G. Isabelli nate condam Guillermi comiti Hanonie indulgetur, quod possit habere altare portatile.

H. Giselberto de Abcoude militi et ejus uxori Trajectensis diocesis indulgetur, quod possint Missam celebrari facere antequam illuscescat dies et quod possint habere altare portatile.

Ita legitur in Rubrica litterarum anni octavi, quae deficiunt, Reg. Av. Tom. 56, *scilicet* A *f.* 38, *n°* 289; B *f.* 39v, *n°* 241; C *f.* 43v, *n°* 509; D *f.* 48, *n°* 663; E *f.* 51, *n°* 755; F *f.* 54v, *n°* 865; G *f.* 67, *n°* 18; H *f.* 67v, *n°* 58—59.

1) Legendum videtur: de Ghaesbeec.

1339. *1350, Maji 19, ap. Villamnovam.*

(Johanni) domino de Egmonda et Guuiotae ejus uxori nobilibus Traj. dioec. datur licentia habendi altare portatile.

Sincere devotionis.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XIIII Kl. Junii, anno nono.

Reg. Av. T. 58, *f.* 425.

1340—1346. *1350, Maji 19, ap. Villamnovam.*

A. *Theoderico Vopponis de Alcmaria presbytero Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.*

B. *Item Beatrici natae Johannis domini de Egmonda nobili mulieri Traj. dioec.*

C. *Item Brigidae relictae quondam Vopponis de Alcmaria, viduae Traj. dioec.*

D. *Item Gerardo de Egmonda militi Traj. dioec.*

E. *Item Grebber de Alcmaria laico Traj. dioec.*

F. *Item Johanni de Lisse nobili domicello Traj. dioec.*

G. *Item Jacobo Vopponis de Alcmaria presbytero Traj. dioec.*

Provenit ex.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XIIII Kl. Junii, anno nono.

Reg. Av. T. 58, *f.* 436.

1347—1348. *1350, Junii 1, Avenionis.*

A. *Reynaldo nato nobilis viri Wilhelmi de Reys militis confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia b. Mariae Traj. — Deputantur executores.*

B. *Wilhelmo nato Wilhelmi de Reys militis similis gratia in ecclesia S. Salvatoris Traj. — Deputantur executores.*

Nobilitas generis.... Dat. Avinione, Kl. Junii, anno nono.

Reg. Av. T. 57, *f.* 166v—167.

1349. *1350, Junii 1, Avenionis.*

Girardo de Porta conferuntur canonicatus, praebenda et scholastria in ecclesia Arnhemensi, vacantes per obitum Johannis de Polle et die 26 Novembris an. 1347 dispositioni sedis apostolicae reservatae. — Deputantur executores.

Probitatis et.... Dat. Avinione, Kl. Junii, anno nono.

Reg. Av. T. 59, *f.* 306v *et repetuntur in Reg. Av. Urbani papae V T.* 23, *f.* 506.

1350. *1350, Junii 6, Avenionis.*

Tielmanno Johannis conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum ecclesiae Trajectensis, quae cum Lodovico de Renghersuliece alias de Poulre pro similibus in ecclesia S. Donatiani Brugensi beneficiis putavit permutanda. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Non obstantibus ... quod canonicatum et prebendam ac decanatum ecclesie sancti Petri Trajectensis nosceris obtinere.... Dat. Avinione, VIII Id. Junii, anno nono.

Reg. Av. T. 56, *f.* 149.

1351. *1350, Junii 6, Avenionis.*

Amilio dicto Swarte conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum in ecclesia S. Petri Traj., pro quibus cum Geraldo Naldekin mediam partem civilis ecclesiae Trajectensis putavit permutandam. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, VIII Id. Junii, anno nono.

Reg. Av. T. 59, *f.* 291v.

1352. *1350, Junii 10, Avenionis.*

Johanni Bullenvecgher [1]) *decano ecclesiae Zutphaniensis Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, IIII Id. Junii, anno nono.

Reg. Av. T. 58, *f.* 443v.

1) Legendum videtur: Bullenveegher.

1353. *1350, Junii 11, Avenionis.*

Gerardo de Domen laico et Trudae ejus uxori Traj. dioec. idem privilegium.

Provenit ex.... Dat. Avinione, III Id. Junii, anno nono.

Reg. Av. T. 57, *f.* 407v.

1354. *1350, Junii 17, Avenionis.*

Hedewigae dominae de Driven nobili mulieri Traj. dioec. idem privilegium.

Provenit ex.... Dat. Avinione, XV Kl. Julii, anno nono.

Reg. Av. T. 57, *f.* 408.

1355—1356. *1350, Julii 8, Avenionis.*

A. *Jacobo de Binchorst militi et Margaritae ejus uxori nobilibus Traj. dioec. datur licentia habendi altare portatile.*

B. *Johanni de Pollanen domino de Lecka et Odae ejus uxori nobilibus Traj. dioec. idem privilegium.*

Sincere devotionis.... Dat. Avinione, VIII Id. Julii, anno nono.

Reg. Av. T. 58, *f.* 169v *et f.* 191.

1357. *1350, Julii 9, Avenionis.*

Egidio Johannis confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia Trajectensi. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Non obstantibus ... quod in de Cloenonghe *(sic)* 1) unam, Ternisse 2) aliam, Zierixe aliam, Brielis Veteris aliam et Capelle Duvelandie aliam capellanias perpetuas ac in de Veteri Duvelandie predicte Trajectensis diocesis parochialibus ecclesiis custodiam cum pensione nosceris obtinere quodque de parochiali ecclesia de Meyloeffkerke *(sic)* 3) dicte diocesis te asseris in palatio apostolico litigare, quarum .... proventus triginta marcharum argenti .... valorem annuum, ut asseris, non excedunt et quae de patronatu laycali existunt.... Dat. Avinione, VII Id. Julii, anno nono.

Reg. Av. T. 57, *f.* 143v.

1) Legas: Cloettinghe = Kloetinge } in Sutbevelandia.
2) Nisse sive Ter-Nisse }

3) Meliskerke in Walachria.

1358. *1350, Julii 26, Avenionis.*

Johanni Mercoyrol rectori parochialis ecclesiae S. Stephani de Casaveteri Magalonensis dioec. conferendum reservatur beneficium sine cura spectans ad dispositionem capituli Trajectensis et 50 librarum Turonensium parvorum valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, VII Kl. Augusti, anno nono.

Reg. Av. T. 60, *f.* 316v.

1359. *1350, Julii 27, Avenionis.*

Gerardo Foec decano ecclesiae S. Salvatoris Traj. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, VI Kl. Augusti, anno nono.

Reg. Av. T. 58, *f.* 449.

1360. *1350, Augusti 5, Avenionis.*

Everardo Arnoldi, pro quo Gerardus Foec decanus S. Salvatoris Traj., asserens praesentationem rectoris ecclesiae parochialis de Oudewater ad decanum S. Salvatoris pertinere, humiliter supplicavit, confertur dicta parochialis ecclesia, vacans per obitum Rodulphi de Eze et die 3 Maji an. 1348 dispositioni sedis apostolicae reservata. — Deputantur executores.

Probitatis et.... Non obstantibus ... quod in Trajectensi et sanctorum Apostolorum Coloniensi ecclesiis canonicatus et prebendas nosceris obtinere.... Dat. Avinione, Non. Augusti, anno nono.

Reg. Av. T. 56, *f.* 86.

1361. *1350, Augusti 9, Avenionis.*

Theoderico de Heeswic in medicina baccalaureo, magistro in artibus, rectori capellae „de Emedamme" [1]) *Traj. dioec., qui de soluto et soluta genitus jam dudum dispensationem super defectu natalium assecutus est, intuitu Johannae reginae Scotiae, pro clerico suo supplicantis, indulgetur, quod duo alia, etiamsi alterutrum curatum exstiterit, beneficia obtinere eademque permutare libere valeat.*

Litterarum sciencia.... Dat. Avinione, V Id. Augusti, anno nono.

Reg. Av. T. 58, *f.* 331.

1) Edam?

1362. *1350, Septembris 12, Avenionis.*

Johanni dicto de Brabancia canonico conferuntur praebenda et supplementum in ecclesia S. Salvatoris Traj., vacantia per obitum Henrici de Carsen et die 4 Febr. an. 1349 dispositioni sedis apostolicae reservata. — Deputantur executores. [1])

Vite ac morum.... Non obstante ... quod parrochialem ecclesiam de Oedekenskerke Trajectensis diocesis ... obtines.... Dat. Avinione, II Id. Septembris, anno nono.

Reg. Av. T. 56, *f.* 466.

1) Cfr. supra num. 1161.

1363. *1350, Septembris 28, ap. Villamnovam.*

Johanni de Sleen clerico Traj. dioec., qui de presbytero et soluta genitus jam dispensationem super defectu natalium assecutus est [1]), *indulgetur, quod duo beneficia, etiamsi alterutrum curatum existat, obtinere valeat.*

Laudabilia tue.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, IIII Kl. Octobris, anno nono.

Reg. Av. T. 58, *f.* 346.

1) Supra num. 1007.

1364—1365. *1350, Octobris 11, Avenionis.*

A. *Wonnae relictae quondam Henrici* „de Hermeleen" [1]) *viduae Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.*

B. *Agathae relictae quondam Johannis Koec viduae Traj. idem privilegium.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, V Id. Octobris, anno nono.

Reg. Av. T. 57, *f.* 415v.

1) Harmelen ?

1366. *1350, Octobris 15, Avenionis.*

Gerardo Rode conferuntur canonicatus et decanatus in ecclesia Aldenzelensi, vacantes per obitum Heinrici de Karsen et die 5 Julii an. 1349 dispositioni sedis apostolicae reservati. — Deputantur executores.

Laudabile testimonium.... Non obstantibus ... quod canonicatum et prebendam ac supplementum in ecclesia Trajectensi nosceris obtinere.... Dat. Avinione, Id. Octobris, anno nono.

Reg. Av. T. 56, *f.* 491.

1367. *1350, Octobris 21, Avenionis.*

Batfoetae relictae quondam Berwondi laici viduae Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, XII Kl. Novembris, anno nono.

Reg. Av. T. 57, *f.* 415.

1368. *1350, Octobris 26, Avenionis.*

Alberto de Reno perpetuo vicario in ecclesia Daventriensi conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem capituli Trajectensis et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Probitatis et.... Non obstantibus ... quod in Davantriensi unam et in Derseborgh *(sic)* [1]) ecclesiis Trajectensis diocesis aliam vicarias perpetuas nosceris obtinere.... Dat. Avinione, VII Kl. Novembris, anno nono.

Reg. Av. T. 60, *f.* 462v.

1) Legas: Doesborgh.

1369. *1350, Novembris 8, Avenionis.*

Mathiae de Castro presbytero Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, VI Id. Novembris, anno nono.

Reg. Av. T. 58, *f.* 486.

1370. *1350, Novembris 21, Avenionis.*

Henrico Henrici de Woudrichem confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia b. Mariae Traj. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, XI Kl. Decembris, anno nono.

Reg. Av. T. 57, *f.* 117v.

1371. *1350, Novembris 21, Avenionis.*

Johanni de Ameronghen Overdevecht clerico Traj. dioec. conferendum reservatur beneficium sine cura, spectans ad dispositionem capituli Trajectensis et 40 librarum Turonensium parvorum valorem non excedens. — Deputantur executores.

Probitatis et.... Dat. Avinione, XI Kl. Decembris, anno nono.

Reg. Av. T. 60, *f.* 318.

1372. *1350, Decembris 2, Avenionis.*

Gerardo Henrici dicto Vrenken conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia b. Mariae Traj., vacantes per obitum Ricardi de Embrica et die 6 Augusti an. 1349 dispositioni sedis apostolicae reservatae. — Deputantur executores.

Honestas morum.... Non obstantibus ... quod ecclesiam in Ouderschye [1]) Trajectensis diocesis et quartam pensionem annuam viginti librarum Turonen-

sium parvorum, per dilectos filios fratres fraternitatis majoris Kalandrie Trajectensis tibi collatam seu assignatam, nosceris obtinere.... Dat. Avinione, IIII Non. Decembris, anno nono.

Reg. Av. T. 59, *f.* 371[v].

1) Cfr. supra num. 1094.

1373. *1350, Decembris 5, Avenionis.*

Johanni nato Henrici Squelin de Helmont, clerico Leod. dioec., conferendum reservatur beneficium spectans ad capitulum Daventriense et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, Non. Decembris, anno nono.

Reg. Av. T. 60, *f.* 442[v].

1374. *1350, Decembris 8, Avenionis.*

Jacobo de Alrehorst baccalaureo in decretis conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia S. Johannis Traj., vacantes per obitum Everardi Foer [1]) *et die 7 Julii an. 1349 dispositioni sedis apostolicae reservatae. — Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, VI Id. Decembris, anno nono.

Reg. Av. T. 56, *f.* 237.

1) Legendum videtur: Foec.

1375. *1350, Decembris 14, Avenionis.*

Johanni Albi conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia Trajectensi, vacantes per obitum Symonis de Hogha et die 25 Augusti proxime elapso dispositioni sedis apostolicae reservatae. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Dat. Avinione, XVIIII Kl. Januarii, anno nono.

Reg. Av. T. 56, *f.* 370.

1376. *1351, Januarii 3, Avenionis.*

Arnoldo dicto Ayken de Goerle canonico Trajectensi conferuntur praebenda et supplementum in ecclesia Traj., vacantia per obitum Symonis dicti Vanderhoghe, apud curiam defuncti. — Deputantur executores.

Suffragantia tibi.... Dat. Avinione, III Non. Januarii, anno nono.
Reg. Av. T. 59, *f.* 377r.

1377. *1351, Januarii 4, Avenionis.*

Petro de Velde Trajectensi, licentiato in decretis, conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem capituli S. Salvatoris Traj. et cum cura 20, sine cura vero 15 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Honestatis et.... Dat. Avinione, II Non. Januarii, anno nono.
Reg. Av. T. 60, *f.* 400r.

1378—1379. *1851, Januarii 13, Avenionis.*

A. *Johanni Spluthof laico Trajectensis dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.*
B. *Everaerdo de Fossa canonico ecclesiae Daventriensis idem privilegium.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, Id. Januarii, anno nono.
Reg. Av. T. 57, *f.* 436v.

1380—1381. *1351, Martii 10, Avenionis.*

A. *Stephano de Bumnen militi et Margaritae ejus uxori nobilibus Traj. diocesis dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.*
B. *Johanni Bierwisch laico Traj. dioec. idem privilegium.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, VI Id. Marcii, anno nono.
Reg. Vat. T. 57, *f.* 443r.

1382. *1351, Martii 21, Avenionis.*

Willermo Langhe domicello et Margaritae ejus uxori nobilibus Traj. dioec. idem privilegium.

Provenit ex.... Dat. Avinione, XII Kl. Aprilis, anno nono.
Reg. Av. T. 57, *f.* 450v.

1383. *1351, Martii 22, ap. Villamnovam.*

Magistro Bernardo Baralha, scriptori et familiari domini Papae, conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia b. Mariae inferioris Traj., vacantes per obitum Ritgardi de Embrica et die 26 Aprilis an. 1349 donationi sedis apostolicae reservatae, quarum fructus 40 librarum Turonensium parvorum valorem annuum non excedunt. — Deputantur executores.

Grata tue.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XI Kl. Aprilis, anno nono.

Reg. Av. T. 59, *f.* 443.

1384. *1351, Martii 23, ap. Villamnovam.*

Johannes Oloud baccalaureus in decretis, sacerdos et monachus monasterii Egmundensis, eidem monasterio praeficitur in abbatem. — Cujus nominationis conventus et vassalli redduntur certiores.

Dilecto filio Johanni Oloud abbati monasterii Egmundensis Romane ecclesie immediate subjecti, ordinis sancti Benedicti, Trajectensis diocesis, salutem *etc.*

Attenta meditacione pensantes dispendia et incommoda, que frequenter incurrunt ex vacacione diutina monasteria gubernatorum presidio destituta, reddimur mente vigiles et solertes, ut monasteria ipsa et illa presertim, que Romane ecclesie nullo medio sunt subjecta, ab hujusmodi dispendiis et incommodis preserventur, ac vigilancie nostre studio de celeris et utilis provisionis remedio succurratur eisdem. Nuper siquidem monasterio Egmundensi prefate Romane ecclesie immediate subjecto ordinis sancti Benedicti Trajectensis diocesis ex eo vacante, quod dilectus filius Willermus de Rolland monachus, tunc abbas ejusdem monasterii, regimini dicti monasterii, cui tunc preerat, per legitimum procuratorem suum ad hoc ab eo sufficiens et speciale mandatum habentem ex certis causis apud sedem apostolicam sponte cessit in manibus dilecti filii nostri Petri Sancte Marie Nove diaconi cardinalis, de mandato nostro facto sibi super hoc vive vocis oraculo apud dictam sedem cessionem hujusmodi admittentis, nos volentes eidem monasterio, ne prolixe vacacionis subjaceret incommodis, paterna solicitudine precavere, cum nullus preter nos de provisione ipsius monasterii se hac vice intromittere possit, pro eo quod nos diu ante cessionem hujusmodi provisiones omnium monasteriorum tunc apud dictam sedem vacantium et vacaturorum imposterum apud eam disposicioni nostre specialiter reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, post deliberacionem, quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te bacallarium in decretis, ordinem ipsum expresse professum et in sacerdocio constitutum, cui de religionis zelo, vite mundicia, honestate morum ac aliis virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, convertimus oculos nostre mentis, quibus omnibus attenta meditacione pensatis, de persona

tua prefato monasterio Egmundensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in abbatem, curam et administracionem ipsius monasterii tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod dirigente Domino actus tuos prefatum monasterium sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur ac in eisdem spiritualibus et temporalibus honoris et commodi multiplicia suscipiet incrementa. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus onus regiminis ejusdem monasterii Egmundensis pronta *(sic)* devocione suscipiens, in ampliandis honoribus et profectibus promovendis ipsius sic te gerere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod monasterium ipsum gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque preter eterne retribucionis premium nostram et ejusdem sedis benedictionem et graciam exinde prosequi uberius merearis. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, X Kl. Aprilis, anno nono.

In eundem modum dilectis filiis conventui monasterii Egmundensis Romane ecclesie immediate subjecti, ordinis sancti Benedicti, Trajectensis diocesis, salutem *etc.*

Attenta meditacione *etc. usque:* suscipiet incrementa. Quocirca discrecioni tue *(sic)* per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem Johannem abbatem tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote recipientes et honorifice tractantes ac exhibeatis eidem obedienciam et reverenciam debitam et devotam, ejus salubria monita et mandata suscipiatis ylariter *(sic)* et efficaciter adimplere curetis. Alioquin sentenciam, quam idem abbas rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Dat. *ut supra.*

In e. m. dilectis filiis universis vassallis monasterii Egmundensis Romane ecclesie immediate subjecti, ordinis sancti Benedicti, salutem *etc.*

Attenta meditacione *etc. usque:* suscipiet incrementa. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem abbatem debita honorificencia prosequentes, ei fidelitatem solitam necnon consueta servicia et jura sibi a vobis debita exhibere integre studeatis. Alioquin sentenciam sive penam, quam dictus abbas rite tulerit seu statuerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Dat. *ut supra.*

Reg. Av. T. 57, *f.* 556.

1385—1386. *1351, Martii 28, ap. Villamnovam.*

A. *Ghiselberto dicto Uustinc clerico Traj. dioec. conferendum reservatur beneficium spectans ad capitulum Daventriense et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.*

B. *Hermanno de Delph clerico Traj. dioec. conferendum reservatur simile beneficium spectans ad dispositionem capituli b. Mariae Traj. — Deputantur executores.*

Vite ac morum.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, V Kl. Aprilis, anno nono.

Reg. Av. T. 57, *f.* 334v *et T.* 60, *f.* 474v.

1387. *1351, Aprilis 1, ap. Villamnovam.*

Infrascripti pro decano et capitulo ecclesiae Daventriensis ad quinquennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Bartholomei de Echout in Brugis Tornacensis diocesis et .. Coloniensis ac .. sancti Johannis Leodiensis ecclesiarum decanis salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Kl. Aprilis, anno nono.

Reg. Av. T. 58, *f.* 113v.

1388. *1351, Aprilis 3, ap. Villamnovam.*

Lamberto de Hostende canonico ecclesiae Daventriensis conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III Non. Aprilis, anno nono.

Reg. Av. T. 58, *f.* 523.

1389. *1351, Aprilis 11, Avenionis.*

Nicolao [1]) *tit. S. Vitalis presbytero Cardinali conferuntur canonicatus et praebenda ac praepositura et archidiaconatus in ecclesia Daventriensi, vacantes per obitum Anibaldi episcopi Tusculani. — Deputantur executores.*

Exposcit tuorum excellentia.... Dat. Avinione, III Id. Aprilis, anno nono.

Reg. Av. T. 56, *f.* 379.

1) Nicolaus de Caputio, an. 1341—1342 episcopus Trajectensis.

1390. *1351, Aprilis 18, Avenionis.*

Wittoni nato quondam Berwondi laici Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, XIIII Kl. Maji, anno nono.
Reg. Av. T. 57, *f.* 453v.

1391. *1351, Aprilis 26, Avenionis.*

Beatrici dominae de Keppel relictae quondam Roderici de Werst, nobili viduae Traj. dioec., idem privilegium.

Provenit ex.... Dat. Avinione, VI Kl. Maji, anno nono.
Reg. Av. T. 57, *f.* 452.

1392. *1351, Maji 11, ap. Villamnovam.*

Gerardo Wilde clerico Traj. dioec., magistro in artibus, conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem abbatis et conventus S. Pauli Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, V Id. Maji, anno nono.
Reg. Av. T. 57, *f.* 370.

1393. *1351, Maji 18, ap. Villamnovam.*

Infrascripti pro decano et capitulo ecclesiae Werdensis Colon. dioec. ad quinquennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis .. sancti Gereonis Coloniensis et .. sancti Salvatoris Trajectensis ac .. sancti Johannis Leodiensis decanis ecclesiarum salutem *etc.*
Militanti ecclesie.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XV Kl. Junii, anno nono.
Reg. Av. T. 58, *f.* 114r.

1394—1399. *(1350 a die 19 Maji usque ad diem 18 Maji 1351.)*

A. Judicibus mandatur, quod translationem factam ecclesie cum collegio de Monsterkerke Trajectensis diocesis, si sibi videatur injustam *(sic)*, vocatis vocandis decernant irritam et inanem.

B. Suedero Uterlo conceditur, quod collatio et provisio sibi facte de prepositura et archidiaconatu ecclesie sancti Petri Trajectensis valeant.

C. .. Episcopis Cameracensi et Atrebatensi mandatur, ut Margaritam comitissam Hanonie, relictam Ludovici de Bavaria, et ejus liberos a certis sentenciis excommunicationum absolvant juxta ecclesie formam.

D. Ad perpetuam rei memoriam.

Reservatur apostolice donationi parrochialis ecclesia de Abcoude Trajectensis diocesis.

E. Gerardo Naldekin providetur de medietate parte parochialis ecclesie civilis Trajectensis. [1])

F. Gerardo Rode canonico Trajectensi providetur de supplemento ipsius ecclesie vacantis.

Ita legitur in Rubrica literarum anni noni, quae nunc desiderantur, scilicet A *Reg. Av. Tom.* 58, *f.* 28, *n°* 125; B *f.* 39v, *n°* 583; C *f.* 41, *n°* 627; D *f.* 45, *n°* 813; E *Tom.* 60, *f.* 1, *n°* 8; F *f.* 4v, *n°* 237.

1) Cfr. supra num. 1351.

1400. *1351, Maji 27, ap. Villamnovam.*

Henrico Borlewe de Monte conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia b. Mariae Traj., vacantes per obitum Arnaldi de Zutphania et die 6 Novembris an. 1350 dispositioni sedis apostolicae reservatae. — Deputantur executores.

Laudabilia tue.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI Kl. Junii, anno decimo.

Reg. Av. T. 61, *f.* 163v.

1401. *1351, Maji 29, ap. Villamnovam.*

Gerardo Magni, „qui operis nostri ymaginum et folhatgiorum [1]) monasterii Casedei *(sic)* ordinis sancti Benedicti Claremontensis diocesis magister" *existit, conferendum reservatur beneficium spectans ad donationem capituli singulorumque canonicorum et hebdomadariorum ecclesiae Trajectensis et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.*

Dilecto filio Gerardo Magni clerico Trajectensis diocesis salutem *etc.*

Probitatis et virtutum.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, IIII Kl. Junii, anno decimo.

In e. m. dilectis filiis .. sancte Marie et .. sancti Johannis Trajectensium decanis ac .. sacriste Avinionensis ecclesiarum salutem *etc.*

Reg. Av. T. 62, *f.* 168.

1) Folagium sive foulagium = molitura seu ipsa molendi actio, simul et pensitatio, quam a vassallis exigit dominus pro frumenti molitura in molendinis suis. — Ita Ducange i. v.

1402. *1351, Junii 10, Avenionis.*

Wernero Ghelmari de Daventria tamquam rectori confertur parochialis ecclesia in Warensfelde [1]) *Traj. dioec., pro qua ecclesiam Novaevillae Leod. dioec. cum Bernardo dicto Alverdoen putavit permutandam. — Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Non obstantibus ... quod canonicatum et praebendam in ecclesia Deventriensi *(sic)* predicta nosceris obtinere.... Dat. Avinione, IIII Id. Junii, anno decimo.

Reg. Av. T. 62, *f.* 20.

1) Warnsveld.

1403—1404. *1351, Junii 10, Avenionis.*

A. *Theoderico Alberti de Altinis tamquam rectori confertur parochialis ecclesia de Reden Traj. dioec., pro qua perpetuam vicariam altaris in minori cripta siti in ecclesia S. Salvatoris Traj. cum Henrico nato Henrici Ruphi putavit permutandam. — Deputantur executores.*

B. *Henrico nato Henrici Ruphi confertur dicta perpetua vicaria. — Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, IIII Id. Junii, anno decimo.

Reg. Av. T. 61, *f.* 71—71v.

1405. *1351, Junii 19, Avenionis.*

Johanni de Westrenen clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto Traj. dioec. conceditur tabellionatus officium.

Ne contractuum.... Dat. Avinione, XIII Kl. Julii, anno decimo.

Reg. Av. T. 64, *f.* 189.

1406. *1351, Julii 5, Avenionis.*

Gerardo Mumekey de Ruremunde presbytero Leod. dioec. conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem abbatis et conventus Egmondensium et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Exigentibus tue.... Dat. Avinione, III Non. Julii, anno decimo.

Reg. Av. T. 62, *f.* 359v.

1407. *1351, Julii 8, Avenionis.*

Wilhelmo dicto Cogman clerico Traj. dioec., magistro in artibus, qui in medicina diu studuit, conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem capituli S. Johannis Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, VIII Id. Julii, anno decimo.

Reg. Av. T. 62, *f.* 180.

1408. *1351, Julii 9, Avenionis.*

Gerardo Magni conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem capituli S. Johannis Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens, dummodo si curatum assecutus fuerit, priores literae [1]*, quarum vigore beneficium a capitulo ecclesiae Trajectensis conferendum exspectat, quoad curatum beneficium extunc irrita sint et cassa. — Deputantur executores.*

Dilecto filio Gerardo Magni clerico Trajectensis diocesis salutem *etc.*
Honestas morum.... Dat. Avinione, VII Id. Julii, anno decimo.
In e. m. dilectis filiis .. sancte Marie et .. sancti Johannis Trajectensium decanis ac .. Avinionensis sacriste ecclesiarum salutem *etc.*

Reg. Av. T. 62, *f.* 352.

1) Supra num. 1401.

1409. *1351, Julii 21, Avenionis.*

Johannes dictus Albus tamquam rector surrogatur in omne jus, quod Wilhelmo Loet nuper extra curiam defuncto competebat ad ecclesiam parochialem de Vadenoy [1] *Traj. dioec., super qua dudum inter se litigaverant.*

Probitatis et.... Dat. Avinione, XII Kl. Augusti, anno decimo.

Reg. Av. T. 64, *f.* 314v.

1) Wadenoyen in Gelria.

1410. *1351, Julii 31, Avenionis.*

Tidemanno dicto Parvo canonico ecclesiae S. Petri Traj., baccalaureo in medicina, conceditur, quod acceptatio et provisio, sibi jam factae de praebenda in eadem ecclesia vacante per obitum Riquini Ploech, omnino valeant.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, II Kl. Augusti, anno decimo.

Reg. Av. T. 63, *f.* 231v.

1411. *1351, Augusti 5, Avenionis.*

Gerardo Naldekin canonico ecclesiae S. Salvatoris Traj., familiari magistri Francisci de Sanctomaximo, notarii pontificii, ad quinquennium indulgetur, quod in beneficiis suis personaliter non residens, fructus ipsorum quotidianis distributionibus exceptis integre percipere valeat. — Cujus privilegii deputantur conservatores.

Probitatis et.... Dat. Avinione, Non. Augusti, anno decimo.

Reg. Av. T. 63, *f.* 403.

1412. *1351, Augusti 13, Avenionis.*

Henrico dicto Blyde clerico Traj. dioec. confertur perpetua vicaria seu altare in ecclesia Trajectensi, vacans ex eo quod Johannes Albus canonicatum et praebendam ibidem pacifice est assecutus, et 40 florenorum auri valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, Id. Augusti, anno decimo.

Reg. Av. T. 62, *f.* 484.

1413. *1351, Augusti 13, Avenionis.*

Ghiselberto de Renen [1]) *canonico Trajectensi conceditur, quod priores literae* [2]) *apostolicae, quibus ipsi canonicatus ecclesiae Traj. collatus, praebenda ac praepositura Westfrisiae in eadem ecclesia reservatae fuerunt, vitio subreptionis non obstante valeant.*

Honestas morum.... Dat. Avinione, Id. Augusti, anno decimo.

Reg. Av. T. 63, *f.* 269.

1) Codex habet: de Reven. 2) Supra num. 1298.

1414. *1351, Augusti 19, Avenionis.*

Johanni (Oloud) abbati monasterii Egmundensis ordinis S. Benedicti Traj. dioec. conceditur licentia habendi altare portatile.

Sincere devotionis.... Dat. Avinione, XIIII Kl. Septembris, anno decimo.

Reg. Av. T. 63, *f.* 248v.

1415—1417. *1351, Octobris 15, ap. Villamnovam.*

A. *Bernardo dicto de Keyser clerico Traj. dioec. conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem capituli S. Salvatoris Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.*

B. *Johanni Dael clerico Traj. dioec. reservatur simile beneficium conferendum ab abbate et conventu Egmondensibus. — Deputantur executores.*

C. *Johanni Albo de Embrica clerico Traj. dioec. reservatur simile beneficium conferendum ab episcopo et capitulo Trajectensibus. — Deputantur executores.*

Vite ac morum.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Id. Octobris, anno decimo.

Reg. Av. T. 62, *f.* 242, *f.* 249 *et f.* 394.

1418. *1351, Octobris 20, ap. Villamnovam.*

Jacobo Rodi de Genesano confertur perpetua capellania capellae in Zulen 1) *Traj. dioec., pro qua canonicatum et praebendam ecclesiae S. Dionisii Leodiensis cum Alexandro de Snellembergh putavit permutandas. — Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XIII Kl. Novembris, anno decimo.

Reg. Av. T. 60, *f.* 219.

1) Zuilen prope Ultrajectum.

1419. *1351, Octobris 20, ap. Villamnovam.*

Leonardo Reveri de Eght clerico Leod. dioec. reservatur beneficium conferendum a capitulo Daventriensi et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Probitatis et.... Dat. *ut supra.*

Reg. Av. T. 62, *f.* 390v.

1420. *1351, Novembris 6, Avenionis.*

Johanni dicto de Dulmen clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto Traj. dioec. conceditur officium tabellionatus.

Ne contractuum.... Dat. Avinione, VIII Id. Novembris, anno decimo.

Reg. Av. T. 64, *f.* 192.

1421. *1351, Novembris 24, Avenionis.*

Henrico de Haslo confertur perpetua vicaria altaris beatorum Nicolai et Barbarae in parochiali ecclesia „de Borgheuden" [1]) *Traj. dioec., pro qua canonicatum et praebendam Aldensalenses cum Wernero dicto Sly putavit permutandas. — Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, VIII Kl. Decembris, anno decimo.

Reg. Av. T. 62, *f.* 90.

1) Borgenden in Drenthia?

1422. *1351, Novembris 25, Avenionis.*

Everardo dicto de Reno clerico Traj. dioec. conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem capituli S. Salvatoris Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Exigentibus tue.... Dat. Avinione, VII Kl. Decembris, anno decimo.

Reg. Av. T. 62, *f.* 213.

1423. *1351, Novembris 27, Avenionis.*

Infrascriptis tamquam conservatoribus mandatur, ut Nicolaum tit. S. Vitalis presbyterum Cardinalem in percipiendis juribus et proventibus praepositurae et archidiaconatus ecclesiae Daventriensis contra quoscumque iniquos molestatores efficaciter defendant.

Venerabili fratri .. archiepiscopo Coloniensi et dilectis filiis .. preposito sancti Salvatoris Trajectensis ac .. decano Xanctensis Coloniensis diocesis ecclesiarum salutem.

Ad regendum.... Dat. Avinione, V Kl. Decembris, anno decimo.

Reg. Av. T. 64, *f.* 27.

1424. *1352, Aprilis 1, Avenionis.*

Johannae de Brabantia comitissae Hannoniae conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, Kl. Aprilis, anno decimo.
Reg. Av. T. 63, *f.* 512.

1425. *1352, Aprilis 17, Avenionis.*

Henrico de Mierlaer praeposito ecclesiae Trajectensis idem privilegium.

Provenit ex.... Dat. Avinione, XV Kl. Maji, anno decimo.
Reg. Av. T. 63, *f.* 508v.

1426. *1352, Aprilis 23, Avenionis.*

Judici infrascripto mandatur, ut Wilhelmo de Zande presbytero Trajectensi confirmet collationem ipsi dudum [1]) *factam de ecclesia parochiali de Campen, super qua Martinus Alphardi primum cum Alberto de Varenhole* [2]) *et deinde, cum hic, qui ipsam per duodecim annos pacifice obtinuerat, vita functus esset, cum eodem Wilhelmo in curia litigavit.*

Dilecto filio magistro Bartholomeo de Boscano preposito ecclesie sancti Petri Casletensis Morinensis diocesis, capellano nostro et causarum apostolici palacii auditori, salutem *etc.*

Merita probitatis.... Non obstantibus ... quod ipse Wilhelmus canonicatum et prebendam ecclesie Embricensis dicte diocesis noscitur obtinere.... Dat. Avinione, VIIII Kl. Maji, anno decimo.
Reg. Av. T. 61, *f.* 449.

1) Supra num. 1307. 2) Legendum videtur: de Varrenhoute.

1427. *1352, Maji 8, ap. Villamnovam.*

Arnoldo Slaper tamquam rectori confertur parochialis ecclesia in Yselsteyn, pro qua ecclesiam in Talloeisen Leod. dioec. cum Francone de Dorderaco magistro in artibus putavit permutandam. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Non obstantibus ... quod in sancti Petri unam et in de Rijswic Trajectensium civitatis et diocesis ecclesiis aliam capellanias seu vicarias perpetuas nosceris obtinere.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIII Id. Maji, anno decimo.
Reg. Av. T. 62, *f.* 136v.

1428. *1352, Maji 17, Avenionis.*

Kervinc de Remerswale militi et Margaritae ejus uxori nobilibus Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, XVI Kl. Junii, anno decimo.

Reg. Av. T. 63, *f.* 464v.

1429—1437. *(1351 a die 19 Maji usque ad diem 18 Maji an. 1352).*

Infrascriptis conceditur privilegium plenariae peccatorum absolutionis in articulo mortis.

A. Beatrici uxori Tydemanni Scrodekens civis Trajectensis.
B. Arnoldo de Hozwoninghem(?) militi Trajectensis diocesis.
C. Johanni domino de Hokelem militi Trajectensis diocesis.
D. Johanni de Moro militi et Marie ejus uxori Trajectensis diocesis.
E. Aleidi de Ricechissen(?) moniali monasterii in Vrouwencloester prope Trajectum.
F. Aleydi de Leyenberg, G. Elizabeth de Broechuysen } domicelle Trajectensis diocesis.
H. Johanni Bierwisch laico Trajectensis diocesis.
I. Margarite comitisse Hannonie.

Ita singuli recensentur in Rubrica literarum anni decimi: „de absolutione in articulo mortis", *quae nunc desiderantur: Reg. Av. T.* 64, *f.* 8v—10.

1438. *1352, Maji 19, ap. Villamnovam.*

Egidio Johannis dicto Muggaert perpetuo capellano in ecclesia S. Salvatoris Traj. confertur parochialis ecclesia de Meyloefskerke [1]) *Traj. dioec., super qua, per obitum Hugonis de Portfliet vacante, cum quondam Theodorico Raven clerico Trajectensi diu in curia litigavit.* [2]) — *Deputantur executores.*

Honestas morum.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XIIII Kl. Junii, anno undecimo.

Reg. Av. T. 65, *f.* 171.

1) Meliskerke in Walachria. 2) Cfr. supra num. 1357.

1439. *1352, Junii 27, Avenionis.*

Jacobus monasterio S. Laurentio in Oostbroek, cujus abbatia dudum donationi sedis apostolicae reservata nunc vacat per obitum Gunteri quondam abbatis, praeficitur in abbatem. — Cujus nominationis conventus et vassalli certiores redduntur atque de obedientia et reverentia eidem Jacobo praestandis admonentur.

Dilecto filio Jacobo abbati monasterii sancti Laurentii in Oestbroch extra muros Trajectenses, ordinis sancti Benedicti, salutem *etc.*

Officii nostri.... Dat. Avinione, V Kl. Julii, anno undecimo.

In e. m. dilectis filiis conventui monasterii sancti Laurencii *etc.*

In e. m. dilectis filiis universis vassallis monasterii sancti Laurencii *etc.*

Reg. Av. T. 65, *f.* 96.

1440. *1352, Junii 28, Avenionis.*

Johanni dicto Smet clerico Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, IIII Kl. Julii, anno undecimo.

Reg. Av. T. 65, *f.* 613v.

1441. *1352, Augusti 22, Avenionis.*

Jacobo abbati monasterii in „Oestbroch" *extra muros Trajectenses conceditur facultas, quod a quocumque maluerit Catholico antistite munus benedictionis recipere valeat.*

Cum nos pridem.... Dat. Avinione, XI Kl. Septembris, anno undecimo.

Reg. Av. T. 65, *f.* 522.

1442. *1352, Octobris 5, Avenionis.*

Gerardo de Picaloctis conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum ecclesiae Trajectensis, pro quibus cum Johanne Pape alias de Casleto parochialem ecclesiam de Bellocastro Morinen. dioec. putavit permutandam. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, III Non. Octobris, anno undecimo.

Reg. Av. T. 65, *f.* 311.

1443. *1352, Octobris 26, Avenionis.*

Philippo de Ayele militi et Margaretae ejus uxori nobilibus Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, VII Kl. Novembris, anno undecimo.

Reg. Av. T. 65, *f.* 622v.

1444. *1352, Octobris 31, Avenionis.*

Gerardo Brune conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae Trajectensis, pro quibus cum Johanne de Ferrariis capellaniam S. Nicolai de Castroregali Terraconen. dioec. putavit permutandam. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, II Kl. Novembris, anno undecimo.

Reg. Av. T. 65, *f.* 300v.

1445. *1352, Novembris 12, Avenionis.*

Raymundo Cariti confertur custodia seu matricularia in ecclesia b. Mariae de Hulst Traj. dioec. vacans per obitum Nicolai de Caliga canonici Curtracensis, cujus beneficia die 27 Martii an. 1347 donationi sedis apostolicae erant reservata. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Dat. Avinione, II Id. Novembris, anno undecimo.

Reg. Av. T. 66, *f.* 406.

INNOCENTIUS VI (1352—1362.)

1446. *1353, Januarii 18, Avenionis.*

Andreae Herdervich de Groninghen confirmatur collatio, qua Clemens papa VI die 15 Januarii an. 1352, litteris tamen desuper non confectis, ipsi provideri fecit de personatu sine cura parochialis ecclesiae S. Martini in Groninghen. — Deputantur executores.

Dilecto filio Andree Herdervich de Groninghen persone personatus parrochialis ecclesie sancti Martini in Groninghen Trajectensis dyocesis, in jure canonico bacalario, salutem *etc.*

Rationi congruit et convenit honestati, ut ea, que de gratia processerunt Romani pontificis, licet ejus superveniente obitu littere ipsius confecte non

fuerunt super illis, suum consequantur effectum. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens papa VI predecessor noster, intendens de personatu sine cura parrochialis ecclesie sancti Martini in Groninghen Trajectensis dyocesis, quem quondam Rutgherus de Aldendorpe ipsius personatus persona tunc temporis obtinebat, cum illum vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam ordinari, personatum ipsum, dum adhuc idem Rutgherus ageret in humanis, videlicet VIII Idus Novembris pontificatus ejusdem predecessoris anno nono collationi et dispositioni sue, dum tamen personatus ipse ad decimam non taxaretur ipsiusque fructus, redditus et proventus in universo valore annis communibus summam vigintiquinque marcharum argenti excederent, specialiter reservavit ac decrevit ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicto personatu, qui ad decimam non taxatur cujusque fructus, redditus et proventus in universo valore annis communibus summam predictam excedebant, per obitum dicti Rutgheri, qui extra Romanam curiam diem clauserat extremum, vacante, idem predecessor attendens, quod nullus preter ipsum de eodem personatu ea vice disponere potuerat neque poterat reservatione et decreto obsistentibus supradictis ac volens tibi, apud eum de litterarum scientia, vite ac morum honestate et aliis virtutum meritis fidedigno testimonio commendato, hujusmodi meritorum intuitu gratiam facere specialem, predictum personatum sic vacantem cum omnibus juribus et pertinentiis suis, videlicet XVIII Kalendas Februarii anno decimo pontificatus predicti, apostolica tibi auctoritate contulit et de illo eciam providit, decernens, prout erat, ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan erat hactenus vel contingeret imposterum attemptari; non obstantibus, si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi personatibus vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte sedis vel legatorum ejus litteras impetrassent, eciam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet esset processum, quibus omnibus te in assecutione dicti personatus idem predecessor voluit anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem personatuum aut beneficiorum aliorum prejudicium generari; seu si venerabili fratri nostro episcopo Trajectensi vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta esset sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime tenerentur et ad id compelli non possent, quodque de personatibus seu aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeret provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existeret, per quam ipsius predecessoris, si super hoc confecte fuissent, litteris non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratie impediri valeret quomodolibet vel differri et de qua cujusque toto tenore habenda esset in eisdem litteris mentio specialis; seu quod canonicatum et prebendam ecclesie Monasteriensis et parrochialem ecclesiam in Hilghersberghe dicte Trajectensis dyocesis obtinebas et beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collationem seu presentationem dilectorum filiorum decani et capituli ecclesie sancti Johannis Trajectensis in ea forma, secundum

quam pauperibus clericis beneficiandis idem predecessor tunc scripserat, per ipsius predecessoris litteras canonice expectabas. Voluit autem idem predecessor, quod predicte littere et processus habiti per easdem et quecunque inde secuta, etiam postquam vigore dicte gratie dictum personatum existeres pacifice assecutus, felicis recordationis Bonifacii pape VIII et Clementis V predecessorum nostrorum et qualibet alia constitutione contraria nequaquam obstantibus, in suo robore permanerent, quodque quamprimum personatum hujusmodi vigore predicte gratie existeres assecutus, dictam parrochialem ecclesiam, quam, ut prefertur, obtinebas quamque ex tunc vacare decrevit, prout ad id te sponte obtulisti, dimittere tenereris. Verum quia super dicta gratia ejusdem Clementis VI predecessoris littere, ipsius superveniente obitu, confecte minime extiterunt, nos ne propterea hujusmodi gratie frustreris effectu, volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod eadem gratia a predicta die, videlicet XVIII Kalendas Februarii, perinde sortiantur effectum, ac si ejusdem predecessoris littere sub ipsius diei data confecte fuissent, prout superius enarratur, quodque presentes littere ad probandam plene gratiam antedictam ubique sufficiant nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo *etc.* nostre voluntatis et constitutionis infringere *etc.* Dat. Avinione, XV Kl. Februarii, anno primo.

In e. m. dilectis filiis sacriste Avinionensis et scolastico Monasteriensis ecclesiarum ac officiali Monasteriensi *etc.*

Reg. Av. Innocentii papae VI T. 1, *f.* 101v.
Pro: Herdervich, sicut habet Codex noster, legendum videtur: Herderinc.

1447. *1353, Januarii 18, Avenionis.*

Gerardo Bierwisch capellano Nicolai tit. S. Vitalis presbyteri Cardinalis confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia S. Salvatoris Traj. — Deputantur executores.

Suffragancia tibi.... Dat. Avinione, XV Kl. Februarii, anno primo.

Reg. Av. T. 4, *f.* 343.

1448. *1353, Januarii 18, Avenionis.*

Machario Nileman de Arnem capellano Aegidii tit. S. Clementis presbyteri Cardinalis similis fit gratia in ecclesia Trajectensi. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Dat. *ut supra.*

Ibidem f. 381.

1449. *1353, Januarii 18, Avenionis.*

Johanni de Westrenen clerico Traj. dioec., cum quo utpote de soluto et soluta genito Clemens papa VI super defectu natalium dispensavit et cui die 29 Septembris proxime praeterito indulsit, quod duo alia beneficia licite obtinere valeret, haec concessio, super qua literae confectae non sunt, a die praedicto confirmatur.

Rationi congruit.... Dat. Avinione, XV Kl. Februarii, anno primo.
Reg. Av. T. 5, *f.* 166.

1450. *1353, Januarii 19, Avenionis.*

Magistro Egidio Waspart, scriptori papali, intuitu Petri episcopi Praenestini, cujus capellanus et magister capellae existit, confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento ac ferculo in ecclesia Trajectensi. — Deputantur executores.

Grata tue.... Dat. Avinione, XIIII Kl. Februarii, anno primo.
Reg. Av. T. 4, *f.* 135.

1451—1459. *1353, Februarii 7, Avenionis.*

A. *Henrico Spiker de Arnhem, clerico Traj. dioec., magistro in artibus, conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem praepositi Trajectensis et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.* 1)

B. *Guillermo dicto Zuermont clerico Traj. dioec., magistro in artibus, conferendum reservatur simile beneficium spectans ad dispositionem praepositi S. Salvatoris Traj.*

C. *Luberto dicto Bolle clerico Trajectensi, magistro in artibus, conferendum reservatur simile beneficium spectans ad dispositionem decani et capituli Daventriensium.*

D. *Johanni de Sleen clerico Traj. dioec., baccalaureo in decretis, conferendum reservatur simile beneficium spectans ad dispositionem decani et capituli S. Petri Trajectensis.*

E. *Nicolao Quinsot clerico Traj. dioec., magistro in artibus, conferendum reservatur simile beneficium spectans ad dispositionem monasterii de Egmonda.*

F. *Bernardo de Celario de Loychem clerico Traj. dioec., magistro in artibus, reservatur simile beneficium spectans ad dispositionem monasterii S. Pauli Trajectensis.*

G. *Ghiselberto Uustinc clerico Traj. dioec., licentiato in legibus, reservatur simile beneficium spectans ad dispositionem decani et capituli S. Johannis Traj.*

H. *Popponi de Crakel clerico Traj. dioec., magistro in artibus, reservatur simile beneficium spectans ad dispositionem episcopi Trajectensis.*

I. *Johanni Boen de Nortich perpetuo capellano capellae castri de Heemsteden Traj. dioec., baccalaureo in legibus, reservatur simile beneficium spectans ad dispositionem monasterii de Reinsburgh.*

Honestatis et sciencie.... Dat. Avinione, VII Id. Februarii, anno primo.

A *Reg. Av. Tom.* 1, *f.* 444r; B *f.* 466; C *f.* 478; D *f.* 482; E *f.* 484; F 484v; G *f.* 486; H *f.* 492; I *f.* 521v.

1) Ita etiam pro caeteris.

1460—1464. *1353, Februarii 7, Avenionis.*

A. *Petro de Velde clerico Trajectensi, licentiato in decretis, conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem decani et capituli S. Mariae Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens.*

B. *Arnaldo de Heusden perpetuo capellano in ecclesia Zaltbommelensi* [1]) *Traj. dioec., magistro in artibus, reservatur simile beneficium spectans ad dispositionem decani et capituli ecclesiae Traj.*

C. *Hermanno de Delf clerico Trajectensi, in utroque jure baccalaureo, reservatur simile beneficium spectans ad dispositionem abbatis et conventus monasterii Middelburgensis.*

D. *Willermo dicto Cogman clerico Traj. dioec., magistro in artibus, reservatur simile beneficium spectans ad dispositionem decani et capituli ecclesiae Aldenzalensis.*

E. *Johanni Meye presbytero Traj. dioec., magistro in artibus, reservatur simile beneficium spectans ad dispositionem decani et capituli S. Petri Middelburgensis.*

Honestatis et scientie.... Dat. Avinione, VII Id. Februarii, anno primo.

Reg. Av. T. 3, *scilicet* A *f.* 411; B *f.* 415v; C *f.* 416; D *f.* 470; E *f.* 528.
Singulis excerptis addatur: deputantur executores; inter quos passim occurrunt Theodoricus de Jutfaes et Henricus de Weyda canonici ecclesiae Traj.

1) Codex habet: Zanebomelensi.

1465—1467. *1853, Februarii 8, Avenionis.*

A. *Petro de Leewenberch clerico Trajectensi, bacalaureo in decretis, reservatur simile beneficium spectans ad dispositionem abbatis et conventus monasterii Middelburgensis. — Deputantur executores.*

B. *Bertoldo de Ruenhove clerico Traj. dioec., magistro in artibus, reservatur simile beneficium spectans ad dispositionem decani et capituli S. Salvatoris Traj. — Deputantur executores.*

C. *Gerhardo dicto Leo clerico Traj. dioec., magistro in artibus, simile reservatur beneficium spectans ad dispositionem scholastici S. Salvatoris Traj. — Deputantur executores.*

Honestatis et scientie.... Dat. Avinione, VI Id. Februarii, anno primo.

Reg. Av. T. 3, *scilicet* A *f.* 505v; B *f.* 518; C. *f.* 536v.

1468. *1353, Februarii 9, Avenionis.*

Ricoldo de Haeften[1]) *clerico Traj. dioec., magistro in artibus, simile reservatur beneficium spectans ad dispositionem decani et capituli S. Salvatoris Traj. — Deputantur executores.*

Honestatis et scientie.... Dat. Avinione, V Id. Februarii, anno primo.

Reg. Av. T. 3, *f.* 558v.

1) Codex habet: de Haefren.

1469—1470. *1353, Februarii 22, Avenionis.*

A. *(Petro) episcopo Cameracensi mandatur, ut Theodrico de Gorichem clerico Traj. dioec. conferat canonicatum et praebendam vacantem vel vacaturam in ecclesia b. Mariae Traj.*

B. *Abbati monasterii S. Petri Gandensis Tornacensis dioec. mandatur, ut Johanni Fabri clerico, perpetuo matriculario ecclesiae de Hulst, conferat canonicatum et praebendam vacantem vel vacaturam in ecclesiae S. Salvatoris Traj.*

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, VIII Kl. Martii, anno primo.

Reg. Av. T. 4, *scilicet* A *f.* 439v *et* B *f.* 503v.

1471—1472. *1353, Februarii 26, Avenionis.*

A. *Gregorio Jacobi tamquam vicario confertur capella b. Mariae Magdalenae juxta ecclesiam S. Petri Traj., pro qua cum Saudero Morekin altare S. Nicolai in Nykerc putavit permutandum. — Deputantur executores, inter quos Ghiselbertus de Walenborch canonicus Trajectensis.*

B. *Saudero Morekin tamquam vicario confertur altare S. Nicolai siti in parochiali ecclesia de Nykerc.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, IIII Kl. Marcii, anno primo.

Reg. Av. T. 1, *f.* 100.

1473. *1353, Martii 1, Avenionis.*

Petro de Velde licentiato in decretis tamquam rectori confirmatur parochialis ecclesia de Voerhout Traj. dioec., a Clemente papa VI die 25 Maji an. 1349 collationi sedis apostolicae reservata; sed cum per obitum Aelberti dicti Terninc vacaret et jam die 31 Octobris an. 1352 eidem Petro collata esset, literae desuper. confectae non sunt. — Deputantur executores, inter quos Theodericus de Jutfaes canonicus Trajectensis.

Racioni congruit.... Dat. Avinione, Kl. Marcii, anno primo.

Reg. Av. T. 1, *f.* 425v.

1474. *1353, Martii 27, Avenionis.*

Stephano Alberti canonico ecclesiae S. Petri Traj. conferenda reservatur scholastria ejusdem ecclesiae, quae vacare mox speratur, cum Henricus Moliart decanatus S. Johannis Traj. pacificam assecutus fuerit possessionem. — Deputantur executores.

Exigentibus probitatis.... Dat. Avinione, VI Kl. Aprilis, anno primo.

Reg. Av. T. 4, *f.* 171v.

1475. *1353, Martii 28, Avenionis.*

„Aelidi de Ricechusen" *moniali monasterii in Vrouwencloester prope Trajectum ordinis S. Benedicti conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.* 1)

Provenit ex.... Dat. Avinione, V Kl. Aprilis, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 74.

1) Cfr. supra num. 1433.

1476. *1353, Aprilis 16, Avenionis.*

Petro dicto Ghier tamquam rectori confertur parochialis ecclesia de Driele, pro qua cum Theoderico dicto Warin canonicatum et praebendam ecclesiae „Zantboemelensis" *ac parochialem ecclesiam de Tula* 1) *Traj. dioec. putavit permutandas. — Deputantur executores, inter quos Theodericus de Jutfaes canonicus Trajectensis.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, XVI Kl. Maji, anno primo.

Reg. Av. T. 3, *f.* 169v.

1) Tuil in Gelria.

1477. *1353, Aprilis 27, ap. Villamnovam.*

Giselberto de Walenborch canonico Trajectensi conferendus reservatur personatus vel officium spectans ad dispositionem episcopi Trajectensis. — Deputantur executores.

Probitatis et.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, V Kl. Maji, anno primo.

Reg. Av. T. 4, *f.* 84v.

1478—1481. *1353, Maji 7, ap. Villamnovam.*

A. *Nobili mulieri Aleydi de Leyenberch domicellae Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

B. *Nobili mulieri Elizabeth de Broechuysen Traj. dioec. idem privilegium.*

C. *Johanni Bierwisch laico Traj. dioec. idem privilegium.*

D. *Margaritae comitissae Hannoniae idem privilegium.* [1])

Provenit ex.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Non. Maji, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 74—75.

1) Cfr. supra numm. 1434—1437, qui sicut et num. 1475 vel securitatis gratia ab hoc Pontifice nunc repetuntur vel forsan, quod adhuc probabilius videtur, per errorem in Rubricam Clementis papae VI sunt relati.

1482. *1353, Maji 7, ap. Villamnovam.*

Alianorae ducissae Ghelrensi conceditur licentia habendi altare portatile.

Sincere devotionis.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Non. Maji, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 83v.

1483. *1353, Maji 7, ap. Villamnovam.*

Alianorae ducissae Ghelrensi indulgetur, quod cum quattuor honestis matronis monasteria monialium inclusarum ordinis S. Clarae ingredi, non tamen ibi comedere vel pernoctare valeat.

Devotionis tue.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Non. Maji, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 528v.

1484. *1353, Junii 4, ap. Villamnovam.*

Jacobo Storum utriusque juris doctori confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia S. Lebuini Daventriensi. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II Non. Junii, anno primo.

Reg. Av. T. 4, f. 464v.

1485. *1353, Junii 8, ap. Villamnovam.*

(Engelberto) episcopo Leodiensi mandatur, ut Johanni nato Guillermi domini de Wez(e)male militis, clerico Leod. dioec., conferat canonicatum et reservet praebendam in ecclesia Trajectensi.

Dignum arbitramur.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI Id. Junii, anno primo.

Reg. Av. T. 4, f. 416.

1486. *1353, Julii 11, ap. Villamnovam.*

Raynaldo S. Adriani diacono Cardinali conferuntur canonicatus et praebenda cum supplemento et thesauraria in ecclesia Trajectensi vacantes per promotionem Johannis episcopi Rivensis. — Deputantur executores.

Dum exquisitam.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, V Id. Julii, pontificatus nostri anno primo.

Reg. Av. T. 1, f. 164v.

1487. *1353, Octobris 6, Avenionis.*

Egidio nato Johannis Muggaerd conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae b. Mariae Traj., pro quibus cum Papiniano de Flisco perpetuas capellanias S. Johannis Evangelistae in S. Salvatoris Trajectensi et B. Agathae in „de Clottinghe" *ecclesiis putavit permutandas.* [1]) *— Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Non obstantibus .... quod curatam ecclesiam de Meleefskerke *(sic)* et in de Medeldyc *(sic)* [2]) unam et in Zirixe aliam ac in Brilis alteram et in Nisse aliam perpetuas capellanias et in Veteri Duvelande custodiam sive matriculariam ac in eadem Veteri ecclesiis dicte diocesis certam

annuam pensionem ad patronatum laicorum spectantes nosceris obtinere.... Dat. Avinione, II Non. Octobris, anno primo.

Reg. Av. T. 1, *f.* 295r.

1) Cfr. supra num. 1357. 2) Legendum videtur: Wemeldinge.

1488. *1353, Novembris 12, Avenionis.*

Wernero de Heest clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto Traj. dioec. confertur officium tabellionatus.

Ne contractuum.... Dat. Avinione, II Id. Novembris, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 96v.

1489. *1353, Novembris 20, Avenionis(?)*

(Johanni) episcopo Trajectensi committitur, ut cum Johanne de Hokelem milite et Elizabet de Hoerne Traj. dioec., qui olim more nobilium matrimonium contraxerunt et etiam consummarunt, super impedimento consanguinitatis in quarto gradu dispenset; Johannes autem, qui illud impedimentum ex aliquorum assertionibus non ignorans matrimonium inivit, prius ab excommunicationis sententia absolvatur et si ipsum dictae Elizabet supervivere contingat, innuptus perpetuo remaneat.

Exhibita nobis.... Dat. Avinione, XII Kl. Decembris, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 504. Eaedem literae iterum occurrunt T. 6, f. 515, sed: Dat. Avinione, XV Kl. Novembris, anno secundo.

1490. *1353, Novembris 22, Avenionis.*

Raynaldo S. Adriani diacono Cardinali conferuntur canonicatus et praebenda cum supplemento et thesauraria ecclesiae Trajectensis, de quibus dudum, cum per consecrationem Johannis electi Rivensis vacatura sperarentur, ipsi provisum est [1]), *et nunc per eundem Johannem legitime resignata.*

Nuper canonicatum.... Dat. Avinione, XI Kl. Decembris, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 183v.

1) Cfr. supra num. 1486.

1491—1493. *1353, Novembris 25, Avenionis.*

A. *Beatrici uxori Tydemanni Scrodekens civis Trajectensis conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

B. *Nobili viro Arnoldo* „de Hozwouinghen" [1]) *militi Traj. dioec. idem privilegium.*

C. *Nobili viro Johanni de Hokelem militi Traj. dioec. idem privilegium.* [2])

Provenit ex.... Dat. Avinione, VII Kl. Decembris, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 69v.

1) Legendum videtur: de Houweninghen.
2) Cfr. supra numm. 1429—1431 et annotationem ad num. 1481.

1494—1495. *1353, Decembris 10, Avenionis.*

A. *Margaritae comitissae Hannoniae indulgetur, quod in locis interdicto suppositis coram ipsa et familiaribus Missa aliaque divina officia privatim celebrari queant.*

B. *Eidem Margaritae conceditur licentia, quod cum sex honestis matronis monasteria filiarum inclusarum quorumcumque ordinum in suis Hannoniae, Hollandiae et Zelandiae comitatibus consistentia ingredi possit, non tamen ibi comedere aut pernoctare.*

Devotionis tue.... Datum Avinione, IIII Id. Decembris, pontificatus nostri anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 539.
Saint-Genois Monumens anciens I. 300*, *sed perperam sub die* 10 *Septembris an.* 1351; *Devillers Cartulaire des comtes de Hainaut I. scilicet* A 389. *n°* 246; B 388. *n°* 245; *apud utrumque secundum autographa in archivo Montis Hannoniae.*
Cfr. etiam Devillers l. c. n° 278, ubi indultum apostolicum pro eadem Margarita comitissa d.d. 1 Martii an. 1355.

1496—1497. *1353, Decembris 10, Avenionis.*

A. *Margaritae comitissae Hannoniae indulgetur, quod Missam, antequam illucescat dies circa tamen diurnam lucem, cum qualitas negotiorum id exegerit, celebrari facere valeat.*

B. *Eidem Margaritae comitissae datur licentia habendi altare portatile.*

Sincere devotionis affectus.... Dat. Avinione, IIII Id. Decembris, pontificatus nostri anno primo.

A *Saint-Genois Monumens l. c. ut supra; Devillers Cartulaire I.* 390. *n°* 247 *secundum autographum in archivo Montis Hannoniae.*
B *Reg. Av. T.* 5, *f.* 83v.

1498. *1353, Decembris 15, Avenionis.*

Raynaldo S. Adriani diacono Cardinali indulgetur, quod postquam canonicatus, praebendae et supplementi in ecclesia Trajectensi pacificam fuerit possessionem assecutus, fructus ipsorum, licet personaliter non residens, percipere valeat, non obstante „statuto seu consuetudine ipsius ecclesie, quod nullus potest fructus dicti supplementi percipere, nisi primum in dicta ecclesia fecerit residentiam personalem et epistolam legerit in eadem."

Exigit tuorum.... Dat. Avinione, XVIII Kl. Januarii, anno primo.
Reg. Av. T. 5, *f.* 183.

1499. *1353, Decembris 31, Avenionis.*

Jacobo Last conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia Embricensi vacantes per obitum Guillermi de Palude, apud curiam defuncti. — Deputantur executores.

Laudabilia tue.... Dat. Avinione, II Kl. Januarii, anno secundo.
Reg. Av. T. 7, *f.* 254.

1500. *1354, Januarii 24, Avenionis.*

Ottoni de Oemeren intuitu Petri S. Mariae Novae diaconi Cardinalis, cujus capellanus et in partibus Trajectensibus procurator existit, confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia Trajectensi. — Deputantur executores.

Exigentibus probitatis.... Non obstantibus .... quod quandam perpetuam capellaniam in parrochiali ecclesia sancti Nicolai Trajectensi nosceris obtinere.... Dat. Avinione, VIIII Kl. Februarii, anno secundo.
Reg. Av. T. 6, *f.* 286.

1501. *1354, Februarii 13, Avenionis.*

(Wilhelmo) archiepiscopo Coloniensi ejusque suffraganeis mandatur, ut quando et ubi expedire viderint, in suis dioecesibus solemniter publicent, dominum Papam fidelibus poenitentibus et confessis, qui ecclesiam vel capellam, ubi S. Lancea et una ex S. S. Clavibus venerandae exponentur, feria sexta post octavam Resurrectionis Dominicae devote visitaverint, trium annorum et trium quadragenarum necnon alias indulgentias concessisse; — iisdemque injungitur, ut dictum festum praefata die singulis annis celebrent et ab aliis celebrari faciant.

In Redemptoris nostri.... Dat. Avinione, Id. Februarii, anno secundo.
Reg. Av. T. 6, *f.* 553. In e. m. ac omnibus aliis Germaniae praesulibus.

1502. *1354, Martii 31, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut si expedire viderint, auctoritate apostolica confirment contractum, quo quondam Anibaldus episcopus Tusculanus paludem aut nemus praepositurae Daventriensis quibusdam nobilibus vendidit vel in censum sive in emphyteusim dedit.

Dilectis filiis .. sancti Salvatoris Trajectensis et Zutphaniensis Trajectensis diocesis decanis ac scolastico ejusdem Zutphaniensis ecclesiarum salutem et apostolicam benedictionem.

Significavit nobis dilectus filius noster Nicolaus tituli Sancti Vitalis presbyter Cardinalis, quod olim, dum bone memorie Anibaldus episcopus Tusculanus preposituram ecclesie Davantriensis Trajectensis diocesis ex concessione et dispensatione sedis apostolice obtineret [1]), quedam palus seu quoddam nemus ejusdem prepositure cum lignis et arboribus super illa seu illo consistentibus per quendam procuratorem ipsius episcopi et de ipsius episcopi, sicut asseritur, mandato vendita seu ad censum sive in emphiteosim data seu locata imperpetuum extitit dilectis filiis nobilibus viris Henrico·Coc et Stephano de Bunnem militibus, Johanni Coc et Guillermo de Zunderen, armigeris dicte diocesis, sub hac forma videlicet, quod dicta ligna lucro dictorum nobilium cederent et territorium dicte paludis penes ipsos et successores ipsorum sub certo censu seu canone annuo, ipsis non cessantibus in solucionem census, canonis seu summe, perpetuo remaneret, dilectorum filiorum capituli dicte ecclesie consensu ad hoc minime requisito aliisque debitis solemnitatibus non servatis; et quod idem Nicolaus Cardinalis, qui post ipsius episcopi obitum preposituram ipsam ex concessione apostolica obtinuit [2]), prout obtinet, venditionem seu locationem aut dationem predictam ratam non habuit nec acceptam, quinimo territorium supradicte paludis ad dictam preposituram nisus fuit in quantum potuit revocare. Verum cum eidem Cardinali per aliquos affirmetur, quod dicta venditio perpetua seu ad censum sive in emphiteosim datio, si consensus capituli predictorum et alie solemnitates debite in hoc intervenissent et precium congruum seu census et pensio annua solvenda prepositure predicte de consensu partium constitutum vel constituta fuisset vel de novo constitueretur, idem contractus sine dampno prepositure predicte celebratus utique extitisset, dictus Nicolaus Cardinalis nobis humiliter supplicavit, ut super hiis providere paterna solicitudine dignaremur. Nos itaque, de premissis noticiam non habentes et de circumspectione vestra gerentes in hiis et aliis in Domino fiduciam specialem, per apostolica scripta vobis committimus et mandamus, quatinus de premissis omnibus et singulis vos diligentius informare curetis, et si per informationem hujusmodi ad censum, dationem seu perpetuam locationem premissam vel aliam de novo eisdem nobilibus seu personis aliis faciendam pro convenienti censu seu annua pensione, ad hoc dictorum capituli intervenienti *(sic)* consensu, procedere cum utilitate prepositure predicte, considerata presertim conditione temporis nunc currentis, repereritis, super quo vestras conscientias oneramus, confirmandi auctoritate nostra et validandi ac eciam approbandi locationem aut dationem hujusmodi factam vel, ut premittitur, faciendam et insuper adiciendi penas, de quibus, si in emphiteosim conductores in solutione convente pensionis seu census hujus-

modi cessare contingeret, vobis experire videbitur, plenam et liberam vobis et duobus vestrum tenore presencium concedimus facultatem. Dat. Avinione, II Kl. Aprilis, anno secundo.

Reg. Av. T. 8, *f.* 65.

1) Cfr. supra num. 878. 2) Supra num. 1389.

1503. *1354, Aprilis 2, Avenionis.*

(Johanni) episcopo Trajectensi committitur, ut cum Johanne dicto Vos Vandengoer domicello et Hadewigi de Aushem domicella, nobilibus Traj. dioec., qui pro bono pacis inter suos consanguineos et amicos conservando matrimonium inire cupiunt, super consanguinitate in quarto gradu dispenset.

Oblata nuper nobis.... Dat. Avinione, IIII Non. Aprilis, anno secundo.

Reg. Av. T. 6, *f.* 488v.

1504. *1354, Aprilis 5, Avenionis.*

Pro Nicolao tit. S. Vitalis presbytero Cardinali ad tuenda jura et bona, quae ipsi ratione praepositurae Daventriensis competunt, infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

Venerabili fratri .. episcopo Trajectensi et dilectis filiis .. decano sancti Salvatoris Trajectensis ac .. scolastico Zutphaniensis Trajectensis diocesis ecclesiarum salutem et apostolicam benedictionem.

Ad regendum universalis.... Dat. Avinione, Non. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Reg. Av. T. 8, *f.* 442.

1505. *1354, Aprilis 16, Avenionis.*

Pro decano et capitulo ecclesiae Trajectensis infrascripti ad quinquennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis .. sancti Martini Coloniensis et .. sancti Jacobi Leodiensis monasteriorum abbatibus ac .. decano ecclesie sancte Crucis Cameracensis salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. Avinione, XVI Kl. Maji, anno secundo.

Reg. Av. T. 8, *f.* 445.

1506. *1354, Aprilis 17, Avenionis.*

Willermo de Zijl, qui dudum a Clemente papa VI canonicatum et praebendam ecclesiae Traj. vacantes per obitum Roberti de Ghiessen assecutus [1], *vigore reservationis apostolicae supplementum in eadem ecclesia per obitum Symonis van der Hoghe vacans acceptavit, hoc supplementum confirmatur.*

Probitatis et.... Dat. Avinione, XV Kl. Maji, anno secundo.

Reg. Av. T. 7, *f.* 513r.

1) Cfr. supra num. 1318.

1507. *1354, Maji 5, ap. Villamnovam.*

Hugo de Assendelf praeficitur in abbatem monasterii Egmundensis, cujus abbatia dudum donationi apostolicae reservata modo vacat per obitum Johannis (Oloud) ultimi abbatis. — Cujus nominationis conventus et vassalli certiores redduntur.

Dilecto filio Hugoni de Assendelf abbati monasterii Egmundensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Trajectensis diocesis, salutem *etc.*

Ad exequendum pastoralis.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III Non. Maji, anno secundo.

In e. m. dilectis filiis conventui monasterii Egmundensis .... salutem *etc.*

In e. m. dilectis filiis universis vassallis monasterii Egmundensis .... salutem *etc.*

Reg. Av. T. 6, *f.* 59.

SEQUENS DIPLOMA SUUM HIC INVENIAT LOCUM.

1355, *Aprilis* 4, *Avenionis.*

Universis presentes litteras inspecturis Stephanus miseratione divina archiepiscopus Tholosanus, domini nostri pape camerarius, salutem in Domino.

Ad universitatis vestre noticiam deducimus tenore presencium, quod dominus Hugo abbas monasterii Egmontensis (*sic*) ordinis sancti Benedicti, Trajectensis diocesis, pro totali suo communi servicio, in quo erat camere domini nostri summi pontificis obligatus, centum et viginti quinque florenos auri prefate camere necnon et pro totalibus monasterii serviciis familiaribus *etc.* viginti duos florenos auri et decem septem solidos monete currentis Avenionensis clericis camere supradicte per manus Anthonii Lalabailla mercatorem Astensem et Theodorici Nagehel monachi dicti monasterii tempore debito solvi fecit, de quibus *etc.* Dat. Avinione, die IIII mensis Aprilis anno .... MCCCLV, indictione VIII, pontificatus .... Innocentii .... pape VI anno tercio.

Reg. Av. T. 2, *f.* 403v; qui codex multa continet documenta ad Cameram spectantia.

1508. *1354, Maji 12, ap. Villamnovam.*

Petro Margariti confertur perpetua capellania b. Catharinae sine cura instituta in ecclesia de Wolde Traj. dioec., pro qua cum Henrico dicto Cleuder canonicatum et praebendam S. Servatii Trajectensis Leod. dioec. putavit permutandas. — Deputantur executores, inter quos Gobelinus de Druihusen 1) *canonicus Trajectensis.*

Apostolice sedis.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, IIII Id. Maji, anno secundo.

Reg. Av. T. 8, *f.* 193v.

1) Legas: Drijhusen.

1509. *1354, Maji 13, ap. Villamnovam.*

(Johanni) episcopo Traj. committitur, ut Gherardo de Egmonda militi et Johannae Theoderici natae quondam Theoderici de Raephorst militis, qui quarto consanguinitatis gradu se attingi scientes matrimonium clandestine inierunt et consummarunt, absolutionem ab excommunicationis sententia et dispensationem concedat necnon iisdem injungat poenitentiam salutarem.

Venerabili fratri .. episcopo Trajectensi salutem *etc.*

Peticio pro parte nobilis viri Gherardi de Egmonda militis et nobilis mulieris Johanne Theoderice 1) nate quondam Theoderici de Raephorst militis tue diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod ipsi olim scientes se invicem in quarto consanguinitatis gradu fore conjunctos ad sedandum guerras, dissenciones et inimicicias, que tunc inter communes eorum consanguineos et amicos vigebant, et ad reducendum eos per hoc ad pacem et concordiam, de ipsorum consanguineorum et amicorum ordinacione et consensu matrimonium per verba de presenti clandestine invicem contraxerunt illudque carnali copula consummarunt. Cum autem, sicut eadem peticio subjungebat, ex ipsorum separacione, si fieret inter eos, predicte dissenciones, guerre et inimicicie inter eosdem consanguineos et amicos resuscitari, homicidia et quamplura alia varia scandala et pericula possent inde verisimiliter suboriri, ex parte Gherardi et Johanne predictum *(sic)* fuit nobis humiliter supplicatum, ut eis de absolucionis beneficio ab excommunicacionis sentencia, quam propter premissa incurrerunt, ac de oportune dispensacionis remedio providere de benignitate apostolica misericorditer dignaremur. Nos itaque, qui salutem et pacem querimus singulorum, volentes ipsorum Gherardi et Johanne animarum providere saluti ac hujusmodi dissencionibus, guerris, inimiciciis, scandalis et periculis, quantum cum Deo possumus, obviare, fraternitati tue, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus, si est ita, ipsis Gherardo et Johanna separatis ad tempus, de quo tibi videbitur expedire, eos a predicta excommunicacionis sentencia, quam propter premissa incurrisse noscuntur, auctoritate nostra juxta ecclesie formam absolvas, injunctis eis per te inter alia sub virtute juramenti per eos prestandi, quod similia decetero

non committant nec facientibus prebeant auxilium, consilium vel favorem; et quod ipsi Gherardus et Johanna ibidem realiter de bonis eorum propriis ad honorem Dei dotent unam perpetuam capellaniam in annuis et perpetuis redditibus duodecim florenorum auri in ecclesia, de qua ipsi maluerint, pro presbytero ydoneo, qui in ipsa ecclesia teneatur perpetuo divina officia celebrare, et alias pro premissis imponas eis penitenciam salutarem et alia que de jure fuerint injungenda; et si tibi expediens videatur, quod dicta dispensacio concedatur, super quo tuam conscienciam oneramus, cum eisdem Gherardo et Johanna, ut impedimento, quod ex dicta consanguinitate provenit, non obstante, matrimonium invicem de novo libere contrahere et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeant, auctoritate predicta dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex hujusmodi matrimonio legitimam decernendo. Et insuper volumus, quod supervivens ex eis absque spe conjugii debeat perpetuo remanere. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III Id. Maji, anno secundo.

Reg. Av. T. 6, *f.* 477.

1) Legendum videtur: Theoderici.

1510. *1354, Maji 24, ap. Villamnovam.*

Infrascriptis mandatur, ut Henrico Splinter conferant parochialem ecclesiam de Rieland ex eo vacantem, quod Jacobus Petri Johannis filius an. 1350 Urbem jubilaei gratia accedens obiit, [1]) — *et ab Hugone Raynerii presbytero Traj. dioec. per annum et ultra indebite occupatam.*

Dilectis filiis .. sancti Michaelis Antwerpiensis et .. beate Marie Middelburgensis Cameracensis et Trajectensis diocesium monasteriorum abbatibus ac Johanni de Brullio canonico Tornacensi salutem *etc.*

Laudabilibus probitatis.... Non obstantibus .... quod altare beate Agathe situm in ecclesia de Reymerswale Trajectensis diocesis, cujus fructus, redditus et proventus quindecim librarum Turonensium parvorum valorem annuum, ut asseritur, communiter non excedunt, idem Henricus noscitur obtinere.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, VIIII Kl. Junii, anno secundo.

Reg. Av. T. 18, *f.* 437ᵛ.

1) Clemens papa VI die 25 Aug. an. 1349 omnes ecclesias parochiales caeteraque beneficia quorumcunque proximo jubilaei anno Romam peregrinantium et in itinere decedentium donationi sedis apostolicae reservaverat.

1511. *1354, Maji 26, ap. Villamnovam.*

Andreae Herderinc indulgetur, quod etiamsi medietatem parochialis ecclesiae S. Martini in Groninghen pacifice assecutus fuerit, jus sibi competens ad personatum ejusdem ecclesiae licite prosequi valeat; quem si evincat, alterutrum beneficium dimittere tenebitur.

Dilecto filio Andree Herderinc canonico Monasteriensi, bacallario in jure canonico, salutem *etc.*

Litterarum scientia, vite ac morum honestas et alia multiplicia tue probitatis merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut ad personam tuam apostolice liberalitatis dexteram extendamus. Sane petitio pro parte tua nuper nobis exhibita continebat, quod olim tibi de personatu sine cura parrochialis ecclesie sancti Martini in Groninghen Trajectensis diocesis tunc vacante auctoritate apostolica provisum extitit [1]) ac deinde, ejus possessione nondum obtenta, ad medietatem dicte ecclesie per duos rectores solite gubernari tunc vacante *(sic)*, prout vacat, per parrocos laicos dicte ecclesie archidiacono ecclesie beate Marie Trajectensis, ad quem institucio rectoris dicte medietatis de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinet, infra tempus legitimum canonice presentatus fuisti, licet nondum in rectorem ipsius medietatis extiteris institutus, quodque super dicto personatu et ejus possessione controversiam in (illis) partibus pateris. Nos igitur, volentes personam tuam premissorum meritorum tuorum intuitu prosequi graciose, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, ut eciam postquam dictam medietatem, si ad presentacionem hujusmodi in ipsius medietatis rectorem te institui contingat, extiteris pacifice assecutus, jus tibi in dicto personatu competens prosequi valeas et ipsam medietatem licite retinere, donec te personatum eundem evincere vel ipsum per alium a te evinci contingat, felicis recordacionis Clementis pape V predecessoris nostri et alia constitucione qualibet in contrarium edita non obstante, auctoritate tibi presencium de gracia concedimus speciali; non obstante, quod canonicatum et prebendam ecclesie Monasteriensis nosceris obtinere. Volumus autem, quod si dictum personatum evincere te contingat, ipsum vel medietatem prefatam, retento vel retenta quem vel quam malueris ex eisdem, omnino, prout eciam ad id sponte (te) obtulisti, dimittere tenearis. Nulli ergo *etc.* nostre concessionis et voluntatis infringere *etc.* Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VII Kl. Junii, anno secundo.

Reg. Av. T. 27, *f.* 538v *et iterum T.* 7, *f.* 28v, *sed nonnisi in rubrica literarum, quae ibi desiderantur.*

1) Supra num. 1446.

1512. *1354, Maji 31, ap. Villamnovam.*

(Henricus de Myrlaer) praepositus Trajectensis et decani S. Georgii Coloniensis et S. Johannis Leodiensis ecclesiarum pro decano et capitulo S. Petri Traj. ad quinquennium deputantur conservatores.

Militanti ecclesie.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II Kl. Junii, pontificatus nostri anno secundo.

Reg. Av. T. 8, *f.* 554.

Apographum coaevum in arch. prov. Ultraj. P. 334, *insertum diplomati, d.d.* 4 *Maji an.* 1356, *quo Hugo Braem decanus b. Mariae Traj., conservator a praeposito Henrico subdelegatus, clero mandat, ut incolas villae de Loen moneant ad solvendum censum capitulo S. Petri debitum; — in charta membranea cum sigillo cereo ejusdem Hugonis.*

Cfr. Muller Catalogus 1002* *et Regesten* 334*.

1513. *1354, Junii 12, ap. Villamnovam.*

Pro abbate et conventu monasterii Egmundensis infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis .. Trajectenis et .. sancti Georgii Coloniensis ac .. sancti Servacii Trajectensis Leodiensis diocesis ecclesiarum decanis salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II Id. Junii, anno secundo.

Reg. Av. T. 8, *f.* 448r.

1514. *1354, Augusti 27, ap. Villamnovam.*

Pro Raynaldo tit. S. Adriani diacono Cardinali ad tuenda ipsius beneficia, jura et possessiones in civitate et dioecesi Trajectensibus infrascripti ad quinquennium deputantur conservatores.

Venerabili fratri .. episcopo Cameracensi et dilectis filiis .. decano Coloniensis ac .. cantori sancte Crucis Leodiensis ecclesiarum salutem *etc.*

Ad regendum universale.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI Kl. Septembris, anno secundo.

Reg. Av. T. 8, *f.* 455.

1515. *1354, Augusti 31, ap. Villamnovam.*

Decano ecclesiae Trajectensis committitur, ut decanatum ecclesiae S. Johannis Traj., donationi sedis apostolicae die 4 Januarii proxime praeterito reservatum et nunc vacantem per obitum Henrici de Loenresloet, conferat Frederico de Bare, dummodo hic thesaurariam in eadem ecclesia omnino dimittat.

Dignum arbitramur.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II Kl. Septembris, anno secundo.

Reg. Av. T. 6, *f.* 145.

1516. *1354, Septembris 21, ap. Villamnovam.*

Nicolao de Trampen clerico Leod. dioec. intuitu Petri regis Aragonum, cujus clericus et in capella cantor existit, conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem capituli S. Salvatoris Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Laudabilia probitatis.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XI Kl. Octobris, anno secundo.

Reg. Av. T. 8, *f.* 336.

1517. *1354, Octobris 12, Avenionis.*

Petro Balbeti conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae Trajectensis, die 24 Augusti proxime elapso donationi sedis apostolicae reservatae et nunc vacantes ex eo quod Robertus Ayme „nuper ad vota laicalia se transferens matrimonium cum quadam muliere per verba de presenti contraxit." — *Deputantur executores.*

Attributa tibi.... Non obstantibus .... quod hodie tibi de quodam beneficio perpetuo, supplemento nuncupato, in dicta ecclesia Trajectensi per nostras certi tenoris litteras mandavimus providere.... Dat. Avinione, IIII Id. Octobris, anno secundo.

Reg. Av. T. 7, *f.* 245.

1518. *1354, Octobris 12, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Petro Balbeti provideant de supplemento in ecclesia Trajectensi vacante per saecularisationem Roberti Ayme.

Venerabili fratri .. episcopo Barchinonensi et dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Pauli Trajectensis et .. officiali Avinionensi salutem *etc.*

Suffragancia dilecto.... Dat. *ut supra.*

Reg. Av. T. 7, *f.* 247.

1519. *1354, Novembris 13, Avenionis.*

Ghiselberto comiti de Utengoye militi et Mariae ejus uxori nobilibus Traj. dioec. conceditur licentia habendi altare portatile.

Sincere devotionis.... Dat. Avinione, Id. Novembris, anno secundo.

Reg. Av. T. 7, *f.* 513.

1520. *1354, Decembris 14, Avenionis.*

Pro Johanne (de Arkel) episcopo Trajectensi infrascripti ad biennium deputantur conservatores.

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Coloniensi et .. Leodiensi ac .. Cameracensi episcopis salutem *etc.*

Ad hoc nos Deus.... Dat. Avinione, XVIIII Kl. Januarii, anno secundo.
Reg. Av. T. 8, *f.* 560v.

1521. *1355, Januarii 21, Avenionis.*

Pro Wilhelmo de Zande rectore parochialis ecclesiae in Campen, qui nuper conquestus fuit, sibi contra decretalem: Super cathedram[1]*, a fratribus Praedicatorum, Minorum, Eremitarum et Carmelitarum ordinum multa inferri gravamina, injurias et jacturas, ad ipsius jura contra molestatores hujusmodi tuenda infrascripti deputantur conservatores.*

Dilectis filiis .. preposito sancti Johannis et .. majoris Trajectensis et .. sancte Crucis Leodiensis decanis ecclesiarum salutem *etc.*

Frequentes hactenus.... Dat. Avinione, XII Kl. Februarii, anno tercio.
Reg. Av. T. 10, *f.* 403.

1) Cfr. supra num. 940.

1522. *1355, Januarii 31, Avenionis.*

Johanni de Erkelis nobili militi Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, II Kl. Februarii, anno tercio.
Reg. Av. T. 11, *f.* 542v.

1523. *1355, Martii 4, Avenionis.*

Petro Moliart Gherardi Maelghys confertur perpetua capellania in ecclesia „de Oersel"[1] *Traj. dioec., pro qua cum Gherardo de Hoesden capellam hospitalis pauperum* „Zantboemelensis" *putavit permutandam. — Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, IIII Non. Marcii, anno tercio.
Reg. Av. T. 10, *f.* 124.

1) Probabiliter: Oensel, prope Zalt-Bommel.

1524. *1355, Martii 11, Avenionis.*

Pro abbate et conventu monasterii Insulae b. Mariae Praemonstr. ordinis Traj. dioec. infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis .. sancti Gereonis Coloniensis et .. sancti Salvatoris Trajectensis ac .. sancti Bartholomei Leodiensis decanis ecclesiarum salutem *etc.*
Militanti ecclesie.... Dat. Avinione, V Id. Marcii, anno tercio.

Reg. Av. T. 10, *f.* 404.

1525. *1355, Martii 23, Avenionis.*

(Johanni) episcopo Trajectensi committitur, ut Suedero de Vianen domicello et Machtildi dominae castri de Beveriwerde nobilibus Traj. dioec., qui quarto consanguinitatis gradu se attingentes hujusque impedimenti conscii matrimonium clandestine inierunt et etiam consummarunt, ab excommunicationis sententia absolutionem impertiat, poenitentiam congruam injungat et cum ipsis super impedimento praedicto dispenset.

Exhibita nobis.... Dat. Avinione, X Kl. Aprilis, anno tercio.

Reg. Av. T. 10, *f.* 455v.

1526—1527. *1355, Aprilis 9, ap. Villamnovam.*

A. *Waltero de Langherake conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae b. Mariae Traj., pro quibus cum Gobelino de Dryhusen perpetuum beneficium in eadem ecclesia institutum putavit permutandum.*

B. *Gobelino de Dryhusen confertur perpetuum beneficium in ecclesia b. Mariae Traj. — Pro utroque deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, V Id. Aprilis, anno tercio.

Reg. Av. T. 10, *f.* 179v—180.

1528. *1355, $\frac{\textit{Martii}}{\textit{Maji}}$ 11, Avenionis.*

Decani Coloniensis et S. Martini Leodiensis et subdecanus Coloniensis ecclesiarum pro decano et capitulo S. Salvatoris Traj. ad triennium deputantur conservatores.

Militanti ecclesie.... Dat. Avinione, V Id. Maji, pontificatus nostri anno tertio.

Reg. Av. T. 10, *f.* 406v, ubi sub: V Id. Martii.

Apographum coaevum in arch. prov. Ultraj. O. 320, *in copiam authenticam datum a decano Coloniensi die* 20 *Octobris ejusdem anni, cum sigillo appenso ejusdem decani in cero rubro.*

1529. *1355, Maji 22, Avenionis.*

Suedero Uterloe conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum ecclesiae Daventriensis, pro quibus cum Ludovico Scrawe [1]) *similia beneficia in Monasteriensi ecclesia putavit permutanda.*

Apostolice sedis.... Non obstantibus .... quod in Trajectensi canonicatum et prebendam ac supplementum ac scolastriam obtines ac super canonicatu et prebenda ac prepositura et archidiaconatu eidem prepositure unito ecclesie sancti Petri Trajectensis in Romana curia te asseris litigare.... Dat. Avinione, XI Kl. Junii, anno tercio.

Reg. Av. T. 9, *f.* 252.

1) Vel: Serawe?

1530. *1355, Maji 26, Avenionis.*

Guidoni[?] conferuntur canonicatus, praebenda et scholastria in ecclesia Embricensi vacantes per obitum Henrici[?]. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Dat. Avinione, VII Kl. Junii, anno tercio.

Reg. Av. T. 11, *f.* 113v. Inscriptio maditie evanuit et folium ab uno latere corruptum est.

1531. *1355, Maji 27, Avenionis.*

Helizabeth de Gandavo nobili domicellae Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, VI Kl. Junii, anno tercio.

Reg. Av. T. 11, *f.* 545.

1532. *1355, Maji 31, Avenionis.*

Johanni de Hoesdaen [1]) *conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae Amersfordensis, pro quibus cum Johanne de Ruyn(?) perpetuam sine cura capellaniam in parochiali ecclesia* „de Ridekendorpe" [2]) *Traj. dioec. institutam putavit permutandam. — Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, II Kl. Junii, anno tercio.

Reg. Av. T. 10, *f.* 228.

1) Heusden? 2) Prope Dordracum?

1533. *1355, Junii 2, Avenionis.*

(Petro) episcopo Cameracensi ad petitionem communitatis oppidi Dordracensis mandatur, ut ibi ecclesiam parochialem, sanguinis effusione pollutam, reconciliare dictumque oppidum, ubi jam a triginta mensibus et amplius divina celebrata non sunt, ab interdicti sententia absolvere curet.

Nuper pro parte.... Dat. Avinione, IIII Non. Junii, anno tercio.

Reg. Av. T. 11, *f.* 496v.

Van de Wall Handvesten en privilegiën der stad Dordrecht II. 247, *secundum autographum in archivo ejusdem civitatis.*

Corrigenda apud van de Wall p. 248, lin. 7 pro: formidabant, legas: formidabantur; lin. 13 pro: applicate, legas: apostolice; lin 25 pro: possit, legas: posset; lin. 36 pro: queramus, legas: querimus.

1534. *1355, Junii 3, Avenionis.*

Henrico Spiker de Arnhem clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto Traj. dioec. confertur officium tabellionatus.

Ne contractuum.... Dat. Avinione, III Non. Junii, anno tercio.

Reg. Av. T. 11, *f.* 511.

1535. *1355, Junii 10, Avenionis.*

Officiali Trajectensi committitur, ut Gerardo Naldekin canonico praebendato ecclesiae S. Salvatoris Traj. conferat supplementum in eadem ecclesia vacans vel vacaturum.

Dignum arbitramur.... Non obstantibus .... quod idem Gerardus medietatem parrochialis ecclesie civilis Trajectensis per duos solite gubernari rectores noscitur obtinere [1].... Dat. Avinione, IIII Id. Junii, anno tercio.

Reg. Av. T. 11, *f.* 94v *et iterum f.* 470v.

1) Cfr. supra num. 1398.

1536. *1355, Junii 16, ap. Villamnovam.*

Willermo de Zile canonico Traj. conferendum reservatur personatus vel officium in ecclesia Trajectensi consuetum ipsius canonicis assignari; quod autem cum assecutus fuerit, parochialem ecclesiam S. Gertrudis Traj. omnino dimittat. — Deputantur executores.

Honestas morum.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XVI Kl. Julii, anno tercio.

Reg. Av. T. 9, *f.* 233.

1537. *1355, Junii 30, Avenionis.*

Johanni de Steyne conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae Trajectensis, pro quibus similia in ecclesia S. Petri Leodiensi beneficia cum Gherardo Brune, cujus in resignatione procurator erat Jacobus de Velde canonicus S. Petri Traj., putavit permutanda. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Non obstantibus .... quod parrochialem ecclesiam de Melsen [1]) Trajectensis diocesis nosceris obtinere.... Dat. Avinione, II Kl. Julii, anno tercio.

Reg Av. T. 9, *f.* 282.

1) Malsen in Gelria.

1538. *1355, Augusti 5, ap. Villamnovam.*

Suedero de Honsele clerico Traj. dioec. conferendum reservatur beneficium sine cura in ecclesia Trajectensi et 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Laudabilia tue.... Non obstantibus .... quod ecclesiam parrochialem in Lienden dicte Trajectensis diocesis .... te asseris acceptasse et super ipsa ecclesia parrochiali inter te et quendam alium controversiam jam motam esse.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Non. Augusti, anno tercio.

Reg. Av. T. 11, *f.* 565r.

1539. *1355, (Augusti 14—Septembris 13), ap. Villamnovam.*

Executoribus mandatur, ut praepósituram et archidiaconatum Embricenses, vacantes per obitum[??], conferant Jacobo de Angiaco canonico Coloniensi.

Dignum arbitramur.... Dat. apud [Villamnovam Avinionensis diocesis] .... Septembris, anno tercio.

Reg. Av. T. 10, *f.* 288v. Inscriptio et major hujus folii pars maditie sunt corruptae.

1540. *1355, Septembris 25, ap. Villamnovam.*

Johanni nato Pontii de Castrobono conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum in ecclesia S. Salvatoris Traj. vacantia per obitum Johannis de Haech de Brabantia, cujus beneficia die 23 Augusti an. 1354 donationi sedis apostolicae erant reservata. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VII Kl. Octobris, anno tercio.

Reg. Av. T. 9, *f.* 301v.

1541. *1355, Octobris 1, Avenionis.*

Fidelibus poenitentibus et confessis, qui certis diebus ecclesiam S. Petri de Axel, ubi imago S. Crucis consistit, annuatim visitaverint et fabricam ejusdem ecclesiae adjuverint, conceditur indulgentia unius anni et 40 dierum.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius magestate *(sic)* sperantium tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adjuvatur. Cupientes igitur, ut ecclesia sancti Petri de Axle Trajectensis diocesis, ubi ymago sancte crucis, ad cujus honorem Dominus noster multa miracula operatur, consistit, congruis honoribus frequentetur et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo uberius dono celestis gratie ibidem conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui feria tercia post festum Pentecostes, qua dicta ecclesia sollenniter et publice a circumvicinorum populorum multitudine annis singulis dictam deferendo ymaginem processionaliter circuitur, ac singulis festivitatibus scilicet sancti Petri ad Vincula apostoli et sancti Bavonis confessoris ecclesiam et ymaginem predictas devote visitaverint annuatim et fabrice ipsius ecclesie manus porrexerint adjutrices, unum annum et quadraginta dies de injunctis eis penitentiis singulis videlicet dicte ferie ac festivitatum diebus, quibus ecclesiam ac ymaginem prefatas, ut prefertur, visitaverint et manus porrexerint, ut prefertur, misericorditer relaxamus. Dat. Avinione, Kl. Octobris, anno tercio.

Reg. Av. T. 9, *f.* 499.

1542. *1355, Novembris 9, Avenionis.*

Jacobo de Westervoert confertur parochialis ecclesia S. Martini in Arnhem, quam cum Johanne dicto Caupo [1] *pro parochiali ecclesia S. Luthgeri in Dorenspich putavit permutandam.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, V Id. Novembris, pontificatus nostri anno tercio.

Autographum in archivo civitatis Arnhemensis, arca 35, *cum sigillo plumbeo filis sericis rubri flavique coloris appenso; in plica inferiori:* R. de Valle; *a tergo:* R. *Apographum ibidem insertum literis, quibus Willermus de Zile provisionem praefatam executioni demandat, d.d.* 14 *Decembris an.* 1355 *Avenionis, Johanne de Westrenen S. Petri, Johanne dicto Tengnagel S. Mariae Traj. ecclesiarum canonicis magistris, Arnoldo de Novimagio, Henrico dicto Bitter de Embrica in Romana curia procuratoribus, praesentibus testibus; — in charta membranea cum sigillo cereo rubro, scriptum per Engelbertum Scubekini de Arnhem clericum Traj. dioec., notarium publicum.*

P. Nijhoff Inventaris 25*.

1) Cfr. supra num. 1005.

1543. *1355, Novembris 9, Avenionis.*

Arnhemensi et S. Mariae Traj. decanis et Willermo de Zyle canonico Traj. mandatur, ut Jacobum de Westervoert in corporalem inducant possessionem ecclesiae parochialis S. Martini Arnhemensis, pro qua per procuratorem suum Johannem de Westrenen clericum ecclesiam parochialem S. Lutgheri in Dorenspich cum Johanne dicto Caupo putavit permutandam.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, V Id. Novembris, pontificatus nostri anno tercio.

Autographum in eodem archivo cum sigillo plumbeo, chordulis cannabinis appenso; in plica inferiori: R^ta Gratis. R. de Valle: *a tergo:* R. *Apographum coaevum ibidem, insertum iisdem literis Willermi de Zile.*
Bijdragen Nijhoff V (1868) 40*.

1544. *1355, Novembris 9, Avenionis.*

Johanni dicto Caupo tamquam rectori confertur parochialis ecclesia in Dorenspich, pro qua cum Jacobo de Westerwoert parochialem ecclesiam S. Martini in Arnhem putavit permutandam. — Deputantur executores, inter quos Willermus de Zyle canonicus Traj.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, V Id. Novembris, anno tercio.

Reg. Av. T. 10, *f.* 91. In hac sicut et in quampluribus aliis permutationibus tamquam speciales procuratores occurrunt Johannes de Westrenen et Johannes Moliart clerici Traj. dioec.

1545. *1355, Novembris 9, Avenionis.*

Wernero Haselbeke de Essendia clerico Coloniensis dioec. conferendum reservatur beneficium sine cura vacans vel vacaturum in ecclesia Trajectensi et 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Laudabilia virtutum.... Dat. Avinione, V Id. Novembris, anno tercio.

Reg. Av. T. 11, *f.* 69.

1546. *1355, Decembris 9, Avenionis.*

Johanni de Herpt conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae b. Mariae Traj., vacantes per resignationem Rogerii de Eth, cujus in resignatione procurator fuit Petrus de Velde ejusdem ecclesiae canonicus. — Deputantur executores, inter quos Ghiselbertus de Walenborch canonicus Trajectensis.

Apostolice sedis.... Non obstantibus .... quod altare beate Marie situm in ecclesia parrochiali de Hemert dicte Trajectensis diocesis nosceris obtinere.... Dat. Avinione, V Id. Decembris, anno tercio.

Reg. Av. T. 9, *f.* 303v.

1547. *1355, Decembris 9, Avenionis.*

Willelmo de Zile confertur personatus in Almekerke Traj. dioec., vacans per resignationem Johannis de Herpt. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, V Id. Decembris, anno tercio.

Reg. Av. T. 10, *f.* 104.

1548. *1356, Januarii 5, Avenionis.*

(Johanni de Beest) abbati monasterii Insulae b. Mariae Virginis ad instantiam Johannis (de Arkel) episcopi Traj. mandatur, ut simpliciter se informet de causa interdicti inter dictum episcopum et communitatem oppidi Dordracensis pendente, atque si ipsi constiterit, in reconciliatione et relaxatione formam literarum 1) *ad (Petrum) episcopum Cameracensem directarum non fuisse servatam, hujusmodi reconciliationem et relaxationem irritas declaret.*

Significavit nobis.... Dat. Avinione, Non. Januarii, anno quarto.

Reg. Av. T. 12, *f.* 534.
Kerkhistorisch archief Kist-Moll III. 60. *n°* 17, *secundum apographum coaevum in archivo Dordracensi; hac de causa cfr. ibidem* 1—64 *egregiam lucubrationem auctore G. H. M. Delprat: „Dordrecht onder kerkelijk interdict."*
Corrigenda apud Delprat p. 62, lin. 25 pro: Abolensis, legas: Abolonensis; lin. 37 pro: quod, legas: quatinus; p. 63, lin. 6 pro: has, legas: litteras.

1) Supra num. 1533.

1549. *1356, Januarii 13, Avenionis.*

Johanni Borluut rectori parochialis ecclesie de Axle Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, Id. Januarii, anno quarto.

Reg. Av. T. 12, *f.* 438.

1550. *1356, Februarii 4, Avenionis.*

(Gerlacus) archiepiscopus Maguntinensis, (Johannes) episcopus Trajectensis et decanus ecclesiae S. Severini Coloniensis pro ordine Carthusianorum deputantur conservatores.

Militanti ecclesie.... Dat. Avinione, secundo Non. Februarii, pontificatus nostri anno quarto.

Apographum saec. XV in archivo Status Hagae-Comitano, in chartul. domus Carthusiensis prope Delft, fol. 1; *insertum est literis d.d.* 6 *Maji an.* 1474, *quibus David de Burgundia episcopus Traj. suas in hac parte vices aliis suae dioec. praelatis subdelegat.*

Incipit haec bulla: „Innocencius episcopus" *etc.* et a Davide recensetur ut epistola quondam Innocentii papae quarti, quem tamen nunquam Avinione sedem habuisse constat. Idem dicendum de aliis ejusdem nominis Pontificibus, ita ut procul dubio haec bulla Innocentio papae VI attribui debeat.

1551. *1356, Februarii 25, Avenionis.*

Hugoni Bout clerico in villa de Hulst commoranti Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, VI Kl. Marcii, anno quarto.

Reg. Av. T. 13, *f.* 343v.

1552. *1356, Martii 6, Avenionis.*

Fidelibus poenitentibus et confessis, qui ad reaedificationem ecclesiae S. Martini Embricensis adjuverint, indulgentia duorum annorum et duarum quadragenarum conceditur.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.

Ecclesiarum fabricis.... Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia sancti Martini de opido Embricensi Trajectensis diocesis nuper cum nonnullis ejus ornamentis ad divinum cultum spectantibus et omnibus quasi hospiciis canonicorum et vicariorum ac clericorum ejusdem ecclesie casuali incendio, quod etiam quartam partem ipsius opidi concremavit, totaliter sit consumpta ejusque corruerint testidines atque turris adeo quod divina ibi non possunt officia commode celebrari, et propterea dilecti filii .. decanus et capitulum ejusdem ecclesie ipsam ecclesiam reedificare et construi facere ceperint et ad consumacionem ipsius operis eorum, nisi piis fidelium suffragiis adjuventur, non suppetunt facultates, presertim cum propter guerras, que in illis partibus diucius ingruerunt, eorum redditus sunt adeo diminuti, quod inde non possunt comode sustentari, ... nos ... omnibus vere penitentibus et confessis, qui manus ad premissa porrexerint adjutrices, duos annos et duas quadragenas de injunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus; presentibus post biennium minime valituris. Quas

mitti per questuarios districtius inhibemus, eas, si secus actum fuerit, carere viribus decernentes. Dat. Avinione, II Non. Marcii, anno quarto.

Reg. Av. T. 12, *f.* 469.

1553. *1356, Martii 20, ap. Villamnovam.*

Johanni dicto Wit de Embrica clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto Traj. dioec. confertur officium tabellionatus.

Ne contractuum.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, XIII Kl. Aprilis, anno quarto.

Reg. Av. T. 13, *f.* 326.

1554. *1356, Aprilis 1, Avenionis.*

Johanni Rotarii canonico Trajectensi, licentiato in legibus, indulgetur, quod non obstante defectu natalium, super quo de soluto genitus et soluta olim dispensationem obtinuit, praeter beneficia jam obtenta personatum vel officium etiam cum cura recipere et retinere valeat.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, Kl. Aprilis, anno quarto.

Reg. Av. T. 13, *f.* 249.

1555. *1356, Aprilis 12, Avenionis.*

Infrascriptis demandatur executio sententiae editae contra Lambertum de Unche presbyterum Leod. dioec., qui cum Ottone de Omeren super parochiali ecclesia Aggeris S. Martini diu litigavit.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis .. decano et Theoderico de Jutfaes ac Gerardo Rode canonicis ecclesie Trajectensis salutem et apostolicam benedictionem.

Petitio dilecti filii Ottonis de Omeren rectoris parrochialis ecclesie Aggeris sancti Martini Trajectensis diocesis nobis || exhibita continebat, quod licet olim ipse ad dictam ecclesiam tunc vacantem per obitum quondam Willermi dicti Anke ipsius ecclesie rectoris a veris patronis ipsius ecclesie existentibus in pacifica possessione vel quasi juris *(sic)* presentandi rectorem ad eandem ecclesiam .. officiali archi||diaconi Trajectensis, ad quem institutio ecclesiarum rectorum ecclesiarum consistentium infra limites archidiaconatus Trajectensis, in quo dicta parrochialis ecclesia consistit, de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinet, infra tempus legitimum fuisset canonice presentatus, tamen Lamberto de Unche, qui se gerit pro presbytero Leodiensis

dyocesis asserente se a quodam alio, quem ipsius parrochialis ecclesie verum patronum esse falso pretendebat, eidem officiali similiter presentatum, orta propterea inter eosdem Ottonem et Lambertum coram eodem officiali, ad quem cognitio causarum, que super presentationibus ad dictam ecclesiam factis oriuntur pro tempore, de simili consuetudine pertinet, super dicta ecclesia occasione presentationis hujusmodi materia questionis et utroque ipsorum petente decerni et declarari presentationem de eo factam ad prefatam parrochialem ecclesiam fuisse et esse canonicam et suum effectum debitum sortiri debere seque in rectorem dicte ecclesie instituendum fore et institui in ipsius ecclesie corporalem possessionem et inducendum fore ac induci et parti alteri nullum jus compeciisse nec competere in eadem ecclesia et sibi super ipsa parrochiali ecclesia perpetuum silentium imponi, idem officialis cognitis hujusmodi cause meritis et juris ordine observato diffinitivam pro eodem Ottone sententiam promulgavit dictumque Lambertum in expensis per dictum Ottonem in hujusmodi causa factis exigente justicia condempnavit, earumdem expensarum taxatione sibi imposterum reservata; a qua quidem sententia prefatus Lambertus falso asserens eam fore iniquam, ad sedem apostolicam appellavit, nosque causam appellationis hujusmodi ad instantiam dicti Ottonis dilecto filio magistro Guidoni de Bauxio canonico Mutinensi, capellano nostro et auditori causarum palacii apostolici, audiendam commisimus et fine debito terminandam, qui ad instanciam dicti Ottonis coram eo in judicio comparentis, premissis contra eundem Lambertum debitis et consuetis citationibus, in audientia publica, ut est moris, ac producto coram eo per dictum Ottonem quodam instrumento publico super dicta appellatione confecto in ejusdem Lamberti contumaciam de consilio et consensu coauditorum suorum dicti palacii, quibus super hoc relationem fecit fidelem, eodem Ottone presente pronunciavit, causam hujusmodi fore ad Romanam curiam legitime devolutam et apud eam tractari et finiri debere. Postmodum vero magistro Petro de Volde procuratore et procuratorio nomine dicti Ottonis coram eodem auditore in judicio comparente et proponente appellationem hujusmodi fore desertam eamque desertam et dictam sententiam in rem transivisse judicatam et debere sortiri effectum et executioni debite demandari pronuntiari petente, prefatus auditor ad instantiam dicti procuratoris predictum Lambertum ad docendum de diligentia prosecutionis appellationis hujusmodi in eadem audientia citari fecit ad certum peremptorium terminum competentem, in quo dicto procuratore coram eodem auditore in judicio comparente et predicti Lamberti non comparentis contumatiam accusante, tandem dictus auditor ad instantiam ejusdem procuratoris prefatum Lambertum ad audiendum interlocutoriam suam super desertione appellationis hujusmodi in prefata audientia citari fecit ad certum peremptorium terminum competentem, in quo prefato procuratore coram dicto auditore in judicio comparente et ipsius Lamberti non comparentis contumatiam accusante et in ejus contumatiam interlocutoriam ipsam ferri petente, memoratus auditor reputans eundem Lambertum, quo ad actum hujusmodi, prout erat, merito contumacem [1]), in ejus contumaciam, visis et diligenter inspectis omnibus et singulis actis, actitatis, habitis et productis in causa hujusmodi coram eo ipsisque cum diligentia recensitis factaque super eis coauditoribus suis dicti palacii relatione plenaria et fideli ac secum deliberatione prehabita diligenti, de ipsorum coauditorum consilio et assensu interloquendo pronunciavit, decrevit et decla-

ravit, predictam appellationem pro parte dicti Lamberti a prefata sententia diffinitiva per dictum officialem pro dicto Ottone lata interpositam fuisse et esse desertam ipsamque sententiam transivisse in rem judicatam et debere sortiri effectum et executioni debite demandari, condempnans insuper dictum Lambertum in expensis per dictum Ottonem coram eo in hac causa legitime factis, earundem expensarum taxatione sibi imposterum reservata, et subsequenter prefatus auditor ad instantiam dicti procuratoris coram eo in judicio comparentis predictum Lambertum ad videndum taxari expensas hujusmodi in eadem audientia citari fecit ad certum peremptorium terminum competentem, in quo dicto Ottone coram eodem auditore in judicio comparente et ipsius Lamberti non comparentis contumatiam accusante et in ejus contumatia expensas ipsas taxari petente, prelibatus auditor reputans eundem Lambertum quo ad actum hujusmodi, prout erat, merito contumacem, in ejus contumatiam expensas ipsas in viginti quinque florenos auri provida moderatione taxavit, dicti Ottonis super eisdem expensis juramento secuto, prout in instrumentis publicis inde confectis, dicti auditoris sigillo munitis, dicitur plenius contineri. Nos itaque, ipsius Ottonis supplicationibus inclinati, que super hiis ab eodem auditore provide facta sunt, rata et grata habentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios premissa executioni debite demandantes dictam interlocutoriam, ubi et quando expedire videritis, auctoritate nostra || solenniter publicare curetis, facientes eidem Ottoni de predicta florenorum summa pro dictis expensis juxta dicti instrumenti ejusdem condempnationis tenorem plenam et debitam satisfactionem impendi, contradictores per censuram ecclesiasticam, appel||latione postposita, compescendo. Dat. Avinione, II Id. Aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Autographum in archivo prov. Ultraj. O. 345, *cum sigillo plumbeo chordulis cannabinis appenso; latere sinistro subscriptum est:* X Jo. de Fractis; *super plica inferiori ad dext.:* Ste Ginner; *a tergo:* Henricus de Embrica.

1) Litura unius verbi.

1556—1557. *1356, Aprilis 29, Avenionis.*

A. *Guerardo nato Hugonis de Alcmaria conferuntur parochialis ecclesia de Petten et capellania capellae in Aelbrechsberghe Traj. dioec., pro quibus per Wilhelmum de Zande rectorem parochialis ecclesiae de Campen, suum in hac parte procuratorem, cum Bartholomaeo de Strien parochialem ecclesiam de Bodegraven putavit permutandam. — Deputantur executores, inter quos Theodericus de Jutfaes canonicus Traj.*

B. *Bartholomaeo de Strien tamquam rectori confertur ecclesia de Bodegraven Traj. dioec.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, III Kl. Maji, anno quarto.

Reg. Av. T. 12, *f.* 135.

1558. *1356, Aprilis 29, Avenionis.*

Balduino de Erkel confertur perpetua capellania in ecclesia S. Nicolai Traj., vacans per resignationem Ottonis de Omeren. 1) — *Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, III Kl. Maji, anno quarto.

Reg. Av. T. 12, *f.* 171.

1) Codex habet: de Omeron.

1559—1560. *1356, Aprilis 29, Avenionis.*

A. *Mathiae Johannis Fabri confertur perpetua capellania in ecclesia collegiata S. Petri Middelburgensi, quam cum Hugone Lamberti pro custodia in ecclesia de Baudino* 1) *putavit permutandam. — Deputantur executores.*

B. *Hugoni Lamberti clerico confertur custodia in ecclesia* [*de Baudino*] *Traj. dioec.* 2)

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, III Kl. Maji, anno quarto.

A *Reg. Av. Tom.* 12, *f.* 221v; B *Tom.* 14, *f.* 475, cujus folii characteres maditie nonnihil evanuerunt.

1) Boudewynskerke in Walachria. 2) Cfr. supra num. 1174.

1561. *1356, Maji 16, Avenionis.*

Ottoni de Omeren 1) *conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum ecclesiae S. Salvatoris Traj., pro quibus cum Johanne de Castrobono capellaniam in parochiali ecclesia S. Nicolai Traj. putavit permutandam. — Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, XVII Kl. Junii, anno quarto.

Reg. Av. T. 12, *f.* 151v. In hac bulla occurrunt etiam Jacobus de Velde canonicus S. Petri Traj. tamquam procurator et Baldricus de Erkel tamquam persona personatus sine cura in Naerden.

1) Codex habet: de Oiveren.

1562. *1356, Junii 19, ap. Villamnovam.*

Nicolao tit. S. Vitalis presbytero Cardinali mandatur, ut Juliano de Fovea familiari suo, presbytero Lexomensis dioec., conferat canonicatum et praebendam in ecclesia S. Johannis Traj., vacantes per obitum Johannis Moliart, cujus beneficia die 12 Febr. an. 1354 donationi sedis apostolicae erant reservata.

Dignum arbitramur.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, XIII Kl. Julii, anno quarto.

Reg. Av. T. 12, *f.* 323v.

1563. *1356, Julii 2, ap. Villamnovam.*

Goswino de Duysborg conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia Trajectensi vacantes per obitum Johannis dicti Moliart. — Deputantur executores.

Multiplicia probitatis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, VI Non. Julii, anno quarto.

Reg. Av. T. 14, *f.* 250.

1564. *1356, Julii 16, ap. Villamnovam.*

Egidio Waspar capellano Petri episcopi Praenestini confirmatur acceptatio, quam vigore reservationis apostolicae[1]) *fecit de praebenda et supplemento vacantibus in ecclesia Trajectensi per obitum Wesseli de Bochout.*

Honestas morum.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, XVII Kl. Augusti, anno quarto.

Reg. Av. T. 13, *f.* 275.

1) Cfr. supra num. 1450.

1565. *1356, Augusti 9, ap. Villamnovam.*

Decano ecclesiae S. Mariae Traj. committitur, ut Gerardo de Veno, cui Johannes episcopus Traj. reservationis apostolicae ignarus contulerat olim canonicatum et praebendam, praeposituram et archidiaconatum ecclesiae Arnhemensis, ad ipsius dispositionem spectantes et tunc vacantes per obitum Johannis Moliart, eadem beneficia de novo assignet.

Dignum arbitramur.... Non obstantibus .... quod idem Gerardus predicte Trajectensis cum supplemento ac Steenwicensis predicte dyocesis ecclesiarum canonicatus et praebendas obtinet et super quodam perpetuo beneficio non curato, personatu nuncupato, in ecclesia parrochiali beati Martini in Groninceghen *(sic)* dicte dyocesis te asserit litigare.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, V Id. Augusti, anno quarto.

Reg. Av. T. 14, *f.* 152.

1566. *1356, Augusti 27, ap. Villamnovam.*

Cancellario ecclesiae Parisiensis committitur, ut Guidoni de Angiaco canonico Metensi conferat praeposituram et archidiaconatum ecclesiae Embricensis vacantes per obitum Jacobi de Angiaco, cujus beneficia die 1 Martii an. 1354 donationi sedis apostolicae erant reservata.

Dignum reputamus.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI Kl. Septembris, anno quarto.

Reg. Av. T. 12, *f.* 216v.

1567. *1356, Septembris 4, ap. Villamnovam.*

(Folkero) abbati monasterii S. Odulphi in Stauria Traj. dioec. mandatur, ut Geraldo de Velde clerico Traj. dioec. conferat beneficium sine cura, 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens.

Dignum arbitramur.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, II Non. Septembris, anno quarto.

Reg. Av. T. 13, *f.* 46.

1568. *1356, Octobris 7, Avenionis.*

Goswino de Duysburg canonico Trajectensi confertur supplementum in ecclesia Traj. vacans per obitum Johannis dicti Moliart. — Deputantur executores.

Exigentibus probitatis.... Dat. Avinione, Non. Octobris, anno quarto.

Reg. Av. T. 14, *f.* 433v.

1569. *1356, Octobris 22, Avenionis.*

Arnoldo de Compostelle conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia S. Petri Traj. vacantes per obitum Baldewini de Songiis, cujus beneficia die 23 Augusti an. 1354 donationi sedis apostolicae erant reservata. — Deputantur executores, inter quos Waltherus Langerac canonicus Traj.

Multiplicia probitatis.... Dat. Avinione, XI Kl. Novembris, anno quarto.

Reg. Av. T. 14, *f.* 279.

1) Codex habet: Baldewunis de Sengiis.

1570. *1356, Novembris 21, Avenionis.*

Nicolao Mudde clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto Traj. dioec. confertur officium tabellionatus.

Ne contractuum.... Dat. Avinione, XI Kl. Decembris, anno quarto.

Reg. Av. T. 14, *f.* 491.

1571—1572. *1356, Decembris 6, Avenionis.*

A. *Infrascriptis mandatur, ut Raynaldo Balbeti conferant canonicatum et praebendam in ecclesia Trajectensi vacantes per obitum Petri Balbeti.*

B. *Raynaldo Balbeti clerico Claromontensi confertur supplementum in ecclesia Trajectensi, de quo olim vacante per saecularisationem Roberti Ayme lis in curia agitata est inter Stephanum de Everdinghen subdiaconum Traj. et Petrum Balbeti.* [1])

Venerabili fratri .. episcopo Barchinonensi et dilectis filiis .. decano ecclesie sancti Salvatoris Trajectensis ac .. officiali Avinionensi salutem *etc.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, VIII Id. Decembris, anno quarto.

Reg. Av. T. 12, *f.* 293—293ᵛ.

1) Cfr. supra numm. 1517—1518.

1573. *1356, Decembris 9, Avenionis.*

Henrico nato quondam Petri domini de Lecka, qui de soluto genitus et soluta jam alias dispensationem super defectu natalium et quamdam perpetuam vicariam parochialis ecclesiae in Culemborgh obtinuit, indulgetur, quod alterum insuper beneficium recipere et retinere valeat.

Multiplicia probitatis.... Dat. Avinione, V Id. Deeembris, anno quarto.

Reg. Av. T. 12, *f.* 521ᵛ.

1574. *1356, Decembris 13, Avenionis.*

„Suyevarte" *relictae quondam Bertonis dicti Adaemszoens laici Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, Id. Decembris, anno quarto.

Reg. Av. T. 13, *f.* 362ᵛ.

1575. *1357, Januarii 28, Avenionis.*

Johanni Brech militi et Margaretae ejus uxori nobilibus Traj. dioec. idem privilegium.

Provenit ex.... Dat. Avinione, V Kl. Februarii, anno quinto.

Reg. Av. T. 15, *f.* 336.

1576. *1357, Aprilis 4, Avenionis.*

(Johanni) abbati monasterii Insulae S. Mariae committitur, ut consulibus et scabinis Arnhemensibus licentiam largiatur, fundandi et dotandi unum monasterium canonicarum regularium ord. S. Augustini in capella S. Catharinae, quae in area hospitalis pauperum sita est.

Dilecto filio .. abbati monasterii Insule sancte Marie Trajectensis diocesis salutem *etc.*

Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum consulum et scabinorum ac universitatis opidi Arnhementi *(sic)* Trajectensis diocesis peticio continebat, quod ipsi ad divini cultus sacreque religionis augmentum desiderant in capella sancte Caterine siti in area hospitalis pauperum de dicto opido, per scabinos dicti opidi, qui sunt pro tempore, soliti gubernari et in territorio eidem capelle contiguo fundare et sufficienter dotare de bonis eis a Deo collatis unum monasterium canonicarum regularium ordinis sancti Augustini, que sub cura et secundum instituta fratrum ordinis Predicatorum vivere debeant, idque se facere proponunt sine prejudicio hospitalis et pauperum predictorum. Quare pro parte dictorum consulum et scabinorum ac universitatis predictorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut eis fundandi et construendi in capella et territorio predictis monasterium hujusmodi cum cimiterio, campanili, campana, domibus et aliis canonicabus et earum confessoribus et personis eis servientibus necessariis officiis licenciam concedere dignaremur. Nos igitur, qui dictorum divini cultus et religionis augmentum ferventer appetimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, discrecioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus de premissis omnibus et singulis et eorum circumstanciis universis auctoritate nostra diligencius te informans, si per informacionem hujusmodi premissa vera fore, et quod capella et contiguum territorium hujusmodi, si illud ad hoc eis fidelium, ad quos pertinet, largicione tradatur vel alias per eos justo titulo acquiratur, ad hujusmodi fundandum monasterium sint congrua et honesta, repereris, hujusmodi sic petitam eisdem supplicantibus, dote tamen sufficienti per eos pro duodecim canonicabus, in quarum numero abbatissa seu priorissa computetur, et earum confessoribus et personis servientibus supradictis primitus assignata, jure hospitalis predicti ac parrochialis ecclesie et cujuslibet alterius in omnibus semper salvo, eadem auctoritate licenciam largiaris. Volumus autem et exnunc supplicantibus ipsis concedimus, quod in ipso monasterio, postquam constructum et dotatum fuerit, ut prefertur, canonice et sorores ad dictum numerum hac vice primaria ad nominacionem consulum et scabinorum ac universitatis predictorum poni et recipi debeant et quod una ex eis in abbatissam seu priorissam ejusdem monasterii canonice prefici debeat, prout in aliis monasteriis canonicarum sic vivencium est solitum observari; et quod eedem abbatissa seu priorissa cum personis sibi servientibus gaudeant omnibus privilegiis

et libertatibus, quibus alia monasteria canonicarum sic vivencium ex concessione apostolica quolibet pociuntur; et insuper quod .. prior provincialis fratrum dicti ordinis Predicatorum provincie, in qua prefatum opidum consistit, eisdem abbatisse seu priorisse et canonicabus ipsius monasterii de confessoribus et personis eis servientibus teneatur et debeat, ut moris est, providere. Dat. Avinione, II Non. Aprilis, anno quinto.

Reg. Av. T. 15, *f.* 304v.

1577. *1357, Aprilis 30, Avenionis.*

Pro abbate et conventu monasterii Egmondensis infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis .. Cameracensis et .. sancti Georgii Coloniensis et .. sancti Johannis Leodiensis ecclesiarum decanis salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. Avinione, II Kl. Maji, anno quinto.

Reg. Av. T. 16, *f.* 467.

1578—1581. *1357, Aprilis 30, Avenionis.*

A. *Petro de Redinchoven conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia Aldenzelensi, vacantes per resignationem Henrici Moliart Zegheri.*

B. *Engberto de Elze conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia Embricensi, vacantes per resignationem Petri de Redinchoven.*

C. *Henrico Moliart Zegheri tamquam rectori confertur parochialis ecclesia in Hier Traj. dioec., vacans per resignationem Engelberti de Elze.*

D. *Willermo Vemaethen licentiato in legibus tamquam rectori confertur altera portio ecclesiae parochialis de Hulst Traj. dioec. per duos solitae gubernari rectores, quam cum Jacobo Westlant pro una portione parochialis ecclesiae de Caprike Tornacen. dioec. putavit permutandam. — Pro singulis deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, II Kl. Maji, anno quinto.

Reg. Av. T. 17, *scilicet* A *f.* 389; B *f.* 390; C *f.* 399; D *f.* 400v.

1582. *1357, Maji 24, ap. Villamnovam.*

Henrico Bitter de Embrica clerico Traj. dioec. confirmatur parochialis ecclesia S. Aldegundis Embricensis, quam olim tunc vacantem per obitum Wilhelmi Gruwel a decano et capitulo S. Martini Embricensis accepit.

Laudabilia probitatis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, VIIII Kl. Junii, anno quinto.

Reg. Av. T. 15, *f.* 450.

1583. *1357, Junii 4, ap. Villamnovam.*

Nicolao Hert presbytero Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae omnium peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, II Non. Junii, anno quinto.

Reg. Av. T. 15, *f.* 337v.

1584. *1357, Junii 13, ap. Villamnovam.*

Egidio de Lomervanz Caroli Romanorum Imperatoris consanguineo et Petri tit. S. Anastasiae presbyteri Cardinalis capellano continuo confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia Trajectensi. — Deputantur executores.

Nobilitas generis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, Id. Junii, anno quinto.

Reg. Av. T. 15, *f.* 73.

1585. *1357, Junii 13, ap. Villamnovam.*

Hugoni Uusting canonico Trajectensi, in utroque jure licentiato, confertur praebenda in ecclesia Trajectensi vacans per obitum Johannis Spirinc [1]*, ibidem canonici et choriepiscopi, cujus beneficia die 23 Augusti an. 1354 donationi sedis apostolicae erant reservata. Decanus enim et capitulum dictae ecclesiae, qui hujus reservationis ignari eandem praebendam Hugoni jam contulerant, ipsam confirmandam supplicarunt. — Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Non obstantibus .... quod canonicatum et prebendam ecclesie in Horst ac parrochialem ecclesie in Lopic Trajectensis diocesis nosceris obtinere.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, Id. Junii, anno quinto.

Reg. Av. T. 17, *f.* 546v.

1) Codex habet: de Spirme.

1586. *1357, Junii 13, Avenionis.*

Decano ecclesiae S. Mariae Traj. mandatur, ut qualescumque personas tam ecclesiasticas quam saeculares, qui a domo hospitalis S. Mariae Theoton. Hierosolymitani possessiones sub annuo censu tenent, ad hunc censum integre solvendum per censuram ecclesiasticam, monitione praemissa, compellat.

Ex parte dilectorum.... Dat. Avinione, Id. Junii, pontificatus nostri anno quinto.

De Geer tot Oudegein Archieven II. 362. *n°* 320, *secundum autographum.* P. 364. lin. 16 pro: prema, legas: previa.

1587. *1357, Augusti 14, Avenionis.*

(Johanni) episcopo Trajectensi committitur, ut Johanni nato Loden de Jerseke et Mariae natae Wolfardi de Jerseke nobilibus Traj. dioec., qui quarto se consanguinitatis gradu attingere scientes matrimonium clandestine contraxerunt et exinde prolem procrearunt, ab excommunicationis sententia absolutionem impertiat, poenitentiam salutarem injungat et cum ipsis super dicto impedimento dispenset.

Peticio pro parte.... Dat. Avinione, XVIIII Kl. Septembris, anno quinto.

Reg. Av. T. 16, *f.* 544v.

1588. *1357(?), Augusti 31, Avenionis.*

Hugoni Uustinc canonico Trajectensi in utroque jure licentiato, confertur supplementum in ecclesia Trajectensi, vacans per obitum Johannis Spirinc, canonici ibidem et choriepiscopi. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, II Kl. Septembris, anno secundo *(sic)*.

Reg. Av. T. 17, *f.* 601. Rectius leges: anno quinto, ad quem totus hic tomus pertinet.

1589—1591. *1357, Septembris 30, Avenionis.*

A. *Volperto Willermi presbytero Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

B. *Petro Bollart rectori parrochialis ecclesiae de Wemeldinghen Traj. dioec. idem privilegium.*

C. *Rassoni Baldewini de Maelstede et Margaretae ejus uxori nobilibus Traj. dioec. idem privilegium.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, II Kl. Octobris, anno quinto.

Reg. Av. T. 16, *f.* 42—42v.

1592—1593. *1357, Octobris 17, Avenionis.*

A. *Johanni de Blesis domino castri de Scoenhoven, domicello Traj. dioec., conceditur licentia habendi altare portatile.*

B. *Eidem indulgetur, quod in sua praesentia antequam illucescat dies Missam celebrari facere valeat.*

Sincere devocionis.... Dat. Avinione, XVI Kl. Novembris, anno quinto.

Reg. Av. T. 15, *f.* 447v—448.

1594. *1357, Decembris 7, Avenionis.*

Luberto nato quondam Gerardi de Ramesberghe militis, baccalaureo in decretis, confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia Traj. — Deputantur executores.

Nobilitas generis.... Dat. Avinione, VII Id. Decembris, anno quinto.

Reg. Av. T. 17, *f.* 183v.

1595. *1357, Decembris 28, Avenionis(?)*

Infrascriptis mandatur, ut Johanni de Oratorio, proventuum beneficiorum Camerae debitorum in provincia Remensi collectori, conferat canonicatum et praebendam, praeposituram et archidiaconatum in ecclesia b. Mariae Traj., vacantes per obitum Guillermi de Chiura, qui, cum super collatione de iisdem beneficiis sibi facta literae nondum confectae essent, extra curiam diem clausit extremum.

Dilectis filiis .. decano sancti Amaci Duacensis Atrebatensis diocesis et .. scolastico Cameracensis ac .. officiali Tornacensis ecclesiarum salutem *etc.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, V Kl. Januarii, anno sexto.

Reg. Av. T. 18, *f.* 202v.

Cfr. infra num. 1602, ante quem hanc bullam emanasse oportet; proinde alterutrius nota chronologica errore laborat.

1596. *1358, Februarii 8, Avenionis.*

Bernardo de Castrobono confertur personatus de Narden Traj. dioec., quem Johannes de Castrobono resignavit. — Deputantur executores.

Probitatis et.... Dat. Avinione, VI Id. Februarii, anno sexto.

Reg. Av. T. 18, *f.* 432v.

1597. *1358, Februarii 12, Avenionis.*

Stephano de Everdinghen confertur choriepiscopatus in ecclesia Traj. vacans per obitum Johannis de Spirinc et 6 florenorum auri valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Probitatis et virtutum.... Non obstantibus .... quod in dicta ecclesia canonicatum et prebendam nosceris obtinere.... Dat. Avinione, II Id. Februarii, anno sexto.

Reg. Av. T. 18, *f.* 203v.

1598—1599. *1358, Februarii 22, Avenionis.*

A. *Gerardo Theodorici conferuntur canonicatus et praebenda cum supplemento in ecclesia Traj. vacantes per resignationem Goswini de Duisborgh.*

B. *Gerardo Foec conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae S. Martini Embricensis, quas Gerardus Theodorici resignavit. — Pro utroque deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, VIII Kl. Marcii, anno sexto.

Reg. Av. T. 18, *f.* 401—401v.

1600. *1358, Maji 14, Avenionis.*

Johanni (de Oeye), quem Henrico (de Boechout) abbate defuncto monachi monasterii S. Pauli Traj. apostolicae reservationis ignari in abbatem elegerunt, confertur abbatia ejusdem monasterii, quam dominus Papa jam dudum sibi reservaverat. — Cujus nominationis conventus, vassalli et (Johannes) episcopus Traj. redduntur certiores.

Dilecto filio Johanni abbati monasterii sancti Pauli Trajectensis ordinis sancti Benedicti salutem *etc.*

Suscepti cura.... Dat. Avinione, II Id. Maji, anno sexto.

In e. m. dilectis filiis conventui monasterii sancti Pauli .... salutem *etc.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, II Kl. Octobris, anno quinto.

Reg. Av. T. 16, *f.* 42—42v.

1592—1593. *1357, Octobris 17, Avenionis.*

A. *Johanni de Blesis domino castri de Scoenhoven, domicello Traj. dioec., conceditur licentia habendi altare portatile.*

B. *Eidem indulgetur, quod in sua praesentia antequam illucescat dies Missam celebrari facere valeat.*

Sincere devocionis.... Dat. Avinione, XVI Kl. Novembris, anno quinto.

Reg. Av. T. 15, *f.* 447v—448.

1594. *1357, Decembris 7, Avenionis.*

Luberto nato quondam Gerardi de Ramesberghe militis, baccalaureo in decretis, confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia Traj. — Deputantur executores.

Nobilitas generis.... Dat. Avinione, VII Id. Decembris, anno quinto.

Reg. Av. T. 17, *f.* 183v.

1595. *1357, Decembris 28, Avenionis(?)*

Infrascriptis mandatur, ut Johanni de Oratorio, proventuum beneficiorum Camerae debitorum in provincia Remensi collectori, conferat canonicatum et praebendam, praeposituram et archidiaconatum in ecclesia b. Mariae Traj., vacantes per obitum Guillermi de Chiura, qui, cum super collatione de iisdem beneficiis sibi facta literae nondum confectae essent, extra curiam diem clausit extremum.

Dilectis filiis .. decano sancti Amaci Duacensis Atrebatensis diocesis et .. scolastico Cameracensis ac .. officiali Tornacensis ecclesiarum salutem *etc.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, V Kl. Januarii, anno sexto.

Reg. Av. T. 18, *f.* 202v.

Cfr. infra num. 1602, ante quem hanc bullam emanasse oportet; proinde alterutrius nota chronologica errore laborat.

1596. *1358, Februarii 8, Avenionis.*

Bernardo de Castrobono confertur personatus de Narden Traj. dioec., quem Johannes de Castrobono resignavit. — Deputantur executores.

Probitatis et.... Dat. Avinione, VI Id. Februarii, anno sexto.

Reg. Av. T. 18, *f.* 432v.

1597. *1358, Februarii 12, Avenionis.*

Stephano de Everdinghen confertur choriepiscopatus in ecclesia Traj. vacans per obitum Johannis de Spirinc et 6 florenorum auri valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Probitatis et virtutum.... Non obstantibus .... quod in dicta ecclesia canonicatum et prebendam nosceris obtinere.... Dat. Avinione, II Id. Februarii, anno sexto.

Reg. Av. T. 18, *f.* 203v.

1598—1599. *1358, Februarii 22, Avenionis.*

A. *Gerardo Theodorici conferuntur canonicatus et praebenda cum supplemento in ecclesia Traj. vacantes per resignationem Goswini de Duisborgh.*

B. *Gerardo Foec conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae S. Martini Embricensis, quas Gerardus Theodorici resignavit. — Pro utroque deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, VIII Kl. Marcii, anno sexto.

Reg. Av. T. 18, *f.* 401—401v.

1600. *1358, Maji 14, Avenionis.*

Johanni (de Oeye), quem Henrico (de Boechout) abbate defuncto monachi monasterii S. Pauli Traj. apostolicae reservationis ignari in abbatem elegerunt, confertur abbatia ejusdem monasterii, quam dominus Papa jam dudum sibi reservaverat. — Cujus nominationis conventus, vassalli et (Johannes) episcopus Traj. redduntur certiores.

Dilecto filio Johanni abbati monasterii sancti Pauli Trajectensis ordinis sancti Benedicti salutem *etc.*

Suscepti cura.... Dat. Avinione, II Id. Maji, anno sexto.

In e. m. dilectis filiis conventui monasterii sancti Pauli .... salutem *etc.*

In e. m. dilectis filiis universis vassallis monasterii sancti Pauli .... salutem *etc.*

In e. m. venerabili fratri .. episcopo Trajectensi salutem *etc.; qui Johannem abbatem sui favoris auxilio prosequatur.*

Reg. Av. T. 18, *f.* 302v.

1601. *1358, Maji 24, ap. Villamnovam.*

Abbatibus S. Michaelis Antwerpiensis et b. Mariae Middelburgensis monasteriorum et Johanni Brullio canonico Tornacensi mandatur, ut Heynrico Splinter sacerdoti, rectori altaris b. Agatae siti in ecclesia de Reymerswale Traj. dioec., conferant parochialem ecclesiam de Rieland Traj. dioec., quam Jacobus Petri Johannis filius, apud Romanam curiam nuper defunctus, olim obtinebat, cujusque valor 60 scuta auri annuatim non excedit.

Probitatis et virtutum.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis dyocesis, VIIII Kl. Junii, pontificatus nostri anno VI.

Apographum coaevum in arch. prov. Ultraj. O. 363, *in folio chartaceo.*

1602. *1358, Maji 26, ap. Villamnovam(?)*

Guillermo de Chyure conferuntur canonicatus et praebenda, archidiaconatus et praepositura ecclesiae b. Mariae Traj., quas cum Johanne de Oratorio magistro in theologia pro praepositura S. Petri Ariensis Morinen. dioec. putavit permutandas. 1) — *Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, VII Kl. Junii, anno sexto.

Reg. Av. T. 18, *f.* 199.

1) Cfr. supra num. 1595.

1603. *1358, Junii 24, ap. Villamnovam.*

Pro abbate et conventu monasterii S. Pauli Trajectensis infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis .. sancti Georgii Coloniensis et .. sancti Petri Trajectensis et .. sancte Crucis Leodiensis ecclesiarum decanis salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, VIII Kl. Julii, anno sexto.

Reg. Av. T. 19, *f.* 583v.

1604. *1358, Julii 1, ap. Villamnovam.*

Henrico dicto Vrese monacho monasterii S. Pauli Traj. ord. S. Benedicti conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, Kl. Julii, anno sexto.

Reg. Av. T. 18, *f.* 244v.

1605. *1358, Julii 6, ap. Villamnovam.*

Johanni (de Oeye) abbati monasterii S. Pauli Traj. idem privilegium.

Provenit ex.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, II Non. Julii, anno sexto.

Reg. Av. T. 18, *f.* 244.

1606. *1358, Augusti 14, ap. Villamnovam.*

Johanni de Lederdam presbytero Traj. dioec. conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem capituli S. Salvatoris Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Meritis tue.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, XVIIII Kl. Septembris, anno sexto.

Reg. Av. T. 19, *f.* 428v.

1607. *1358, Septembris 4, Avenionis.*

Gerardo de Zile conferuntur canonicatus et praebenda cum supplemento ecclesiae Trajectensis, quae Johannes Hardevust de Boten permutationis causa resignavit. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, II Non. Septembris, anno sexto.

Reg. Av. T. 19, *f.* 144.

1608. *1358, Octobris 29, Avenionis.*

Johanni de Noviomago canonico ecclesiae b. Mariae Embricensis Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, IIII Kl. Novembris, anno sexto.

Reg. Av. T. 18, *f.* 254.

1609. *1358, Novembris 13, Avenionis.*

Luberto Vekemanni de Daventria clerico Traj. dioec. idem privilegium.

Provenit ex.... Dat. Avinione, Id. Novembris, anno sexto.

Reg. Av. T. 18, *f.* 253v.

1610. *1359, Januarii 23, Avenionis.*

Elizabeth natae Henrici dicti Golke, mulieri Traj. dioec., idem privilegium.

Provenit ex.... Dat. Avinione, X Kl. Februarii, anno septimo.

Reg. Av. T. 20, *f.* 362.

1611. *1359, Januarii 26, Avenionis.*

Wisso Henrici clericus Traj. dioec. surrogatur in omne jus, quod quondam Arnaldo de Campostelle ad canonicatum et praebendam in ecclesia b. Mariae Traj. per obitum Baldewini de Songiis vacantes competebat;[1] *super quibus Robertus de Dronghelen, decanus et capitulum ejusdem ecclesiae, asserentes eadem beneficia ad dictum Robertum spectare, cum praefato Arnaldo, qui lite adhuc pendente apud sedem apostolicam defunctus est, diu in curia litigarunt.*

Suffragantia tibi.... Dat. Avinione, VII Kl. Februarii, anno septimo.

Reg. Av. T. 21, *f.* 103v.

1) Cfr. supra num. 1569.

1612. *1359, Februarii 27, Avenionis.*

Ernesto de Esche canonico ecclesiae Daventriensis, familiari Petri episcopi Ostiensis pro ipso supplicantis, conferendum reservatur supplementum in eadem ecclesia. — Deputantur executores.

Laudabile testimonium.... Dat. Avinione, III Kl. Martii, anno septimo.

Reg. Av. T. 20, *f.* 503v.

1613. *1359, Maji 15, Avenionis.*

Folkerus abbas monasterii S. Odulphi in Stauria ecclesiae Gibelethensi praeficitur in episcopum et pastorem.

Dilecto filio Folkero electo Gibelethensi salutem *etc.*

Dum ad universas orbis ecclesias juxta pastoralis officii debitum apostolice diffundimus consideracionis intuitum, illarum nimirum propensione cura nos angit, quas suis pastoribus destitutas subjacere dispendiose vacacionis conspicimus detrimentis, ut per nostre providencie ministerium preficiantur illis viri secundum cor nostrum ydonei in pastores, sub quorum regiminibus eedem ecclesie in spiritualibus et temporalibus feliciter gubernentur. Dudum siquidem bone memorie Theoderico episcopo Gibelethensi ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie ordinacioni et disposicioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per ipsius Theoderici episcopi obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solacio destituta, nos vacacione hujusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta ecclesia longe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, tunc abbatem monasterii sancti Odulphi in Stauria ordinis sancti Benedicti Trajectensis dyocesis, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam, prout ex fidedignis testimoniis accepimus, Altissimus insignivit, convertimus aciem nostre mentis, quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua eidem ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius Gibelethensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod prefata ecclesia per tue circumspectionis industriam, gracia tibi assistente divina, prospere dirigetur et salubria suscipiet incrementa. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum tibi onus a Domino suscipiens reverenter, sic te in regimine dicte ecclesie salubriter exhibeas studiosum, quod per laudabile tue diligencie studium prefata ecclesia preservetur a noxiis et ad salubria dirigatur tuque proinde retribucionis eterne premium, nostram et dicte sedis benivolenciam et graciam uberius consequi merearis. Dat. Avinione, Id. Maji, anno septimo.

Reg. Av. T. 21, *f.* 52v.

1614. *1359, Maji 26, Avenionis.*

Johanni de Nuwenaer canonico ecclesiae b. Mariae Traj. intuitu Johannis (de Arkel) episcopi Traj., pro consanguineo et capellano suo supplicantis, conferendum reservatur officium sine cura in eadem ecclesia spectans ad dispositionem ordinarii Traj. — Deputantur executores.

Nobilitas generis.... Non obstantibus .... quod in Davantriensi Trajectensis diocesis cum decanatu et supplemento et in predicta sancte Marie ecclesiis canonicatus et prebendas nosceris obtinere.... Dat. Avinione, VII Kl. Junii, anno septimo.

Reg. Av. T. 20, f. 476.

1615. *1359, Maji 26, Avenionis.*

Rynekinae relictae quondam Winandi de Stauria laici, viduae Traj. dioec., conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, VII Kl. Junii, anno septimo.

Reg. Av. T. 21, f. 543v.

1616. *1359, Maji 26, Avenionis.*

Johanni (de Arkel) episcopo Traj. declaratur, quod tam ipse quam successores ipsius, qualibet contraria consuetudine non obstante, de omnibus criminibus, quorum cognitio et correctio ad ipsos pertinet, tam ex officio quam ad partis instantiam judicium ferre valeant.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Johanni episcopo Trajectensi salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod || justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit racionis, ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur || effectum. Exhibita siquidem nobis nuper tua petitio continebat, quod multotiens in tuis civitate et diocesi Trajectensibus diversa crimina committuntur, que tam propter paupertatem et impotenciam illorum, contra quos commissa sunt, seu potentiam illa committentium quam pro eo, quod de hiis coram te seu officialibus aut commissariis tuis querimonia non deponitur pretextu cujusdam generalis consuetudinis juramento vallate, que dicenda est potius corruptela, qua cavetur, quod episcopus Trajectensis, qui est pro tempore, seu ejus officiales de criminibus ipsis nisi ad partium instantiam inquirere seu cognoscere aut ea corrigere vel punire non possunt, crimina ipsa remaneant impunita et ex hoc datur aliis materia delinquendi, in divine majestatis offensam et grave periculum animarum. Quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere super hoc paterna solicitudine dignaremur. Nos itaque, qui periculis animarum occurrere et justitiam ubilibet observari ferventer appetimus, dictam consuetudinem utpote juri contrariam detestantes, quod tam tu quam successores tui episcopi Trajectenses, qui erunt pro tempore, per vos et alios de omnibus criminibus et excessibus, quorum cognitio, correctio et punitio alias ad episcopum Trajectensem, qui est pro tempore, pertinere noscuntur,

tam ex officio quam ad partis instantiam cognoscere eaque juxta juris formam corrigere et punire, hujusmodi et qualibet alia consuetudine contraria necnon juramento predicto, ad cujus observantiam te decernimus non teneri, nequaquam obstantibus, licite valeatis, auctoritate apostolica declaramus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre relaxationis et declarationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omni||potentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Avinione, VII Kl. Junii, || pontificatus nostri anno septimo

Autographum in arch. prov. Ultraj. D. 459, *cum sigillo plumbeo, filis sericis rubri flavique coloris appenso; a tergo:* R. Johannis de Eltenil. — *Reg. Av. T.* 21, *f.* 603ᵛ.

1617. *1359, Maji 26, Avenionis.*

Johanni (de Arkel) episcopo Traj. indulgetur, quod per aliquam personam idoneam ecclesias, monasteria, loca ecclesiastica eorumque personas in sua dioecesi visitare et procurationes in pecunia numerata recipere valeat.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Johanni episcopo Trajectensi salutem et apostolicam benedictionem.

Devocionis probata sinceritas, quam ad nos et apostolicam sedem habere dinosceris, promeretur, ut personam tuam sinceris affectibus prosequentes peticionibus tuis quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos tuis devotis supplicacionibus inclinati, ut tam tuam Trajectensem quam alias ecclesias ac monasteria et loca ecclesiastica eorumque personas tuarum civitatis et diocesis, in quibus tibi visitacionis officium de jure vel de consuetudine competit, possis per aliquam seu aliquas personam seu personas ydoneas, quam vel quas ad id duxeris deputandam vel etiam deputandas, usque ad biennium, quociens tempus visitacionis ingruerit, visitare et procuraciones racione visitacionis hujusmodi tibi debitas ab ecclesiis, monasteriis et locis ac personis eisdem taliter visitatis semel dumtaxat in pecunia numerata recipere, dummodo procuraciones hujusmodi summam octuaginta Turonensium argenti, quorum duodecim valeant unum florenum auri, cunii et ponderis Florentini, pro die qualibet non excedant; non obstantibus constitucionibus [1]) a felicis recordationis Innocentio IIII et Gregorio X et quibuslibet aliis Romanis pontificibus predecessoribus nostris in contrarium editis ac privilegiis apostolicis quibuscunque specialibus vel generalibus, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris oporteat specialem fieri mentionem et per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, fraternitati tue auctoritate presencium indulgemus. Nostre tamen intencionis existit, quod hii, quorum facultates ad integram solucionem hujusmodi summe, supportatis aliis oneribus consuetis, non suppetunt, ultra quam juxta suarum hujusmodi facultatum exigenciam commode valeant, illi vero, qui de dicta summa nil solvere poterunt, ad solvendum aliquid pretextu indulti hujusmodi nullatenus compellantur. Nulli ergo *etc.*

nostre concessionis infringere *etc.* Dat. Avinione, VII Kl. Junii, pontificatus nostri anno septimo.

Reg. Av. T. 21, *f.* 605v. *Apographum coaevum in arch. prov. Ultraj. P.* 365, *cum aliis diplomatibus ad visitationem civitatis Trajectensis spectantibus datum in copiam per Ghiselbertum Sonekart clericum Traj. dioec., notarium publicum, die* 15 *Maji an.* 1361; *in charta membranea.*

Muller Catalogus 90* *et Regesten* 365*.

1) Quibus praecipitur, ne in pecunia sed tantummodo in victualibus procurationes recipiat visitator; cfr. Corpus jur. can. Sexti Decret Lib. III. Tit XX. capp. I—II.

1618. *1359, Maji 26, Avenionis.*

Infrascripti praedicti privilegii conservatores deputantur.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis .. preposito Arnhemensis et .. decano Davantriensis Trajectensis diocesis ac .. thesaurario sancti Salvatoris Trajectensis ecclesiarum salutem et apostolicam benedictionem.

Devocionis probata *etc. usque:* compellantur. Quocirca mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios faciatis auctoritate nostra personam seu personas hujusmodi, quam vel quas idem episcopus ad predictum visitationis officium duxerit, ut premittitur, deputandam seu deputandas, ad illud admitti, dictoque episcopo vel procuratori suo pro eo procuraciones predictas juxta hujusmodi concessionis et intencionis nostre tenorem, super quo vestras consciencias oneramus, semel dumtaxat integraliter exhiberi; non obstantibus omnibus supradictis; seu si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Dat. *ut supra.*

Reg. Av. T. 21, *f.* 606. *Apographum in arch. prov. Ultraj. ibidem.*

Muller Catalogus 90* *et Regesten* 366*; *cfr. etiam* 393*.

1619. *1359, Maji 31, Avenionis.*

Willemanni laico et Agathae ejus uxori Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, II Kl. Junii, anno septimo.

Reg. Av. T. 21, *f.* 529.

1620. *1359, Junii 6, ap. Villamnovam*

Folkero episcopo Gibelethano mandatur, ut in civitate et dioecesi Traj. exigat et recipiat bona legata pro defensione Terrae Sanctae.

Venerabili fratri Folkero episcopo Gibeletheno *(sic)*, apostolice sedis nuncio, salutem *etc.*

Dum ultramarinorum insolencias metuimus Tartarorum, dum inhumanitates, quibus Christi fideles in illis partibus opprimuntur, dumque memorie commendamus, qualiter inter ceteros infideles Turchi ad presens Christi et Christianorum infesti persecutores et hostes in multitudine gravi, eorum fines egressi, conflatis eorum viribus per Sivirnorum [1]) et Romanie partes maritimas hostiliter discurrentes, in earundem fideles partium immaniter sternunt eosque innumeris dampnis et jacturis afficiunt, post incendia, rapinas et spolia, quos evadit gladius impiorum, velut bruta feralia venumdantes subiciunt miserabili servituti, pro cujusmodi captivorum redemptione et partium custodia predictarum expensas cotidianas et sumptus impendere pro viribus nos oportet, mens estuat, spiritus contremescit et conceptus nostri nimium contabescunt. Sane nostras ad aures fidedignorum testimonio est perductum, quod in civitate et diocesi Trajectensi non modica res et bona mobilia et immobilia ac per se moventia per cives et incholas civitatis et diocesis predictarum ad passagium ultramarinum seu impugnationem agrediendam viriliter contra infideles in suis ultimis voluntatibus et alias fuerunt relicta, donata vel legata, quorum nonnulli posteri vel heredes aut bonorum hujusmodi detentores illa tradere sic legata seu alias explicare sedi apostolice, cui competit in hac parte munus, proinde non curarunt, quedam sibimet de illis in eorum anime prejudicium applicando et quedam irreverenter in predictorum dispendium venumdando. Nos igitur, cupientes res et bona hujusmodi, ut tenemur, ad pias et salubres causas deducere memoratas, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus attente, quatinus per te vel alium seu alios super hiis summarie et de plano absque strepitu et figura judicii, vocatis quos evocandos noveris, te informans, hujusmodi res et bona quecunque fuerint, qualia seu quanta a quibuscunque detineantur seu debeantur, sive infra limites dictarum civitatis et diocesis fuerint seu alibi transportentur, nostro nomine petere, exigere et habere ac debite conservare et custodire, donec a sede prefata receperis aliud in mandatis, cum integritate procures; contradictores quoscunque auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a sede predicta sit indultum, quod excommunicari vel interdici nequeant aut suspendi per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi et eorum nominibus seu ordinibus mencionem. Nos enim tibi liberandi plenius et quitandi illos, a quibus res et bona receperis memorata, de illis tantummodo, que recipere te continget, plenam et liberam tenore presencium concedimus facultatem. Volumus autem, quod de hiis, que abinde te recipere contigerit et quitare, duo consimilia publica instrumenta fieri facias, quorum altero penes quos tanget dimisso, reliquum camere nostre mittas. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIII Id. Junii, anno septimo.

Reg. Vat. T. 241, *f.* 67ᵛ. 1) Serbi?

1621. *1359, Junii 9, Avenionis.*

Merico de Osinghehusen [1]) *presbytero Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, V Id. Junii, anno septimo.

Reg. Av. T. 21, *f.* 530.

1) Osingahuizen pagus in Frisia prope Snecam.

1622. *1359, Junii 13, ap. Villamnovam.*

Folkero episcopo Gibelethano committitur, quod possit vendere et distrahere omnia bona ad Cameram apostolicam pertinentia in civitate et dioecesi Traj.

Eidem.

Fraternitati tue, de qua fidem in Domino gerimus pleniorem, per apostolica scripta committimus et mandamus attente, quatinus per te vel alium seu alios omnia et singula res et bona mobilia et immobilia et per se movencia infra civitatem et diocesim Trajectenses ad cameram apostolicam pertinencia, pretextu passagii ultramarini seu alias legata aut donata, per te exacta, petita et habita seu in antea exigenda, petenda et habenda, nostro nomine plus offerentibus cum licitationibus debitis vendendi, explectandi et in pecuniarum summas res et bona hujusmodi convertendi, de emcione indampnitates accomodas promittendi et alias, prout expedire secundum Deum noveris, disponendi, super quibus tuam conscienciam oneramus, et de sic receptis tantummodo liberandi plenius et quitandi ac alia premissorum cuilibet necessaria exercendi, plenam et liberam tenore presencium concedimus facultatem. Volumus autem, quod hujusmodi pecuniarum quantitates, quas abinde receperis vel habebis, quamprimum ad id obtulerit se facultas, camere prelibate mittere non postponas. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Id. Junii, anno septimo.

Reg. Vat. T. 241, *f.* 68.

1623. *1359, Junii 20, ap. Villamnovam.*

Pro praeposito Daventriensi infrascripti ad quinquennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis .. Trajectensis et .. sancti Martini Leodiensis ac .. sancti Donatiani Brugensis Tornacensis diocesis decanis ecclesiarum salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, XII Kl. Julii, anno septimo.

Reg. Av. T. 21, *f.* 497.

1624. *1359, Junii 20, ap. Villamnovam.*

Pro magistro Johanne Henrici de Zelandia Traj. dioec. dantur literae salvi conductus.

Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis *etc.* .... necnon nobilibus viris ducibus, principibus *etc.* .... salutem *etc.*

Cum dilectus filius magister Johannes Henrici de Zelandia diocesis Trajectensis, legum doctor, causarum fiscalium patronus, ad nonnullas terrigenas et maritimas partes ex beneplacito apostolico habeat se conferre, nos ipsum doctorem cum ejus familia, rebus et bonis eundo, morando, transeundo, stando et revertendo semel et pluries volentes plena et perempni *(sic)* securitate gaudere, universitatem vestram requirimus et hortamur attente *etc.*... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XII Kl. Julii, anno septimo.

Reg. Vat. T. 241, *f.* 79.

1625—1626. *1359, Junii 25, ap. Villamnovam.*

A. *Tilmanno Gotscalci dicto Hout conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae S. Petri Middelburgensis, quas cum Petro Vinne alias dicto Plaestrier pro parochiali ecclesia* „de Riederkerke" [1]) *cum consensu Guillermi (V) comitis Hollandiae, hujus ecclesiae patroni, putavit permutandas.*

B. *Petro Vienne alias dicto Plaestrier tamquam rectori confertur parochialis ecclesia* „de Riederkerke" *Traj. dioec. — Pro utroque deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, VII Kl. Julii, anno septimo.

Reg. Av. T. 21, *f.* 249.

1) Ridderkerk.

1627. *1359, Julii 7, ap. Villamnovam.*

Johanni (de Arkel) episcopo et Gerardo de Veno vicario generali Traj. mandatur, ut si Tielmannum de Stryen [1]) *choriepiscopum Traj. invenerint fore usurarium, ipsum desistere ab usuris et ad restitutionem usurarum compellant.*

Venerabili fratri Johanni episcopo Trajectensi et dilecto filio Gerardo de Veno archidiacono in Arnhemensi ecclesia et generali vicario Trajectensi salutem *etc.*

Fama publica perferente ad apostolice sedis noticiam est deductum, aborrende *(sic)* iniquitatis filium Tielmanum de Stryen coriepiscopum Trajectensem existentem, ut fertur, usurarium manifestum fenus licet utriusque Testamenti pagina condempnatum in illis publice partibus exercere, in sue

anime dispendium et substanciarum voraginem non modicam plurimorum. Nos igitur, cupientes eundem Tielmannum nedum a penis contra manifestos usurarios jure cautis liberari, sed eciam a peccato, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus attente, quatinus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios super hiis summarie et de plano absque strepitu et figura judicii, vocatis quos vocandos noveritis, informetis et, si Tielmannum predictum usurarium esse repereritis manifestum, ipsum ad restitucionem usurarum hujusmodi debite faciendum per censuram ecclesiasticam auctoritate nostra, appellacione postposita, compellatis, invocato ad hoc, si opus esset, auxilio brachii secularis, cujusmodi compulsiones, si idem Tielemannus per aliquamdiu, quod non credimus, substinuerit absque satisfactione debita animo indurato, seu alias vobis visum fuerit oportere, illum Tielmannum citare curetis, ut certo peremptorio termino eidem prefigendo coram gentibus nostre camere in Romana curia habeat personaliter comparere, super hujusmodi demeritis limam justicie suscepturus, predicentes eidem, quod sive in termino prelibato personaliter comparuerit, sive non, contra ipsum debite procedetur juxta canonicas sanctiones; non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad judicium evocetur, et generalis concilii de duabus dietis et quibuscunque aliis constitucionibus, privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa seu totaliter non inserta effectus hujusmodi impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mencio specialis; seu si eidem ab eadem sit sede indultum, quatinus interdici vel excommunicari nequeat aut suspendi per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mencionem. Volumus autem, quod in eventu citacionis hujusmodi faciende negocium plene instructum cum actis et aliis munimentis sub nostris patentibus litteris, harum seriem continentibus, vestrorum sigillorum appencionibus communitis, prelibate camere transmittatis. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Non. Julii, pontificatus nostri anno septimo.

Reg. Vat. T. 241, f. 66.

1) Codex in rubrica habet: Scrien.

1628. *1359, Julii 12, ap. Villamnovam.*

Ocko dictus Hoyta monasterio S. Odulphi in Stauria [1]*), cujus abbatia per promotionem Folkeri in episcopum Gibelethensem nuper vacavit, praeficitur in abbatem. — Cujus nominationis conventus et (Johannes) episcopus Traj. certiores redduntur.*

Dilecto filio Ockoni dicto Hoyta abbati monasterii sancti Adulphi *(sic)* in Staurea *(sic)* ordinis sancti Benedicti, Trajectensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Regimini universalis.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, IIII Id. Julii, anno septimo.

In e. m. dilectis filiis conventui sancti Adulphi in Staurea .... salutem *etc.*

In e. m. venerabili fratri .. episcopo Trajectensi salutem *etc.*

Reg. Av. T. 20, *f.* 138.

1) Stavoren.

1629. *1359, Augusti 8, ap. Villamnovam.*

Reynero van Drienhusen de Embrica clerico Traj. dioec. reservatur perpetuum beneficium in ecclesia Trajectensi, consuetum aliis quam canonicis praebendatis assignari et 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Laudabilia tue.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, VI Id. Augusti, anno septimo.

Reg. Av. T. 20, *f.* 496v.

1630. *1359, Augusti 9, ap. Villamnovam.*

Waltero dicto Wickenbroec, rectori altaris b. Mariae Virginis siti in parochiali ecclesia de Sulichem [1]) *Traj. dioec., qui de soluto genitus et soluta antea jam dispensationem super defectu natalium obtinuit, indulgetur, quod adhuc alterum beneficium obtinere valeat.*

Exigunt tue.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, V Id. Augusti, anno septimo.

Reg. Av. T. 21, *f.* 587r.

1) Zuilichem.

1631. *1359, Novembris 2, Avenionis.*

Incolis civitatis Trajectensis et oppidi de Renen ratione pestis ibi grassantis usque ad festum Ascensionis Domini proxime futurum conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Dilectis filiis universis personis utriusque sexus ecclesiasticis et secularibus civitatis Trajectensis ac opidi de Ryenen Trajectensis diocesis et suburbiorum suorum salutem *etc.*

Provenit ex.... Cum itaque, sicut petitionis pro parte vestra nobis exhibite series continebat, mortalitatis pestis in vestris civitate Trajectensi ac opido de Ryenen Trajectensis diocesis et eorum suburbiis plurimum invalescat, nos .... ut confessor, quem quilibet vestrum duxerit eligendum, omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti et ore confessi fueritis, semel tantum in

mortis articulo plenam remissionem vobis in sinceritate fidei .... persistentibus auctoritate apostolica concedere valeat, devotioni vestre tenore presentium indulgemus.... Presentibus post festum Ascensionis Domini proxime futurum minime valituris.... Dat. Avinione, IIII Non. Novembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 20, *f.* 384.

1632. *1359, Novembris 5, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut causam audiant et fine debito terminent pro Johanne Wite canonico Traj., qui (Johannem) episcopum, decanum et capitulum, ne computum de fabrica ecclesiae Traj. acceptent et de pecuniae summa satisfaciant, sibi recusare conquestus est.

Dilectis filiis .. sancti Laurencii extra muros Trajectensium et .. sancti Pauli monasteriorum abbatibus ac .. decano ecclesie sancti Johannis Trajectensis salutem *etc.*

Peticio pro parte dilecti filii Johannis Wite canonici Trajectensis nobis exhibita continebat, quod licet ipse, qui olim ex commissione et deputacione venerabilis fratris nostri .. episcopi Trajectensis et dilectorum filiorum .. decani et capituli ecclesie Trajectensis, prout ad eos spectabat, officium fabrice dicte ecclesie et ejus bona et jura aliquamdiu gessit et administravit, hujusmodi administrationem bene et solerter exercuerit ac deinde de hujusmodi gestis et administratis per eum eisdem episcopo, decano et capitulo fidelem et bonum compotum *(sic)* et rationem reddiderit, dictique episcopus, decanus et capitulum eidem Johanni ratione hujusmodi administrationis secundum redditionem hujusmodi computi in magna summa pecunie remanserint obligati, tamen iidem episcopus, decanus et capitulum compotum et rationem hujusmodi acceptare et eidem Johanni de dicta pecunie summa satisfacere et quitationem et absolutionem de hujusmodi gestis et administratis facere contra justiciam recusantes, ipsum de mala administratione officii hujusmodi multipliciter diffamare et eum ratione illius dampnis et injuriis quampluribus afficere non verentur, super quo idem Johannes apostolice sedis remedium humiliter imploravit. Nos igitur, ejusdem Johannis in hac parte supplicationibus inclinati, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, vocatis qui fuerint evocandi et auditis hincinde propositis, quod justum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari; testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere; non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Dat. Avinione, Non. Novembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 20, *f.* 689v.

1633—1634. *1359, Novembris 10, Avenionis.*

A. *Isantrudae de Berentrade mulieri Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

B. *Johanni Witten canonico Trajectensi idem privilegium.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, IIII Id. Novembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 20, *f.* 385v.

1635. *1359, Novembris 13, Avenionis.*

Pro abbate et conventu monasterii Insulae b. Mariae ord. Praemonstr. Traj. dioec. infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis .. abbati monasterii Belliredditus Leodiensis et .. sancti Georgii Coloniensis ac .. sancti Salvatoris Trajectensis ecclesiarum decanis salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. Avinione, Id. Novembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 20, *f.* 611.

1636. *1359, Novembris 18, Avenionis.*

Johanni Moliart confertur perpetua vicaria, praebenda animarum vulgariter nuncupata, in ecclesia b. Mariae Traj., quam cum Ghiselberto dicto Goetghebuer pro matriculariis ecclesiarum de Landen en de Waesmont Leod. dioec. putavit permutandam. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, XIIII Kl. Decembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 20, *f.* 439v.

1637. *1359, Novembris 18, Avenionis.*

Folkero episcopo Gibelethensi confirmatur annua pensio 300 florenorum auri, quam ipsi Johannes (de Arkel) episcopus Traj. pro exercitio pontificalium die 20 Maji proxime elapso assignavit.

Venerabili fratri Folkero episcopo Gibelethensi salutem et apostolicam benedictionem.

Hiis, per que ecclesiarum utilitatibus consulitur et personarum ecclesiasticarum et presertim pontificali dignitate preditarum necessitatibus providetur, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane peticio venerabilis fratris nostri Johannis episcopi Trajectensis et tua nobis exhibita continebat, quod olim idem episcopus attendens, quod ipse propter latitudinem et diffu-

sionem magnam sue Trajectensis diocèsis et ex certis aliis causis legitimis frequenter in exercitio pontificalis officii et eorum, que hujusmodi officium concernebant, quamplurimum impediebatur nec poterat omnia sine magno incommodo personaliter exercere, ac propterea cupiens super hiis salubriter providere, tibi pro hujusmodi officio pontificali et ipsum concernentibus et aliis oneribus in pontificalibus, que ipse episcopus commode exercere non poterat, facilius et commodius ad utilitatem subditorum propriis laboribus et expensis tuis supplendis et supportandis trecentos florenos auri boni et legalis ponderis tibi ad vitam tuam in certis terminis more censuum annuorum per dictum episcopum et alios successores suos episcopos Trajectenses pro annua pensione tradendos et assignandos assignavit et deputavit et nonnulla alia circa hec fecit et ordinavit, prout in instrumento publico inde confecto, dicti episcopi sigillo munito, cujus tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dicti episcopi et tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut premissis per dictum episcopum factis robur confirmationis adicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, hujusmodi supplicacionibus inclinati, hujusmodi assignationem et deputationem et alia super hiis per dictum episcopum, ut premittitur, facta et ordinata rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor vero dictarum litterarum talis est:

Johannes Dei gratia episcopus Trajectensis universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino.

Cum nuper sanctissimus pater et dominus noster Innocencius divina providencia papa VI venerabilem patrem dominum Folkerum electum Gibelethensem ad peticionem nostram noviter promovit in episcopum ad titulum ecclesie Gibelethensis, que est transmarina in patriarchatu Antiocheno, ad finem ut possit supplere in pontificalibus officiis vices nostras, qui propter diffusam latitudinem nostre diocesis et alias certas et legitimas causas frequenter in exercicio pontificalis officii et eorum, que ipsum concernunt, quamplurimum impedimur et non possumus omnia sine magno incommodo personaliter exercere, nos de licencia domini nostri pape nobis ad infrascripta faciendum specialiter concessa dicto domino Folkero pro hujusmodi officio pontificali et ipsum concernentibus aliis oneribus in pontificalibus, que commode non possumus exercere, facilius et commodius ad utilitatem subditorum propriis laboribus et expensis ipsius domini Folkeri supplendis et supportandis trecentos florenos auri boni et legalis ponderis tradendos et solvendos singulis annis in festis beatorum Martini episcopi et Petri ad Cathedram divisim et equaliter more censuum annuorum eidem domino Folkero ad vitam suam, per nos et alios successores nostros, episcopos Trajectenses, pro annua pensione deputavimus et assignavimus et presentibus deputamus et assignamus ac ipsum dominum Folkerum presentem et recipientem per anuli *(sic)* nostri tradicionem de dicta pensione dictorum florenorum singulis annis, ut premittitur, solvenda investivimus et presencialiter investimus, nos et successores nostros, episcopos Trajectenses prefatos ac ipsam ecclesiam Trajectensem et bona ipsius pro solutione dictorum florenorum dicto domino Folkero et presertim omnes et singulos fructus, redditus et proventus, obvenciones et jura ad mensam nostram episcopalem Trajectensem spectantes et spectancia in partibus Sallandie infra diocesim nostram situata et in quibuscunque juribus

vel jurisdictionibus earum parcium consistencia de eadem licencia domini nostri pape prefati efficaciter obligando ac consenciendo expresse, quod dicta trecentorum florenorum summa dicto domino Folkero quolibet solutionis termino predicto expedite primitus persolvatur, antequam fructus, redditus et proventus, obvenciones et jura predicta ad usus nostros vel episcopi pro tempore existentis seu cujuscunque alterius convertantur vel quomodolibet deputentur, quamdiu prefatus dominus Folkerus in pontificalibus et in que ad officium pontificale expectant *(sic)* vices nostras et aliorum successorum nostrorum, episcoporum Trajectensium pro tempore, in civitate et diocesi Trajectensibus juxta ordinationem et commissionem hujusmodi debite supplere voluerit seu etiam eidem fideliter exercere placuerit et honeste fuerit conversatus. In quorum omnium testimonium presentes litteras seu presens publicum instrumentum per notarium publicum infrascriptum scribi et publicari mandavimus et sigilli nostri fecimus appensione muniri. Dat. et actum Avinione in domo, qua habitati sumus prope claustrum fratrum Heremitarum sancti Augustini, die vicesima mensis Maji, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo nono, indictione duodecima, pontificatus domini nostri Innocencii pape sexti predicti anno septimo, presentibus venerabilibus et discretis viris dominis Johanne de Nuenar decano sancti Lebuini Davantriensis, Reynero Modde vicario perpetuo nostre Trajectensis, Bernardo de Berne rectore parrochialis ecclesie in Bocholte ecclesiarum, Johanne de Buren, Hugone et Henrico dictis de Loenresloet domicellis et Theoderico Koyte clerico nostre Trajectensis antedicte et Monasteriensis diocesium testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Wynandus dictus Ridder clericus prefate Trajectensis diocesis, apostolica et imperiali auctoritate notarius publicus, dicte pensionis annue deputacioni et assignationi ac investiture aliisque premissis, dum, ut supra leguntur, agerentur et fierent, una cum prenominatis testibus presens fui eaque fieri vidi et audivi ac inde hoc presens instrumentum publicum de mandato et ad requisitionem dictorum reverendorum patrum dominorum Johannis episcopi Trajectensis et Folkeri electi Gibelethensis predictorum propria manu scripsi et in hanc publicam formam redegi signoque meo solito et consueto signavi in testimonium premissorum.

Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Avinione, XIIII Kl. Decembris, pontificatus nostri anno sexto *(sic)*. [1])

Reg. Av. T. 20, *f.* 707. *Apographum in archivo Status Haga-Comitano, transsumptum per Petrum de Vollenho clericum Traj. dioec., notarium publicum, in* „Risen dicte Trajectensis diocesis in domo habitationis prefati .... Folkeri episcopi Gibelethensis," *die* 2 *Octobris an.* 1364, — *in charta membranea.*

1) Ita Reg. Av., sed apographum Haga-Comitanum recte habet: anno septimo, ad quem totum hoc Registri volumen pertinet.

1638. *1359, Novembris 18, Avenionis.*

Theoderico Momme presbytero Traj. dioec. confirmatur decanatus ecclesiae S. Martini Embricensis, quem in manibus (Johannis) episcopi Traj. cum Johanne Thomae de Horsden pro parochiali ecclesia de Angherlo putavit permutandum.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, XIIII Kl. Decembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 21, *f.* 620.

1639. *1359, Novembris 21, Avenionis.*

Baldewino Nicolai Gruter confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia Traj., quas cum pacifice assecutus fuerit, parochialem ecclesiam de Dalen omnino dimittat. — Deputantur executores.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, XI Kl. Decembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 20, *f.* 326.

1640. *1359, Decembris 4, Avenionis.*

„Bartzote" *natae Egidii Theermes laici, mulieri Traj. dioec., conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, II Non. Decembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 21, *f.* 541v.

1641. *1359, Decembris 9, Avenionis.*

Theoderico Meynart laico et Gheertrudi ejus uxori civibus Trajectensibus idem privilegium.

Provenit ex.... Dat. Avinione, V Id. Decembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 21, *f.* 542v.

1642. *1360, Januarii 10, Avenionis.*

Ockoni abbati monasterii S. Odulphi in Stauria [1]) *indulgetur, quod a quocumque maluerit Catholico antistite munus benedictionis recipere valeat.*

Cum nos pridem.... Dat. Avinione, IIII Id. Januarii, pontificatus nostri anno octavo.

Reg. Av. T. 24, *f.* 231v.

1) Codex habet: Adulphi, et: Staurea.

1643. *1360, Januarii 21, Avenionis.*

Cristinae relictae quondam Arnoldi dicti Scriner, viduae Traj. dioec., conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, XII Kl. Februarii, anno octavo.

Reg. Av. T. 22, *f.* 522.

1644. *1360, Januarii 26, Avenionis.*

Pro decano et capitulo ecclesiae Traj. infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis .. sancti Martini Coloniensis et .. sancti Jacobi Leodiensis monasteriorum abbatibus ac .. decano ecclesie Cameracensis salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. Avinione, VII Kl. Februarii, pontificatus nostri anno octavo.

Autographum in arch. prov. Ultraj. D. 472, *cum sigillo plumbeo chordulis cannabinis appenso; latere sinistro subscriptum est:* ✕✕✕ Jo. Bellih.; *super plica inferiori ad dext.:* pro Jo. Morelli Jo. de Angicuria; *a tergo:* Egidius G. de Jaudraco, non restituatur nisi bull. *et paullo infra:* R.

Reg. Av. T. 22, *f.* 490.

1645. *1360, Martii 2, Avenionis.*

Willermo Herman rectori parochialis ecclesiae in Haerlem Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, VI Non. Marcii, anno octavo.

Reg. Av. T. 24, *f.* 433.

1646. *1360, Martii 4, Avenionis.*

Guillermo Bloc nobili domicello Traj. dioec. idem privilegium.

Provenit ex.... Dat. Avinione, IIII Non. Marcii, anno octavo.
Reg. Av. T. **24**, *f.* **434.**

1647. *1360, Martii 15, Avenionis.*

Mabiliae de Bueren nobili domicellae Traj. dioec. idem privilegium.

Provenit ex.... Dat. Avinione, Id. Marcii, anno octavo.
Reg. Av. T. **24**, *f.* **436.**

1648. *1360, Martii 30, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Johanni Moliart canonico ecclesiae Lympurgensis Treveren. dioec. conferant perpetuam vicariam, praebendam animarum vulgariter nuncupatam, in ecclesia b. Mariae Traj. vacantem per resignationem Ghiselberti dicti Guetghebuer.

Dilectis filiis .. decano Trajectensis et .. archidiacono Turonensis ac sacriste Avinionensis ecclesiarum salutem *etc.*
Multiplicia probitatis.... Dat. Avinione, III Kl. Aprilis, anno octavo.
Reg. Av. T. **22**, *f.* 358[v].

1649. *1360, Aprilis 11, Avenionis.*

Petro nato Petri de Zelandia, perpetuo capellano in ecclesia de Monstre [1]) *Traj. dioec., conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, III Id. Aprilis, anno octavo.
Reg. Av. T. **22**, *f.* **522[v].**

1) Monster.

1650. *1360, Maji 9, ap. Villamnovam.*

Petro tit. S. Anastasiae presbytero Cardinali confertur decanatus ecclesiae S. Johannis Traj., quem cum Frederico de Bare pro decanatu Coloniensi putavit permutandum. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, **VII Id. Maji, anno octavo.**
Reg. Av. T. 23, *f.* 50.

1651. *1360, Junii 20, ap. Villamnovam.*

Heroni Sutori converso monasterii b. Odulphi in Stauria ord. S. Benedicti Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, XII Kl. Julii, anno octavo.
Reg. Av. T. 22, *f.* 527.

1652. *1360, Junii 22, ap. Villamnovam.*

Jacobo dicto Everaerd clerico Traj. dioec. idem privilegium.

Provenit ex.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, X Kl. Julii, anno octavo.
Reg. Av. T. 22, *f.* 523v.

1653. *1360, Junii 24, ap. Villamnovam.*

Henrico de Langherraet civi Trajectensi idem privilegium.

Provenit ex.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, VIII Kl. Julii, anno octavo.
Reg. Av. T. 22, *f.* 531v.

1654. *1360, Julii 28, ap. Villamnovam.*

Tielmannus de Stryen canonicus Traj. aggregatur in capellanum domini Papae.

Dilecto filio Tielmanno de Stryen canonico ecclesie Trajectensis salutem *etc.*

Virtutum clarens et meritorum [1]), sicut fame laudabilis et experiencie nobis note testimonio commendaris, illam in nostro et apostolice sedis conspectu graciam meruisti, quod personam tuam paterna benivolencia prosequamur et eam libenter attollamus honoris gracia specialis. Ut igitur in effectu percipiat quod suggerit nostre mentis affectus, te in nostrum et dicte sedis graciose recipimus capellanum ac nostrorum et dicte sedis capellanorum consorcio favorabiliter aggregamus, intendentes, quod propter hoc favoris apostolici presidia plenius sortiaris. Sic igitur de bono in melius studiis virtutum intendas, quod merito ad faciendum tibi pleniorem graciam invitemur. Nulli ergo *etc.* nostre receptionis et aggregacionis infringere *etc.* Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, V Kl. Augusti, anno octavo.
Reg. Av. T. 24, *f.* 502.

1) Inseras: splendore, vel simile verbum.

1655. *1360, Augusti 16, ap. Villamnovam.*

Johanni Cuesken de Goch canonico ecclesiae b. Mariae Aquensis Leod. dioec. conferendum reservatur beneficium spectans ad dispositionem capituli Trajectensis et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Probitatis et.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, XVII Kl. Septembris, pontificatus nostri anno VIII.

Reg. Av. T. 23, *f.* 527.

1656. *1360, Septembris 20, Avenionis.*

Frederico Utenham militi et Cristinae ejus uxori, nobilibus Traj. dioec., conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, XII Kl. Octobris, anno octavo.

Reg. Av. T. 22, *f.* 533.

1657. *1360, Octobris 5, Avenionis.*

Antonio de Fies in utroque jure licentiato confertur canonicatus et reservantur praebenda necnon dignitas, personatus vel officium in ecclesia Traj. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, III Non. Octobris, anno octavo.

Reg. Av. T. 22, *f.* 281v.

1658. *1360, Octobris 10, Avenionis.*

Decano ecclesiae S. Martini Monasteriensis mandatur, ut Hermanno Zure alias dicto Hake clerico Monasterien. dioec. conferat canonicatum et praebendam ecclesiae Aldenzalensis, quas Wilhelmus Cogman magister in artibus per Arnoldum dictum Vos canonicum S. Mariae Traj. libere resignavit.

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, VI Id. Octobris, pontificatus nostri anno octavo.

Reg. Av. T. 23, *f.* 225.

1659. *1360, Octobris 11, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Remigio Thurionis de Dombiayo canonico Virdunensi conferant canonicatum et praebendam, in ecclesia S. Petri Traj. vacantes per obitum Gerlaci de Doerinc. 1)

Venerabili fratri .. episcopo Columbriensi et dilectis filiis decano ecclesie sancti Agricoli Avinionensis ac officiali Trajectensi salutem *etc.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, V Id. Octobris, anno octavo.

Reg. Av. T. 22, *f.* 276ᵛ.

1) Codex habet: de Doerunc.

1660. *1360, Octobris 14, Avenionis.*

Goswino de Mere confertur canonicatus et praebenda cum supplemento ecclesiae Trajectensis, quae cum Johanne Vastini de Casleto pro perpetua capellania altaris S. S. Clementis et Sebastiani siti in ecclesia S. Nicolai apud Transitum Leodiensem putavit permutanda. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, II Id. Octobris, anno octavo.

Reg. Av. T. 22, *f.* 214ᵛ.

1661. *1360, Octobris 17, Avenionis.*

Pro reparatione ecclesiae S. Lebuini Daventriensis ad decennium conceditur indulgentia unius anni et 40 dierum.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Ecclesiarum fabricis.... Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia sancti Lebuini Daventriensis Trajectensis diocesis, in qua corpus ipsius sancti requiescit, ob cujus merita Dominus multa miracula operatur, casu fortuito incendio fuerit concremata et quasi totaliter destructa, magnis reparationibus indigeat, ad quas, cum ad hoc dilectorum filiorum .. decani et capituli ipsius ecclesie facultates non suppetant, fidelium elemosine sint plurimum oportune, ... omnibus vere penitentibus et confessis, qui manus ad hoc porrexerint adjutrices, unum annum et quadraginta dies de injunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Presentibus post decennium minime valituris. Quas mitti per questuarios districtius inhibemus, eas, si secus actum fuerit, carere viribus decernentes. Dat. Avinione, XVI Kl. Novembris, anno octavo.

Reg. Av. T. 24, *f.* 327.

1662. *1360, Octobris 23, Avenionis.*

Theobaldo de Herwen rectori parochialis ecclesiae „de Hyen" 1) *Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, X Kl. Novembris, anno octavo.

Reg. Av. T. 22, *f.* 535.

1) Hien in Gelria.

1663. *1360, Novembris 4, Avenionis.*

Universitati oppidi de Dordraco Hugo abbas et conventus monasterii Egmondensis cum ipsorum bonis et juribus protegendi commendantur.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universitati oppidi de Dordraco Trajectensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Et si ecclesiarum et monasteriorum omnium solicitudo || nobis immineat generalis, illorum tamen, que immediate apostolice sedi subsunt, indempnitatibus propensius debemus intendere et eorum favoribus diligentius providere. Sane pervenit ad audien||tiam nostram, quod nonnulli, qui Dei timorem et reverentiam sancte Romane ecclesie postponere non verentur, dilectis filiis Hugoni abbati et conventui monasterii Egmondensis ordinis sancti Benedicti Trajectensis diocesis, nobis et dicte ecclesie immediate subjecti, ipsorumque bonis et juribus non modicas inferunt et inferre conantur injurias et offensas.. Nos itaque, ad abbatem et conventum ac monasterium predictos gerentes paterne caritatis affectum ac cupientes eos eo amplioribus confovere presidiis, quo monasterium nobis et prefate ecclesie fore noscitur immediate subjectum ac de sue religionis observantia laudabile nobis testimonium perhibetur, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, quatinus eosdem abbatem et conventum ac monasterium ipsorumque bona et jura suscipientes pro nostra et apostolice sedis reverentia favorabiliter commendatos, nullam eis per malignantes quoscunque, dampna vel injurias quomodolibet ipsis inferre volentes, inferri patiamini, || quantum in vobis fuerit, lesionem, quinimmo ipsos ab hujusmodi offensis et injuriis oportunis auxiliis et favoribus protegatis, vestram in hoc diligentiam taliter ostensuri, quod preter divine retributionis || premia apud nos et sedem predictam dignis in Domino commendari laudibus valeatis. Dat. Avinione, II Non. Novembris, pontificatus nostri anno octavo.

Autographum in bibliotheca seminarii Warmondensis; sigillum plumbeum, quod adhuc conservatur, abscissum est; in angulo dextero infra: Jo. de Florentia; *a tergo:* Dilectis filiis universitati oppidi de Dordraco Trajectensis diocesis.

1664. *1360, Decembris 24, Avenionis.*

Henrico dicto Vliger tamquam rectori confertur parochialis ecclesia „in Gelenthem" [1]) *Traj. dioec. vacans per resignationem Theoderici Henrici* „Bomue." [2]) — *Deputantur executores.*

Suffragancia tibi.... Dat. Avinione, VIIII Kl. Januarii, anno nono.

Reg. Av. T. 25, *f.* 219r.

1) Gellicum in Gelria? 2) Legendum forte: Blomveen.

1665. *1361, Januarii 19, Avenionis.*

Gerardo dicto Ryke de Noviomago clerico Colon. dioec. reservatur beneficium conferendum a capitulo S. Petri Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Probitatis et.... Dat. Avinione, XIIII Kl. Februarii, anno nono.

Reg. Av. T. 25, *f.* 15v.

1666. *1361, Januarii 30, Avenionis.*

Ghiselberto dicto Coc conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum ecclesiae Traj., quae cum Gerardo de Pitalocis pro canonicatu et praebenda S. Gaugerici Cameracensis putavit permutanda. — Deputantur executores, inter quos Michael Moliart canonicus Traj.

Apostolice sedis.... Non obstantibus .... quod in sancte Walburgis Zutphaniensis cum prepositura, que simplex officium existit, et in Sancte Ode Roden [1]) ecclesiis canonicatus et prebendas ac personatum de Huosen *(sic)* dicte Trajectensis ecclesie Leodiensis et Coloniensis diocesium nosceris obtinere.... Dat Avinione, III Kl. Februarii, anno nono.

Reg. Av. T. 26, *f.* 135.

1) Sint-Oedenrode.

1667. *1361, Februarii 3, Avenionis.*

Petrus (Hoec), qui Johanne abbate defuncto a conventu monasterii b. Mariae de Middelburch in abbatem canonice electus et a patre abbate, monasterii S. Michaelis Antwerpiensis abbate, confirmatus est, in hac dignitate confirmatur, perinde ac si nulla dictae abbatiae reservatio a sede apostolica facta fuisset.

Dilecto filio Petro abbati monasterii beate Marie de Middelburch ordinis Premonstratensis, Trajectensis diocesis, salutem *etc.*

Juxta pastoralis.... Dat. Avinione, III Non. Februarii, anno nono.

Reg. Av. T. 26, *f.* 558.

1668. *1361, Februarii 22, Avenionis.*

Giselberto dicto Talpa rectori parochialis ecclesiae „de Ghyethoern" [1]) *Traj. dioec. dispensatio antea data* [2]) *super defectu natalium, quem patitur de presbytero genitus et soluta, ampliatur ad hoc, quod duo alia beneficia obtinere valeat.*

Probitatis et.... Dat. Avinione, VIII Kl. Marcii, anno nono.

Reg. Av. T. 25, *f.* 370.

1) Giethoorn in Transisulania. 2) Supra num. 1009.

1669. *1361, Martii 10, Avenionis.*

Nicolao tit. S. Vitalis presbytero Cardinali ad quinquennium indulgetur, quod loca ecclesiastica in archidiaconatu Daventriensi consistentia per aliquam personam idoneam visitare et procurationes propterea debitas in pecunia numerata recipere valeat. — Cujus privilegii deputantur conservatores.

Dilecto filio Nicolao tituli Sancti Vitalis presbytero cardinali salutem *etc.* Quanto Romanam ecclesiam, cujus honorabile membrum existis, honoras plenius tuorum magnitudine meritorum, tanto per eam attolli mereris favoris gracia potioris. Hinc est, quod nos tuis supplicacionibus inclinati, ut ecclesias et monasteria et alia loca ecclesiastica in archidiaconatu tuo Deventriensi *(sic)* in ecclesia Trajectensi, quem ex concessione et dispensacione sedis apostolice obtinere dinosceris, consistentia eorumque personas, in quibus tibi racione dicti archidiaconatus visitacionis officium competit de consuetudine vel de jure, possis libere per aliquam seu aliquas personas ydoneam vel ydoneas, quam vel quas deputandam ad hoc duxeris vel etiam deputandas, usque ad quinquennium, quociens tempus visitacionis hujusmodi (ingruerit, visitare et procuraciones racione visitacionis hujusmodi) tibi debitas ab eisdem ecclesiis, monasteriis et locis ac personis taliter visitatis in pecunia numerata recipere, dummodo procuraciones hujusmodi summam triginta Turonensium argenti, quorum duodecim valeant unum florenum auri ponderis et cunii Florentini, pro die qualibet non excedant, non obstantibus constitucionibus a felicis recordacionis Innocentio quarto et Gregorio X et quibuslibet aliis Romanis pontificibus predecessoribus nostris in contrarium editis ac privilegiis et indulgentiis apostolicis quibuscunque specialibus vel generalibus, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialem oporteat fieri mencionem et per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus hujusmodi gracie impediri valeat quomodolibet vel differri, tibi auctoritate presencium indulgemus. Nostre tamen intencionis existit, ut hii, quorum facultates ad integram solucionem hujusmodi summe supportatis aliis oneribus consuetis non suppetunt, ultra quam juxta suarum hujusmodi facultatum exigentiam commode valeant, illi vero, qui de dicta summa nichil solvere poterunt, ad solvendum aliquid pretextu indulti hujusmodi nullatenus compellantur. Nulli ergo *etc.* nostre concessionis infringere *etc.* Dat. Avinione, VI Id. Marcii, anno nono.

In e. m. dilectis filiis .. preposito Avenionensi et .. decano sancti Salvatoris Trajectensis ac .. thesaurario Davantriensis Trajectensis diocesis ecclesiarum salutem *etc.*

Reg. Av. T. 27, *f.* 125.

1670. *1361, Aprilis 4, Avenionis.*

(Johanni) episcopo Lemovicensi mandatur, ut Petro de Stonnuchaele nato Raymundi de Sancto Michaele, clerico Lemovicen. dioec., conferat canonicatum et praebendam in ecclesia S. Johannis Traj. vacantes per obitum Cristiani de Elsen, apud curiam defuncti.

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, II Non. Aprilis, anno nono.
Reg. Av. T. 20, *f.* 210v.

1671. *1361, Aprilis 7, Avenionis.*

Petro Hoec abbati monasterii Middelburgensis conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, VII Id. Aprilis, anno nono.
Reg. Av. T. 25, *f.* 532v.

1672. *1361, Aprilis 23, Avenionis.*

Giselberto de Walenborgh canonico ecclesiae S. Salvatoris Traj. conferendum reservatur supplementum in eadem ecclesia. — Deputantur executores, inter quos Theodericus de Jutfaes canonicus Traj.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, VIIII Kl. Maji, anno nono.
Reg. Av. T. 25, *f.* 235.

1673. *1361, Junii 21, Avenionis.*

Gerardo de Bronchorst tamquam rectori confertur parochialis ecclesia de Wadenoy [1]) *Traj. dioec., vacans per obitum Henrici dicti Bierwisch, apud curiam defuncti. — Deputantur executores.*

Vite ac morum.... Dat. Avinione, XI Kl. Julii, anno nono.
Reg. Av. T. 26, *f.* 283v.

1) Wadenoyen in Gelria.

1674. *1361, Septembris 24, Avenionis.*

Hugoni de Vesello conferuntur canonicatus et thesauraria ecclesiae Daventriensis, quas cum Giselberto de Walenborc pro canonicatu et praebenda Suessionensis ecclesiae putavit permutandas. — Deputantur executores, inter quos Wilhelmus de Zile canonicus Traj.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, VIII Kl. Octobris, anno nono.
Reg. Av. T. 27, f. 271v.

1675. *1361, Septembris 25, Avenionis.*

Giselberto de Zile tamquam rectori confertur parochialis ecclesia in Loesden[1]) *Traj. dioec., vacans per obitum Swederi de Honsele*[2]), *apud curiam defuncti. — Deputantur executores.*

Multiplicia probitatis.... Dat. Avinione, VII Kl. Octobris, anno nono.
Reg. Av. T. 25, f. 177v.

1) Leusden in provincia Trajectina. 2) Codex habet: de Huvezele.

1676. *1361, Septembris 25, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Johanni Wyk alias dicto de Lippia, canonico Stendalensi Halberstaden. dioec., conferant perpetuam vicariam semipraebendam nuncupatam, in ecclesia Traj. vacantem per obitum Suederi de Honsele, apud curiam defuncti.

Dilectis filiis .. sancti Agricoli Avinionensis et sancti Salvatoris Trajectensis ac Reyssensis Coloniensis diocesis ecclesiarum decanis salutem *etc.*
Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, VII Kl. Octobris, anno nono.
Reg. Av. T. 26, f. 332.

1677. *1361, Octobris 11, Avenionis.*

Petro Camerouwer nobili domicello Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, V Id. Octobris, anno nono.
Reg Av. T. 26, f. 540.

1678. *1361, Octobris 18, Avenionis.*

Gumperto de Hereler canonico ecclesiae S. Mariae Traj. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, XV Kl. Novembris, anno nono.
Reg. Av. T. 26, f. 542.

1679. *1361, Octobris 23, Avenionis.*

Executoribus [1] *mandatur, ut Remigio Thurionis de Dombrayo* [2] *conferant supplementum, in ecclesia S. Petri Traj. vacans per obitum Gerlaci de Doerinc.*

Probitatis et virtutum.... Dat. Avinione, X Kl. Novembris, anno nono.

Reg. Av. T. 23, *f.* 459.

1) Iisdem ut supra num. 1659, ubi legitur 2): de Dombiayo; utrum melius sit nescio.

1680. *1361, Novembris 20, Avenionis.*

Everardo de Reno rectori parochialis ecclesiae de Zassenem [1] *Traj. dioec. reservatur beneficium conferendum a capitulo S. Petri Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.*

Vite ac morum.... Dat. Avinione, XII Kl. Decembris, anno nono.

Reg. Av. T. 25, *f.* 39v.

1) Sassenheim.

1681. *1361, Decembris 13, Avenionis.*

Theoderico Heynriciboninc clerico Traj. dioec. reservatur simile beneficium conferendum a capitulo b. Mariae Traj. — Deputantur executores, inter quos Hugo Uustinc canonicus Traj.

Laudabilia merita.... Dat. Avinione, Id. Decembris, anno nono.

Reg. Av. T. 25, *f.* 250.

1682. *1362, Januarii 12, Avenionis.*

Henrico Volkier clerico Traj. dioec., magistro in medicina, conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, II Id. Januarii, anno decimo.

Reg. Av. T. 28, *f.* 578.

1683. *1362, Januarii 22, Avenionis.*

Henrico de Ziele clerico Traj. dioec. reservatur beneficium sine cura spectans ad dispositionem capituli S. Petri Traj. et 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores, inter quos Giselbertus de Valenborch canonicus Traj.

Exigentibus tue.... Dat. Avinione, XI Kl. Februarii, anno decimo.

Reg. Av. T. 28, *f.* 396v.

1684. *1362, Martii 4, Avenionis.*

Judoco de Zomerghem laico et Mariae ejus uxori Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, IIII Non. Marcii, anno decimo.

Reg. Av. T. 28, *f.* 584.

1685. *1362, Aprilis 5, Avenionis.*

Alberto de A perpetuo vicario in ecclesia b. Petri Traj. idem privilegium.

Provenit ex.... Dat. Avinione, Non. Aprilis, anno decimo.

Reg. Av. T. 28, *f.* 594.

1686. *1362, Aprilis 7, Avenionis.*

Pro abbate et conventu monasterii Egmondensis infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Michaelis Antwerpiensis et .. sancti Donatiani Brugensis [1]) Cameracensis et Tornacensis diocesium ac Leodiensis ecclesiarum decanis salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. Avinione, VII Id. Aprilis, anno decimo.

Reg. Av. T. 29, *f.* 521.

1) Codex habet: Burgensis.

1687. *1362, Aprilis 13, Avenionis.*

Frederico Kummer conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum ecclesiae Daventriensis, pro quibus cum Gerardo de Esa parochialem ecclesiam in Almen Traj. dioec. putavit permutandam. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, Id. Aprilis, anno decimo.
Reg. Av. T. 28, f. 228.

1688. *1362, Aprilis 13, Avenionis.*

Ghiselberto de Zile conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum in ecclesia Trajectensi vacantia per liberam resignationem Goswini de Meers. — Deputantur executores.

Laudabile testimonium.... Dat. Avinione, Id. Aprilis, anno decimo.
Reg. Av. T. 28, f. 241.

1689. *1362, Aprilis 13, Avenionis.*

Engelberto de Thisenhusen nobili militi Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, Id. Aprilis, anno decimo.
Reg. Av. T. 28, f. 591.

1690. *1362, Aprilis 24, Avenionis.*

Swedero de Voerst militi et Heywigae ejus uxori nobilibus Traj. dioec. idem privilegium.

Provenit ex.... Dat. Avinione, VIII Kl. Maji, anno decimo.
Reg. Av. T. 28, f. 605.

1691. *1362, Maji 7, Avenionis.*

Jacobo Jacobi de Compostellis conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum ecclesiae S. Salvatoris Traj., pro quibus cum Petro Buxerie perpetuam capellaniam altaris S. Thomae siti in ecclesia Traj. ac canonicatum praebendamque Zantbomelenses [1]) putavit permutandas. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, Non. Maji, anno decimo.
Reg. Av. T. 28, f. 236.

1) Zalt-Bommel.

1692. *1362, Julii 23, Avenionis.*

Johanni episcopo Traj. committitur, ut cum Wormboldo de Vinea et Elizabeth de Striena nobili domicella Traj. dioec., qui quarto se consanguinitatis gradu conjunctos esse non ignorantes, matrimonium contraxerunt prolemque exinde procrearunt, ad tempus separatis et ab excommunicationis sententia absolutis dispenset, quod impedimento praedicto non obstante matrimonium de novo contrahere valeant.

Oblate nobis .... injungens eis nichilominus pro transgressione hujusmodi, quod infra annum a dat. presentium computandum alicui pauperi puelle pro maritando ipsam decem florenos auri dare teneantur, quodque ille vel illa dictorum Wormboldi et Elizabeth, qui seu que alteri supervixerit, absque spe conjugii debeat perpetuo remanere.... Dat. Avinione, X Kl. Augusti, anno decimo.

Reg. Av. T. 29, *f.* 601.

1693. *1362, Julii 29, Avenionis.*

Elizabeth de Cotherwold mulieri Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, IIII Kl. Augusti, anno decimo.

Reg. Av. T. 29, *f.* 537.

1694—1700. *1362, Julii 31, Avenionis.*

A. *Godefrido Syardi laico Trajectensis dioec. idem privilegium.*

B. *Item Wibrando rectori parochialis ecclesiae in Oer Traj. dioec.*

C. *Item Petro priori domus in Sneke hospitalis S. Johannis Jerosolimitani Traj. dioec.*

D. *Item Wiardo Biwinga rectori parochialis ecclesiae in Westermere Traj. dioec.*

E. *Item Sybrando rectori parochialis ecclesiae* „in Atmarix" [1]) *Traj. dioec.*

F. *Item Tiderico rectori parochialis ecclesiae S. Nicolai de Sanctonicolao Traj. dioec.*

G. *Item Laurentio praeceptori domus in Sneke hospitalis S. Johannis Jerosolimitani Traj. dioec.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, II Kl. Augusti, anno decimo.

Reg. Av. T. 29, *f.* 538.

1) Alkmaar?

Le BULLARIUM TRAJECTENSE sera publié en 8 livraisons de ± 120 pages, qui formeront 2 volumes.

Le prix de souscription est fixé à 3 florins des P. B., par livraison.

BULLARIUM TRAJECTENSE.

ROMANORUM PONTIFICUM DIPLOMATA

QUOTQUOT

OLIM USQUE AD URBANUM PAPAM VI (AN. 1378)
IN VETEREM EPISCOPATUM TRAJECTENSEM DESTINATA

REPERIUNTUR

COLLEGIT ET AUSPICIIS SOCIETATIS HISTORICAE RHENO-TRAJECTINAE EDIDIT

GISBERTUS BROM
ULTRAJECTINUS, S. THEOL. DOCTOR.

Tomi Secundi Fasciculus II.

HAGA-COMITIS
MARTINUS NIJHOFF.
1893.

URBANUS V (1362—1370.)

1701—1705. *1362, Novembris 8, Avenionis.*

A. *Ghiselberto de Zile canonico ecclesiae Traj. confirmatur supplementum, quod olim in eadem ecclesia vacans per liberam resignationem Goswini de Meers Innocentius papa VI die 13 Aprilis an. 1362 ipsi contulerat.* 1)

B. *Officiali Tutellensi mandatur, ut Petro Rocho clerico Lemovicen. dioec., in legibus studenti, canonicatum conferat et praebendam ecclesiae S. Johannis Traj., de quibus olim per obitum Petri de Sanctomichaele vacantibus Innocentius papa VI die 29 Decembris an. 1360, literis tamen super hoc non confectis, eidem provideri fecerat.*

C. *Ottoni de Bramen confirmatur reservatio, ipsi ab Innocentio papa VI, literis tamen super hoc non confectis, die 1 Febr. an. 1361 facta de ecclesia parochiali S. Gertrudis Trajectensi, 15 marcarum argenti annuum habente valorem et vacatura, quamprimum Willermus de Zile supplementum in ecclesia Traj. obtinuerit.*

D. *Theoderico Polleyn confirmatur perpetua capellania in ecclesia parochiali b. Mariae partium Walachriae* 2) *prope Middelburch, quam olim cum Johanne de Callier pro vicaria ecclesiae S. Johannis Traj. permutandam putavit et Innocentius papa VI die 7 Maji an. 1362 oraculo vivae vocis ipsi contulerat.*

E. *Johanni de Callier similiter confirmatur perpetua vicaria ecclesiae S. Johannis Traj. — Pro singulis deputantur executores.*

Racioni congruit.... Dat. Avinione, VI Id. Novembris, anno primo.

Reg. Av. Urbani papae V, scilicet A *Tom.* 3, *f.* 86; B *f.* 587v; C *f.* 588; D *T.* 4, *f.* 11; E *f.* 12v.

1) Cfr. supra num. 1688. 2) Codex habet: Waloctrie.

1706. *1362, Novembris 19, Avenionis.*

Johanni Hobbonis intuitu Hugonis S. Mariae in Porticu diaconi Cardinalis, pro cantore suae capellae supplicantis, confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia S. Salvatoris Traj. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Dat. Avinione, XIII Kl. Decembris, anno primo.

Reg. Av. T. 2, *f.* 414.

1707. *1362, Novembris 19, Avenionis.*

Decano ecclesiae Traj. intuitu Petri S. Mariae Novae diaconi Cardinalis, pro clerico suo supplicantis, mandatur, ut Ottoni Johannis de Noerch 1) *clerico Traj. dioec. reservet beneficium sine cura conferendum a capitulo b. Mariae Traj. et 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens.*

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, XIII Kl. Decembris, anno primo.
Reg. Av. T. 5, *f.* 230v.

1) Norg in Drentia.

1708. *1362, Novembris 22, Avenionis.*

Richardo de Oye canonico praebendato ecclesiae S. Salvatoris Traj., in decretis licentiato, supplementum in eadem ecclesia reservatur. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, X Kl. Decembris, anno primo.
Reg. Av. T. 4, *f.* 414v.

1709. *1362, Novembris 26, Avenionis.*

Trasoni Ternorten clerico Traj. dioec., in medicina baccalaureo et in medicinae facultate actu legenti, reservatur beneficium conferendum a capitulo b. Mariae Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, VI Kl. Decembris, anno primo.
Reg. Av. T. 4, *f.* 264v.

1710—1711. *1362, Novembris 26, Avenionis.*

A. *Arnoldo de Colario clerico Traj. dioec., in artibus magistro et in medicina*, „in qua in studio Montispessulano Magalonensis diocesis, prout asseris, actu legis," *baccalaureo, reservatur simile beneficium conferendum a capitulo S. Johannis Traj.*

B. *Simoni dicto Pinghe de Beverwijc clerico Traj. dioec., in artibus magistro et Parisiis actu regenti, reservatur simile beneficium conferendum ab abbate et conventu Egmondensibus. — Pro utroque deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, VI Kl. Decembris, anno primo.
Reg. Av. T. 5, *f.* 49v *et f.* 127.

1712—1720. *1362, Novembris 27, Avenionis.*

A. *Theoderico de Oy magistro in artibus confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia S. Petri Traj. — Deputantur executores, inter quos Borro de Broechusen ac Henricus Vuustinc canonici Traj.*

B. *Alardo de Clotinge magistro in artibus confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia S. Salvatoris Traj. — Deputantur executores, inter quos Philippus de Groenevelt et Nicolaus de Patella canonici Traj.*

C. *Guillermo dicto Wyc de Dordraco magistro in artibus confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia S. Johannis Traj. — Deputantur executores, inter quos Henricus Uustinc et Gerardus Rode canonici Traj.*

D. *Johanni Houtman magistro in artibus*, „qui, ut asseris, in Parisiensi studio in artibus actu regis," *confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia Embricensi. — Deputantur executores iidem ac sub A.*

E. *Willelmo dicto Buzer magistro in artibus*, „qui, ut asseris, in studio Parisiensi in artibus actu regis", *confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia Traj.*

F. *Henrico Yde de Beest clerico Traj. dioec., magistro in artibus*, „qui, ut asseris, in Parisiensi studio in artibus actu regis et in medicina per duos annos et amplius studuisti," *reservatur beneficium conferendum a capitulo b. Mariae Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens.*

G. *Johanni Uterspyt clerico Traj. dioec., magistro in artibus*, „qui, ut asseris, in Parisiensi studio in artibus actu legis," *reservatur simile beneficium conferendum a capitulo S. Salvatoris Traj.*

H. *Petro Hollant clerico Traj. dioec., in artibus magistro et Parisiis actu regenti, reservatur simile beneficium conferendum a capitulo Arnhemensi.*

I. *Nicolao Elfonisfabri clerico Traj. dioec., in artibus magistro et in studio Parisiensi actu regenti, reservatur simile beneficium conferendum ab abbate et conventu Egmondensibus. — Pro singulis deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, V Kl. Decembris, anno primo.

Reg. Av. scilicet A *Tom.* 1, *f.* 284; B *f.* 296; C *Tom.* 2, *f.* 334v; D *f.* 340v; E *f.* 379v; F *Tom.* 4, *f.* 265v; G *f.* 279; H *Tom.* 5, *f.* 42; I *f.* 248v.

1721. *1362, Novembris 27, Avenionis.*

Gerardo Grote de Davantria magistro in artibus confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia b. Mariae Aquensi Leod. dioec. — Deputantur executores.

Litterarum sciencia.... Dat. Avinione, V Kl. Decembris, anno primo.

In e. m. .. dilectis filiis sancti Agricoli Avinionensis et .. Davantriensis Trajectensis diocesis ecclesiarum decanis ac officiali Leodiensi salutem *etc.*

Reg. Av. T. 1, *f.* 612.

1722—1724. *1362, Novembris 27, Avenionis.*

A. *Decano ecclesiae Traj. mandatur, ut Ghiselberto Wichen de Gorinchem perpetuo in ecclesia de Gorinchem vicario, in artibus magistro et in Parisiensi studio actu regenti, reservet beneficium conferendum a praeposito Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens.*

B. *Decano ecclesiae S. Mariae Traj. mandatur, ut Bertoldo de Ruwenhove canonico ecclesiae S. Salvatoris Traj., magistro in artibus et in Parisiensi studio actu in iisdem artibus regenti, supplementum in dicta ecclesia conferat.*

C. *Eidem decano mandatur, ut Nicolao de Patella clerico Traj. dioec., in artibus magistro, reservet beneficium conferendum ab abbate et conventu monasterii Middelburgensis Praemonstr. ordinis et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens.*

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, V Kl. Decembris, anno primo.

Reg. Av. scilicet A *Tom.* 4, *f.* 284; B *f.* 325; C *T.* 5, *f.* 57.

1725—1732. *1362, Novembris 28, Avenionis.*

A. *Jacobo nato quondam Willermi Popponis de Zierixee, clerico Traj. dioec., in jure canonico licentiato, reservatur simile beneficium conferendum a capitulo S. Johannis Traj. — Deputantur executores, inter quos Philippus de Groenevelt et Nicolaus de Patella canonici Traj.*

B. *Volkero dicto Yseren clerico Traj. dioec., in artibus magistro,* „qui etiam multis annis in medecina, ut asseritur, studuisti," *reservatur simile beneficium conferendum a capitulo S. Lebuini Daventriensis.*

C. *Johanni Proys dicto de Trajecto, clerico, in artibus magistro et in medicina studenti, reservatur simile beneficium conferendum ab abbate et conventu Egmondensibus.*

D. *Henrico Spiker de Arnhem, rectori parochialis ecclesiae de Marsen, in artibus magistro, reservatur beneficium similis valoris, spectans ad dispositionem episcopi Traj. — Pro singulis deputantur executores.*

E. *Officiali Trajectensi mandatur, ut Theoderico Nicolai Nellen clerico Traj. dioec., magistro in artibus,* „qui, ut asseritur, in eisdem artibus in Parisiensi studio actu regit," *in ecclesia S. Johannis Traj. canonicatum conferat et praebendam reservet.*

F. *Decano ecclesiae S. Mariae Traj. mandatur, ut Theoderico de Heswyc rectori capellae de Emedamme Traj. dioec., magistro in artibus ac in Parisiensi studio in iisdem artibus actu regenti, conferat canonicatum et reservet praebendam cum supplemento in ecclesia S. Petri Traj.* [1])

G. *(Johanni) episcopo Traj. mandatur, ut Ricoldo Smontriem de Haesten* [2]) *in artibus magistro et in Parisiensi studio actu regenti reservet beneficium conferendum a capitulo b. Mariae Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18*

marcarum argenti valorem annuum non excedens; quod autem Ricoldus cum assecutus fuerit, ecclesiam parochialem de Everdinghen, cujus nunc rector existit, omnino dimittat.

H. *Decano ecclesiae Traj. mandatur, ut Willermo dicto Loderpaep clerico Traj. dioec., in artibus magistro et in studio Parisiensi actu regenti, reservet simile beneficium conferendum a praeposito ecclesiae S. Salvatoris Traj.*

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, IIII Kl. Decembris, anno primo.

Reg. Av. scilicet A *Tom.* 1, *f.* 335; B *f.* 338; C *f.* 340v; D *f.* 342; E *f.* 558; F *Tom.* 2, *f.* 416; G *Tom.* 4, *f.* 381v; H *Tom.* 5, *f.* 306v.

1) Cfr. supra num. 1361. 2) Vel potius: de Haeften.

1733. *1362, Novembris 28, Avenionis.*

Johanni Wolteri de Arnheym rectori altaris S.S. Stephani et Laurentii siti in ecclesia S. Petri Traj., magistro in artibus, reservatur simile beneficium conferendum a capitulo ejusdem ecclesiae. — Deputantur executores.

Honestatis et scientie.... Dat. Avinione, IIII Decembris, anno primo.

Reg. Av. T. 4, *f.* 271.

1734. *1362, Novembris 28, Avenionis.*

Laurentio Symonis Uter Zouten in jure canonico baccalaureo reservatur simile beneficium conferendum a capitulo b. Mariae Traj.; quod autem cum assecutus fuerit, perpetuam capellaniam B. Mariae et B. Catharinae Virginum in Everswerde[1]*, quae 15 marcarum argenti annuum habet valorem, et medietatem parochialis ecclesiae de Wemeldinghen Traj. dioec., de qua 20 libras Turonensium parvorum annuatim valente adhuc in curia litigat, omnino dimittere tenebitur. — Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, IIII Kl. Decembris, anno primo.

In e. m. dilectis filiis Philippo de Groenvelt et Stephano de Everdinghen ac Nicolao de Patella canonicis ecclesie Trajectensis salutem *etc.*

Reg. Av. T. 5, *f.* 138.

1) Everswaard, quondam pagus in Zelandia.

1735. *1362, Novembris 29, Avenionis.*

Ulrico Giselberti de Dypenhem clerico Traj. dioec., magistro in artibus, „qui etiam, ut asseris, diu Parisiis in theologia studuisti," *reservatur simile beneficium conferendum a capitulo S. Johannis Traj. — Deputantur executores.*

Honestatis et scientie.... Dat. Avinione, III Kl. Decembris, anno primo.

Reg. Av. T. 4, f. 321.

1736. *1362, Novembris 29, Avenionis.*

Decano ecclesiae Traj. mandatur, ut Florentio de Alcmade perpetuo capellano in ecclesia de Warmonde, in artibus magistro et Parisiis actu regenti, reservet simile beneficium conferendum a capitulo B. Mariae Traj.

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, III Kl. Decembris, pontificatus nostri anno primo.

Reg. Av. T. 4, f. 411v.

1737. *1362, Decembris 25, Avenionis.*

Arnoldo de Hoerne[1] *canonico Traj. indulgetur, quod praeter alia beneficia adhuc dignitatem curatam obtinere valeat.*

Dilecto filio Arnoldo de Hoerne canonico Trajectensi, licenciato in artibus, salutem *etc.*

Nobilitas generis.... Hinc est, quod nos tuis supplicacionibus inclinati, tecum, qui, sicut asseris, scolaris in jure civili existis et defectum pateris in etate, cum in vicesimo tertio etatis tue anno constitutus existis, ut dignitatem curatam, etiam si dignitas ipsa in ecclesia cathedrali major post pontificalem existat et etiam si ad illam quis consueverit per electionem assumi, si tibi, qui in Coloniensi cum prebenda et in Trajectensi ecclesiis sub expectatione prebende ac supplementi canonicatus obtines, et cui nuper de canonicatu et prebenda majoris ac prepositura sancte Crucis Leodiensium ecclesiarum, qui tunc certo modo vacare sperabantur, mandavimus provideri, dignitas hujusmodi alias canonice conferatur vel ad eam assumi te contingat, libere recipere et licite retinere valeas defectu predicto .... nequaquam obstante, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus.... Dat. Avinione, VIII Kl. Januarii, anno primo.

Reg. Av. T. 6, f. 348; Reg. Vat. T. 261, f. 15v, cap. 23.

1) Qui fuit postea an. 1371—1378 episcopus Traj. et deinde usque ad an. 1389 episcopus Leodiensis.

1738. *1363, Januarii 16, Avenionis.*

Johanni de Tuil licentiato in legibus et in decretis baccalaureo confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia Traj. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, XVII Kl. Februarii, anno primo.
Reg. Av. T. 2, f. 449v.

1739. *1363, Januarii 23, Avenionis.*

(Johanni) episcopo Traj. mandatur, ut cum Alondo nato Petri Danielis et Maria nata Balduwini Mannee, nobilibus Traj. dioec. domicellis, „qui non ignorantes, quod quondam Jacobus dictus Boenaerts Zoen, dicte Marie maritus, dum viveret, predicto Alondo qùarto consanguinitatis gradu attinebat, ... matrimonium clandestine contraxerunt illudque per carnalem copulam consumarunt et prolem exinde procrearunt", *super hoc impedimento dispenset; praevie autem iisdem ad tempus separatis et ab excommunicationis sententia absolutis poenitentiam injungat salutarem et alterutri ipsorum superviventi imponat, quod innuptus debeat perpetuo remanere.*

Exhibita nobis.... Dat. Avinione, X Kl. Februarii, anno primo.
Regesta Vaticana T. 261, f. 22v, cap. 41.

1740. *1363, Februarii 2, Avenionis.*

Gerardo Borgrevinc clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto Traj. dioec. conceditur tabellionatus officium.

Ne contractuum.... Dat. Avinione, IIII Non. Februarii, anno primo.
Reg. Av. T. 6, f. 619.

1741. *1363, Februarii 6, Avenionis.*

Geraldo de Veno, qui in ecclesia b. Mariae Traj. auctoritate ordinaria in canonicum receptus est, reservatur praebenda ac personatus seu officium sine cura in eadem ecclesia; quod autem cum assecutus fuerit, canonicatum et praebendam ecclesiae S. Johannis Traj. et personatum sine cura parochialis ecclesiae in Groninghen [1]) *Traj. dioec., quae hactenus simul cum canonicatu et praebenda majoris Traj. ecclesiae et praepositura Arnhemensi obtinet, omnino dimittat. — Deputantur executores, inter quos Philippus de Gronevelt et Lubertus Bolle canonici Traj.*

Nobilitas generis.... Dat. Avinione, VIII Id. Februarii, anno primo.
Reg. Av. T. 2, f. 395v.

1) Codex habet: Grotwinghen.

1742. *1363, Februarii 7, Avenionis.*

Luberto Bolle magistro in artibus et in jure canonico scholari intuitu Johannis (de Arkel) episcopi Traj. pro domestico suo supplicantis confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia Traj.; quae autem cum assecutus fuerit, canonicatum et praebendam, quas in ecclesia Daventriensi obtinet, omnino dimittat. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, VII Id. Februarii, anno primo.

Reg. Av. T. 2, *f.* 364.

1743. *1363, Februarii 7, Avenionis.*

Reynero Modde intuitu Johannis (de Arkel) episcopi Traj. pro domestico suo familiari supplicantis confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia S. Salvatoris Traj.; quae autem cum assecutus fuerit, praebendam animarum nuncupatam in ecclesia Traj., canonicatum et praebendam Gheervlietenses et ecclesiam curatam in Zuubert [1]) *Traj. dioec., quas hactenus obtinet, omnino dimittat. — Deputantur executores.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, VII Id. Februarii, anno primo.

Reg. Av. T. 2, *f.* 364v.

1) Probabiliter: Zubburch vel West-Souburg in Walachria.

1744. *1363, Februarii 13, Avenionis.*

Petro de Calstris in jure canonico licentiato confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia Traj. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, Id. Februarii, anno primo.

Reg. Av. T. 2, *f.* 95v.

1745. *1363, Februarii 17, Avenionis.*

Gerardus de Veno praepositus Arnhemensis de novo constituitur collector fructuum Camerae Apostolicae debitorum in civitate et dioec. Traj.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Gerardo de Veno preposito Arnhemensi, apostolice sedis nuncio, salutem et apostolicam benedictionem.

De illorum probitate.... Igitur cum tu, qui in civitate et diocesi Trajectensibus fructuum camere apostolice debitorum collector hactenus auctoritate apostolica extitisti, in hujusmodi collectorie offitio te laudabiliter gesseris et

prudenter, nos gerentes propterea de tue fidelitatis et circumspectionis industria fiduciam in Domino specialem et sperantes, quod ea, que tibi decetero per sedem committentur eandem, diligentius et laudabilius exequeris, te in eisdem civitate et diocesi Trajectensibus dicte sedis nuntium et collectorem apostolicum usque ad nostrum beneplacitum auctoritate apostolica constituimus, facimus et ordinamus, tibi per te vel alium seu alios fide et facultatibus ydoneos petendi, exigendi et recipiendi nostro et ipsius camere et ecclesie Romane nomine omnia et singula res et bona nobis et ecclesie Romane ac camere apostolice prefate in eisdem civitate et diocesi Trajectensibus quacunque racione vel causa debita et debenda inantea vel ad nos seu ad eas nunc et inposterum pertinencia, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, et, si necesse fuerit, super eis componendi, transigendi et paciscendi necnon contradictores quoslibet et rebelles, cujuscunque status, gradus, ordinis, condicionis vel preeminencie fuerint, etiam si pontificali vel quavis alia ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi necnon de receptis quitandi et absolvendi, non obstantibus constitucionibus contrariis quibuscunque .... auctoritate predicta facultatem concedimus. Sic igitur in premissis diligentem sollicite et fideliter te habeas, quod apud nos merito commendari valeas nostramque et dicte sedis benedictionem uberius consequi merearis. Dat. Avinione, XIII Kl. Martii, pontificatus nostri anno primo.

Duplum apographum in instrumento publico, d.d. 16 *Octobris an.* 1366, *quo Gerardus de Veno Johannem de Bosinchem suum constituit subcollectorem; similiter in instrumento publico, d.d.* 13 *Decembris ejusdem anni, quo Johannes de Bosinchem curatus Veteris Ecclesiae Duvelandiae, perpetuus in ecclesia Traj. vicarius, declarat, a decano et capitulo ecclesiae Traj. occasione fructuum praebendarum et supplementorum Ghiselberti Koc et Ghiselberti de Zile ejusdem ecclesiae canonicorum pro camera apostolica se recepisse* 89 *libras et* 13 *solidos parvorum. Arch. prov. Ultraj. D.* 556 *et* 563, *in chartis membraneis.*

1746. *1363, Februarii 26, Avenionis.*

Officiali Trajectensi intuitu Johannis (de Arkel) episcopi pro capellano suo supplicantis mandatur, ut Johanni de Steyne canonico praebendato ecclesiae Traj. de supplemento in eadem ecclesia provideri faciat.

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, IIII Kl. Marcii, anno primo.

Reg. Av. T. 4, *f.* 355*a*.

1747. *1363, Aprilis 20, Avenionis.*

Arnoldo de Davantria conferuntur perpetuae capellaniae in ecclesia parochiali Arnhemensi et in Gasperde [1]) *Traj. dioec., quas cum Wesselo Tanke pro parochiali ecclesia in Gasperde putavit permutandas. — Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, XII Kl. Maji, anno primo.
Reg. Av. T. 3, *f.* 218ᵛ.

1) Gasparden, cujus nominis olim oppidulum (Hagestein) exstabat prope Vianam.

1748. *1363, Aprilis 20, Avenionis.*

Wesselo Tanke confertur parochialis ecclesia in Gasperde Traj. dioec. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Non obstantibus .... quod quandam perpetuam capellaniam in ecclesia Gervlietensi dicte diocesis nosceris obtinere.... Dat. Avinione, XII Kl. Maji, anno primo.
Reg. Av. T. 3, *f.* 256.

1749. *1363, Aprilis 27, Avenionis.*

Petro de Velde licentiato in decretis confertur canonicatus et reservantur praebenda cum supplemento necnon dignitas, personatus seu officium in ecclesia Traj.; quae autem cum assecutus fuerit, parochialem ecclesiam de Vorhout Traj. dioec. dimittat. — Deputantur executores, inter quos Theodericus de Jutfaes canonicus Traj.

Litterarum scientia.... Non obstantibus .... quod in ecclesia beate Marie Trajectensi canonicatum et prebendam et parrochialem ecclesiam de Vorhout Trajectensis diocesis nosceris obtinere.... Dat. Avinione, V Kl. Maji, anno primo.
Reg. Av. T. 1, *f.* 71.

1750. *1363, Aprilis 28, Avenionis.*

Henrico dicto Stregol clerico Traj. dioec. conferenda reservantur canonicatus et praebenda, quae in ecclesia S. Lebuini Daventriensi Lubertus Bolle adhuc obtinet. — Deputantur executores.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, IIII Kl. Maji, anno primo.
Reg. Av. T. 3, *f.* 414ᵛ.

1751. *1363, Aprilis 28, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Baldewino de Dalen, nato quondam Nicolai dicti Gruter, presbytero, canonico ecclesiae Traj., in jure canonico baccalaureo, de supplemento in eadem ecclesia post obitum Petri Balbeti diutius vacante provideri faciant.

Dilectis filiis abbati monasterii in Dickeninghe [1]) Trajectensis diocesis et sancti Agricoli Avinionensis ac sancti Mauricii extra muros Monasteriensis ecclesiarum decanis salutem *etc.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, IIII Kl. Maji, anno primo.

Reg. Av. T. 4, *f.* 39v.

1) Dikninge in Drentia.

1752. *1363, Aprilis 28, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Johanni dicto Sconekerl clerico Traj. dioec. de perpetua vicaria, semipraebenda nuncupata, in ecclesia S. Mariae Traj. post obitum Gerardi Hollandar diutius vacante provideri faciant.

Dilectis filiis sancti Agricoli Avinionensis et sancti Martini Monasteriensis decanis et thesaurario sancti Johanni Trajectensis ecelesiarum salutem *etc.*

Exigentibus probitatis.... Dat. Avinione, IIII Kl. Maji, anno primo.

Reg. Av. T. 4, *f.* 85v.

1753. *1363, Aprilis 29, Avenionis.*

Johanni de Nuenar in ecclesia B. Mariae Traj. scholastico et canonico praebendato reservatur officium sine cura in eadem ecclesia conferendum ab episcopo Traj. — Deputantur executores.

Nobilitas generis.... Non obstantibus .... quod in Davantriensi Trajectensis diocesis canonicatum et prebendam cum supplemento .... nosceris obtinere.... Dat. Avinione, III Kl. Maji, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 163.

1754. *1363, Maji 9, Avenionis.*

Reynaldo de Tricht perpetuo capellano in ecclesia de Overmalsen Traj. dioec. reservatur beneficium conferendum a capitulo Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Laudabile testimonium.... Dat. Avinione, VII Id. Maji, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 297v.

1755. *1363, Maji 14, Avenionis.*

Hugoni Bloc militi Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, II Id. Maji, anno primo.
Reg. Av. T. 6, *f.* 645.

1756. *1363, Maji 22, Avenionis.*

Johanni (de Arkel) episcopo Traj. datur facultas, in cathedrali sua et in duabus suae dioec. collegiatis ecclesiis de duobus canonicatibus totidem personis idoneis providendi iisdemque praebendam et supplementum reservandi.

Venerabili fratri Johanni episcopo Trajectensi salutem *etc.*

Personam tuam tuis exigentibus meritis sincera benivolencia prosequentes, illam tibi libenter graciam impertimur, per quam te valeas aliis reddere graciosum. Tuis itaque supplicacionibus inclinati, fraternitati tue providendi hac vice auctoritate nostra in tua cathedrali duabus et in duabus collegiatis tuarum civitatis vel diocesis ecclesiis, quas duxeris eligendas, aliis duabus personis ydoneis, eciam si quelibet dictarum personarum unum vel duo beneficia ecclesiastica obtineant, ac eciam si ipsi uni beneficio vel alteri dictorum duorum cura immineat animarum, quas ad hoc eciam duxeriis eligendas, dummodo persone ipse sint in theologia vel in jure canonico aut civili perite, singulis videlicet personarum ipsarum de singulis canonicatibus earundem ecclesiarum cum plenitudine juris canonici ac faciendi personas ipsas vel earum procuratores ipsarum nomine in eisdem ecclesiis in canonicos recipi et in fratres, stallo eis in choro et loco in capitulo ipsarum ecclesiarum cum dicti juris canonici plenitudine assignatis, reservandi quoque donacioni tue eadem auctoritate in tua duas et in collegiatis ecclesiis predictis duas alias prebendas et in ipsis totidem supplementa, que quidem supplementa dignitates, personatus aut officia non existant, si que aut si qua in eisdem ecclesiis, cum vacabunt vel cum simul aut successive vacaverint, que prebendas et supplementa singule persone predicte in ipsis ecclesiis, in quibus eis duxeris de canonicatu providendum, per se vel per procuratores suos ad hoc legitime constitutos infra unius mensis spacium, postquam personis vel procuratoribus predictis de dictarum prebendarum et supplementorum ipsorum vacacione constitit, acceptandas et acceptanda duxerint, conferendas et conferenda, singulis videlicet earum et singula eorum singulis personis eisdem post acceptationem eandem donacioni tue reservandi, inhibendi quoque episcopis Trajectensibus successoribus tuis, qui erunt pro tempore, et dilectis filiis capitulis ipsarum ecclesiarum ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in eisdem ecclesiis prebendarum et supplementorum collacio et provisio, presentacio vel quevis alia disposicio communiter vel divisim pertinet, ne de prebendis et supplementis ipsis interim eciam ante acceptacionem hujusmodi, nisi postquam (constiterit), quod persone predicte vel procuratores earum illas et illa noluerint acceptare, disponere quoquo modo presumant; et insuper conferendi prebendas et supplementa prebende, si tempore dicte reservacionis vacabunt aut cum illas vel illa simul vel successive vacare contigerit, videlicet singulas earum et singula eorum cum omnibus juribus et pertinenciis suis singulis dictarum personarum post acceptationem hujusmodi et providendi de illis

ac inducendi per te vel alium seu alios personas ipsas vel dictos procuratores earum nomine in corporalem possessionem prebendarum ac supplementorum, fructuum, reddituum, proventuum juris et obventionis universorum, contradictores quoque auctoritate apostolica compescendi; non obstantibus de certo canonicorum numero et quibuscunque aliis ipsarum ecclesiarum statutis et consuetudinibus contrariis, juramento, confirmacione apostolica vel quacunque firmitudine alia roboratis; aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant; seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis ac supplementis hujusmodi in eadem ecclesia speciales vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibicionem, reservacionem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra in ecclesia ipsa receptis vel prebendas et supplementa expectantibus in eisdem personas ipsas in assecucione canonicatuum et prebendarum ac supplementorum dictarum ecclesiarum et beneficiorum aliorum volumus prejudicium generari; seu si predictis successoribus vel quibusvis aliis comuniter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, vel quod de canonicatibus et prebendis ac supplementis vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem, provisionem, presentacionem seu quamvis aliam disposicionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mencionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi nostre gracie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis; aut si predicte persone presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus earundem ecclesiarum solitum juramentum, dummodo in absencia sua per procuratores ydoneos et, cum ad ecclesias ipsas accesserint, corporaliter prestent, plenam et liberam tenore presencium concedimus facultatem. Et insuper irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Dat. Avinione, XI Kl. Junii, anno primo.

Reg. Av. T. 6, *f.* 526v.

1757. *1363, Junii 10, Avenionis.*

Officiali Trajectensi mandatur, ut Henrico dicto Borre nato Johannis „de Broicuisen"[1] *nobilis militis, canonico ecclesiae Traj., supplementum in eadem ecclesia reservet.*

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, IIII Id. Junii, anno primo.

Reg. Av. T. 1, *f.* 523.

1) Legas: de Broechusen.

1758. *1363, Junii 10, Avenionis.*

Petro de Velde conferuntur praepositura et archidiaconatus, canonicatus et praebenda in ecclesia S. Johannis Traj. per obitum Henrici de Reno[1]) *vacantes et die 1 Junii proxime elapso donationi sedis apostolicae reservatae; quas tamen cum assecutus fuerit, canonicatum et praebendam ecclesiae b. Mariae Traj. ecclesiamque parochialem de Voerhout omnino dimittat et priores literae (supra num. 1749) quoad dignitatem, personatum seu officium nullius existant roboris. — Deputantur executores, inter quos Theodericus de Jutfaes canonicus Traj.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, IIII Id. Junii, anno primo.

Reg. Av. T. 3, *f.* 356v.

1) Codex habet: de Rono.

1759. *1363, Julii 3, Avenionis.*

Mariae ducissae Gelriae conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, V Non. Julii, anno primo.

Reg. Av. T. 6, *f.* 645v.

1760. *1363, Julii 9, Avenionis.*

Praeposito ecclesiae S. Johannis Traj. mandatur, ut Theoderico de Hasselt de Campis canonico ejusdem ecclesiae, magistro in artibus, in ecclesia Monasteriensi canonicatum et praebendam reservet.

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, VII Id. Julii, anno primo.

Reg. Av. T. 2, *f.* 485v.

1761. *1363, Julii 31, Avenionis.*

Jacobo de Velde confertur parochialis ecclesia de Voerhout, vacans ex eo quod Petrus de Velde praeposituram etc. in ecclesia S. Johannis assecutus est. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Dat. Avinione, II Kl. Augusti, anno primo.

Reg. Av. T. 3, *f.* 523.

1762. *1363, Augusti 8, Avenionis.*

Bertrando episcopo Convenarum mandatur, ut Johanni Goetschalci de Amersfordia, clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto Traj. dioec., tabellionatus officium conferat.

Ne contractuum.... Dat. Avinione, VI Id. Augusti, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 422v.

1763. *1363, Augusti 31, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Johanni de Eltevil praeposito ecclesiae S. Mariae Traj., baccalaureo in decretis, conferant canonicatum et praebendam in eadem ecclesia per obitum Tydemanni de Maorsen [1]) *vacantes.*

Dilectis filiis .. sancti Felicis de Caramanno et .. Xanctensis Tholosane et Coloniensis diocesium ac .. sancti Petri Avinionensis ecclesiarum decanis salutem *etc.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, II Kl. Septembris, anno primo.

Reg. Av. T. 2, *f.* 297v.

1) Maarsen.

1764. *1363, Septembris 28, Avenionis.*

Johanni nato Johannis de Ameronghen clerico Trajectensi, „qui, ut asseritur, subcollector fructuum camere apostolice debitorum in eisdem civitate et diocesi existens .... in artibus provectus et in jure canonico scolaris existit", *reservatur beneficium ipsius merito competens, conferendum a capitulo S. Salvatoris Traj.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, IIII Kl. Octobris, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 639.

1765. *1363, Octobris 6, Avenionis.*

Pro Nicolao episcopo Tusculano ad tuenda jura et bona, quae ratione praepositurae Daventriensis ipsi competunt, infrascripti ad quinquennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis Trajectensis et sanctorum Apostolorum Coloniensis ac sancte Crucis Leodiensis ecclesiarum decanis salutem et apostolicam benedictionem.

Ad regendum universalis.... Dat. Avinione, II Non. Octobris, pontificatus nostri anno primo.

Reg. Av. T. 6, *f.* 275.

1766. *1363(?), Octobris 21, Avenionis.*

Archiepiscopo Coloniensi ejusque suffraganeis scribitur super decimis fructuum unius anni ecclesiasticorum beneficiorum, quae in partibus Alamanniae et Boëmiae fuerunt reservatae.

Ecclesiarum omnium.... Dat. Avinione, XII Kl. Novembris, pontificatus nostri anno primo *(sic).*

Reg. Av. T. 15, *f.* 526. In e. m. ac aliis dictarum partium praesulibus. Cum tomus laudatus nonnisi literas anni quinti contineat, haec bulla potius ad an. 1367 referenda videtur.

1767. *1363, Octobris 24, Avenionis.*

Hugoni Uustinc canonico Traj., in utroque jure jam a decem annis licentiato, intuitu Johannis (de Arkel) episcopi Traj., pro dilecto capellano, familiari domestico, continuo commensali suo supplicantis, reservatur dignitas cum vel sine cura, personatus seu officium in ecclesia Traj.; quod autem cum assecutus fuerit, parochialem ecclesiam in Lopic et praeposituram ecclesiae Montisodiliae[1] *Leod. dioec., super qua in palatio apostolica litigat, dimittere tenebitur. — Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, VIIII Kl. Novembris, anno primo.

Reg. Av. T. 2, *f.* 138v.

1) Sint-Odiliënberg.

1768. *1363, Novembris 18, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Huberto de Herwinen clerico Traj. dioec., in artibus magistro et in medicina baccalaureo, conferant medietatem parochialis ecclesiae in Hemsteden, cujus fructus 120 florenorum auri valorem annuum non excedunt; ipsa enim medietas, licet nunc a Godefrido de Homert[1] *presbytero ejusdem dioec. indebite occupetur, ex eo vacare noscitur, quod Walterus de Dilbeke ultimus rector infra tempus legitimum se ad presbyteratus ordinem promoveri non fecerit.*

Dilectis filiis majoris et sancte Marie Trajectensis decanis et Stephano de Everdinghen canonico ejusdem majoris ecclesiarum salutem *etc.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, XIIII Kl. Decembris, anno secundo.

Reg. Av. T. 8, *f.* 512.

1) Legendum videtur: de Hemert.

1769. *1363, Decembris 9, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Petro dicto Hollant clerico Traj. dioec., magistro in artibus, qui Parisiis in artium facultate legit et in sacra theologia studet, provideri faciant de perpetua capellania in ecclesia parochiali Dordracensi post obitum Johannis Oom diutius vacante et 22 florenos auri annuatim valente.

Dilectis filiis .. preposito majoris et decano sancti Agricoli Avinionensis ecclesiarum ac officiali Trajectensi salutem et apostolicam benedictionem.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, V Id. Decembris, anno secundo.

Reg. Av. T. 8, *f.* 498.

1770—1771. *1363, Decembris 18, Avenionis.*

A. *Henrico dicto de Lonnam laico Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

B. *Oliverio domino loci* „de Henenghe" *militi et Mariae ejus uxori Traj. dioec. idem privilegium.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, XV Kl. Januarii, anno secundo.

Reg. Av. T. 7, *f.* 475.

1772. *1364, Januarii 26, Avenionis.*

(Petro Hoec) abbati Middelburgensi mandatur, ut quae de bonis ecclesiae Traj. alienata illicite invenerit vel distracta, ad jus et proprietatem ipsius legitime revocare curet.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio .. abbati monasterii Middelburgensis Trajectensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem.

Ad audientiam nostram pervenit, quod tam dilecti filii .. decanus et capitulum ecclesie Trajectensis quam predecessores eorum decimas, terras, domos, ortos *(sic)*, prata, pascua, piscarias, aqueductas, grangias, nemora, molendina, silvas, redditus, census, penciones *(sic)* annuas, jura, jurisdictiones et quedam alia bona ipsius ecclesie, datis super hoc litteris, confectis exinde publicis instrumentis, interpositis juramentis, factis renunciacionibus et penis adjectis, in gravem ipsius ecclesie lesionem nonnullis clericis et laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus et aliis perpetuo ad firmam vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui dicuntur super hiis confirmacionis litteras in communi forma a sede apostolica impetrasse. Quia vero nostra est (intentio?), super hoc de oportuno remedio providere, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ea, que de bonis ipsius ecclesie per

concessiones hujusmodi alienata inveneris illicite vel distracta, non obstantibus litteris, instrumentis, juramentis, renunciacionibus, penis et confirmacionibus prescriptis, ad jus et proprietatem ejusdem ecclesie legitime revocare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Dat. Avinione, VII Kl. Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Apographum coaevum in arch. prov. Ultraj. D. 560, *insertum exemplari authentico literarum, quibus abbas Middelburgensis thesaurario ecclesiae S. Salvatoris Traj. et personae personatus Quatuor Officiorum in Flandria suas in hac causa vices subdelegat, d.d.* 4 *Novembris an.* 1364; — *in charta membranea.*

1773. *1364, Februarii 10, Avenionis.*

Pro ecclesia monasterii Claricampi ad decennium conceditur indulgentia unius anni et 40 dierum certis diebus festivis lucranda.

Universis Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem *etc.*

Splendor paterne glorie.... Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii Claricampi Cisterciensis ordinis Trajectensis diocesis, in qua, sicut asseritur, de ligno crucis vivifice non modica pars ac eciam nonnulle reliquie beate Marie Magdalene existunt, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libencius causa devocionis confluant ad eandem, quo ibidem uberius dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis Domini nostri Jhesu Christi, Pentecostes ac Nativitatis, Annunciacionis, Purificacionis et Assumpcionis beate Marie Virginis et Nativitatis beati Johannis Baptiste, dictorum apostolorum Petri et Pauli, dicte ecclesie Dedicacionis festivitatibus ac celebritate Omnium Sanctorum, et per ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Domini necnon ipsius beate Marie Virginis Nativitatis et Assumpcionis ac Nativitatis dictorum beati Johannis et apostolorum Petri et Pauli festivitatum octabas *(sic)* et per sex dies dictum festum Pentecosthen immediate sequentes prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, singulis videlicet festivitatum celebritatis et octavarum ipsarum et sex dierum predictorum diebus, quibus predictam ecclesiam visitaverint, ut prefertur, unum annum et quadraginta dies de injunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Presentibus post decennium minime valituris. Dat. Avinione, IIII Id. Februarii, anno secundo.

Reg. Av. T. 7, *f.* 525.

1774. *1364, Februarii 29, Avenionis.*

Petro de Smaleghanghe presbytero, perpetuo capellano altaris S. Nicolai in parochiali ecclesia de Cloetinghen, magistro in artibus et in decretis studenti, reservatur beneficium conferendum ab episcopo et capitulo Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, II Kl. Martii, anno secundo.
Reg. Av. T. 9, *f.* 532r

1775. *1364, Martii 25, Avenionis.*

Thiderico Vresen confertur canonicatus et reservantur praebenda et supplementum, necnon dignitas, personatus seu officium in ecclesia Traj. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Dat. Avinione, VIII Kl. Aprilis, anno secundo.
Reg. Av. T. 9, *f.* 355.

1776. *1364, Martii 31, Avenionis.*

Pro priore et fratribus Eremitarum S. Augustini loci de Durdraco Traj. dioec. super observatione decretalis Bonifacii papae VIII, quae incipit: Super cathedram, infrascripti deputantur conservatores.

Venerabili fratri .. episcopo Tornacensi et dilectis filiis .. sancti Bavonis juxta Gandavum ac de Oesbroec Tornacensis et Trajectensis diocesium monasteriorum abbatibus salutem *etc.*

Frequentes hactenus.... Dat. Avinione, II Kl. Aprilis, anno secundo.
Reg. Av. T. 9, *f.* 598.

1777. *1364, Aprilis 8, Avenionis.*

Wilhelmo dicto de Hamersteyn confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia Traj. — Deputantur executores.

Attributa tibi.... Dat. Avinione, VI Id. Aprilis, anno secundo.
Reg. Av. T. 9, *f.* 385.

1778. *1364, Aprilis 15, Avenionis.*

Johannes (de Arkel) episcopus Traj. transfertur ad ecclesiam Leodiensem. — Cujus nominationis diversi, quorum interest, certiores redduntur et de obedientia, reverentia, favore eidem Johanni praestandis admonentur.

Venerabili fratri Johanni episcopo Leodiensi salutem *etc.*

Romani pontificis, quem pastor ille celestis et episcopus animarum potestatis sibi plenitudine tradita ecclesiis pretulit universis, plena vigiliis solicitudo requirit, ut circa cujuslibet statum ecclesie sic vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter, quod per ejus providenciam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium, nunc vero per ministerium translacionis accomode, prout personarum et locorum ac temporum qualitas exigit et ipsarum ecclesiarum utilitas persuadet, ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus et rector providus deputetur, qui populum sibi commissum per suam circumspectionem providam et providenciam circumspectam salubriter dirigat et informet ac bona ecclesie sibi commisse non solum gubernet utiliter sed eciam multimodis efferat incrementis. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum cathedralium extunc imposterum vacaturarum per translationes de prelatis earum ubilibet constitutis per nos faciendas ad alias ecclesias cathedrales tunc vacantes et in antea vacaturas ordinationi et dispositioni nostre duximus reservandas, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia Leodiensis ex eo pastoris solacio destituta, quod nos hodie venerabilem fratrem nostrum Engelbertum episcopum olim Leodiensem in archiepiscopum Coloniensem electum, licet absentem, a vinculo, quo eidem Leodiensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Coloniensem tunc vacantem duximus transferendum, preficiendo eum eidem ecclesie Coloniensi in archiepiscopum et pastorem, nos ad provisionem ipsius ecclesie Leodiensis celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa Leodiensis ecclesia diuturne vacationis subjaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie Leodiensi personam utilem et eciam fructuosam habuimus cum dictis fratribus diligentem, demum ad te, tunc episcopum Trajectensem, consideratis multiplicium virtutum meritis, quibus personam tuam, prout fidedignorum percepimus testimonio, Altissimus insignivit, quodque tu, qui regimini ecclesie Trajectensis hactenus laudabiliter prefuisti, prefatam Leodiensem ecclesiam scies et poteris auctore Domino salubriter gubernare, direximus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam dicte ecclesie Leodiensi quam ejus gregi dominico salubriter providere, te a vinculo, quo dicte ecclesie Trajectensi, cui tunc preeras, tenebaris, de ipsorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad prefatam ecclesiam Leodiensem transferimus teque illi preficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Leodiensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo liberamque tibi tribuendo licenciam ad eandem ecclesiam transferendi, firma spe fiduciaque conceptis, quod per tuos actus et opera, illius clemencia dirigente, a quo universorum carismatum dona proveniunt, prelibata ecclesia Leodiensis in spiritualibus et temporalibus multiplicibus proficiet incrementis. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad prefatam Leodiensem ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedens, curam et administrationem predictas sic diligenter geras et solicite prosequaris, quod eadem Leodiensis ecclesia gubernatori provido et administratori

circumspecto gaudeat se commissam ac bone fame tue odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur, tuque provide preter eterne retributionis premium nostre et dicte sedis benedictionis augmentum uberius consequi merearis. Dat. Avinione, XVII Kl. Maji, anno secundo.

In e. m. dilectis filiis capitulo ecclesie Leodiensis salutem *etc.*

In e. m. dilectis filiis universis vassallis ecclesie Leodiensis salutem *etc.*

In e. m. dilectis filiis clero civitatis et diocesis Leodiensium salutem *etc.*

In e. m. dilectis filiis populo civitatis et diocesis Leodiensium salutem *etc.*

In e. m. dilecto filio Engilberto *(sic)* electo Coloniensi salutem *etc.*

In e. m. carissimo in Christo filio Carolo Romanorum imperatori semper augusto et Boemiae regi salutem *etc.*

Reg. Av. T. 7, *f.* 111v.

1779. *1364, Aprilis 24, Avenionis.*

Johannes (de Virneburch) a Monasteriensi ecclesia ad ecclesiam Trajectensem transfertur, cui praeficitur in episcopum et pastorem. — Cujus nominationis diversi, quorum interest, certiores redduntur et de obedientia, auxilio, favore eidem Johanni praestandis admonentur.

Venerabili fratri Johanni episcopo Trajectensi salutem *etc.*

Providencia regis eterni.... Dat. Avinione, VIII Kl. Maji, anno secundo.

In e. m. dilectis filiis capitulo ecclesie Trajectensis salutem *etc.*

In e. m. dilectis filiis clero civitatis et diocesis Trajectensium salutem *etc.*

In e. m. dilectis filiis populo civitatis et diocesis Trajectensium salutem *etc.*

In e. m. dilectis filiis universis vassallis ecclesie Trajectensis salutem *etc.*

In e. m. venerabili fratri .. archiepiscopo Coloniensi salutem *etc.*

In e. m. carissimo in Christo filio Carolo imperatori Romanorum semper augusto salutem *etc.*

Reg. Av. T. 8, *f.* 153v. *Bullarum, quae ad episcopum, capitulum, clerum Traj. directae sunt, apographa in arch. prov. Ultraj. J.* 129, *inserta instrumento d.d.* 30 *Julii an.* 1364, — *in charta membranea.*

Matthaeus Analecta V. 369 duas priores bullas integre exhibet. Corrigenda habet p. 369 lin. 18 pro: et vinculo, legatur: a vinculo; lin. 40 pro: et quidem, legatur: et quod; lin. 42 pro: potoris, legatur: poteris.

1780. *1364, Maji 4, Avenionis.*

Gerardo de Veno ecclesiae Traj. canonico praebendato, praeposito Arnhemensi et fructuum Camerae Apostolicae debitorum in civitate et dioecesi Traj. collectori, conceditur, quod vigore literarum sedis apostolicae [1]*), per quas dudum in ecclesia b. Mariae Traj. ipsi praebenda et personatus seu officium sine cura reservatum fuerat, praebendam etc. hujusmodi licite acceptare valeat.*

Vite ac morum.... Dat. Avinione, IIII Non. Maji, anno secundo.

Reg. Av. T. 7, *f.* 552.

1) Cfr. supra num. 1741.

1781. *1364, Maji 4, Avenionis.*

Luberto Bolle canonico ecclesiae Traj. reservatur dignitas, personatus seu officium in eadem ecclesia; quod autem cum assecutus fuerit, canonicatum et praebendam in Daventriensi ecclesia dimittat. — Deputantur executores.

Litterarum sciencia.... Dat. Avinione, IIII Non. Maji, anno secundo.

Reg. Av. T. 9, *f.* 366.

1782. *1364, Maji 26, Avenionis.*

Machario Nyelman confertur parochialis ecclesia de Woerden Traj. dioec., quam cum Guidone episcopo Portuensi pro ecclesia parochiali de Barbi Remensis dioec. putavit permutandam. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, VII Kl. Junii, anno secundo.

Reg. Av. T. 8, *f.* 532.

1783. *1364, Julii 4, Avenionis.*

Gherardo dicto Witte conferuntur canonicatus, praebenda et thesauraria ecclesiae b. Mariae Traj., quas cum Johanne de Iselsteine pro canonicatu, praebenda et supplemento ecclesiae S. Lebuini Daventriensis putavit permutandas. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, IIII Non. Julii, anno secundo.

Reg. Av. T. 8, *f.* 239.

1784. *1364, Augusti 7, Avenionis.*

Johanni Wilde de Dotinchem clerico Traj. dioec. conceditur, quod reservatio, a domino Papa die 30 Nov. an. 1362 ipsi facta de beneficio sine cura conferendo a capitulo b. Mariae Traj., a die literarum ipsarum omnino valeant, non obstante, quod eodem die Thiderico Henrici dicto Bomne clerico Traj. dioec. super gratia simili literae fuerint directae.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, VII Id. Augusti, anno secundo.

Reg. Av. T. 7, *f.* 627.

1785. *1364, Septembris 2, Avenionis.*

Petro de Lewenberch baccalaureo in decretis confirmantur collatio de canonicatu et reservatio de praebenda et supplemento ecclesiae Traj., jam die 22 Octobris an. 1363 apostolica auctoritate ipsi factae. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Non obstantibus .... quod parrochialem ecclesiam de Ryechem [1]) Trajectensis diocesis et quoddam altare situm in ecclesia sancti Johannis Trajectensis canonice te asserebas obtinere et quod defectum patiebaris natalium, de soluto genitus et soluta, super quo tecum .... duximus dispensandum.... Dat. Avinione, IIII Non. Septembris, anno secundo.

Reg. Av. T. 8, *f.* 283v.

1) Riethem in Zelandia.

1786. *1364, Octobris 8, Avenionis.*

Petrus episcopus Cameracensis deputatur apostolicae sedis nuncius, ut inter Albertum de Bavaria gubernatorem comitatuum Hannoniae et Hollandiae [1]) *ac nonnullos Cameracensis dioec. nobiles pacem reformet vel saltem treugas aliquas indicat.*

Singulari desiderio.... Dat. Avinione, VIII Id. Octobris, anno secundo.

Reg. Vat. T. 246, *f.* 363r.

1) Codex habet: Hollendie.

1787. *1364, Octobris 8, Avenionis.*

Albertus de Bavaria rogatur, ut Petrum episcopum Cameracensem tamquam apostolicae sedis nuncium ad reformandam pacem benigne recipiat ejusque monitis acquiescat.

Dilecto filio nobili viro Alberto de Bavaria gubernatori comitatuum Hannonie, Hollandie et Zelandie salutem *etc.*

Ex paterne compassionis affectu admodum dolenter audivimus, quod inter te ex una parte ac dilectos filios nobiles viros Johannem comitem Licii et Guidonem ac Engelbertum de Angia fratres ex altera, inimico humani generis procurante, discordia ac guerrarum concitatio est exorta. Nos itaque, qui ex debito officii pastoralis astringimur inter cunctos Christi fideles pacem omni tempore querere ac revocare ad concordiam discordantes, illos presertim, qui nobilitate ac potentia sunt insignes et ex quorum discordiis majora possunt in Christiano populo pericula provenire, nobilitatem tuam monemus, requirimus et hortamur in Domino ac tibi tue salutis obtentu propensius suademus, quatinus provida meditatione considerans, quantum rex pacificus ex dissensionibus et odiis fidelium suorum offenditur, quodque ex eis gravia, proth *(sic)* dolor,

animarum pericula, que et quante corporum strages, queve rerum dispendia atque alia multa non facile numeranda discrimina subsequuntur, sincera mente et prompto animo ad reformandam pacem et concordiam cum prefatis nobilibus te disponas. Cujus rei causa venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum Cameracensem apostolice sedis nuncium ad presentiam tuam et dictorum nobilium pro hujusmodi pacis procurando negotio sub spe divini auxilii providimus destinandum. Ideoque nobilitatem tuam rogamus attente, quatinus eundem nuncium pro divina et nostra ac apostolice sedis reverencia benigne recipias ac nostris per eum tibi referendis exhortationibus et monitis acquiescas humiliter et devote ac hiis, que tibi ex parte nostra retulerit in premissis, adhibeas plenam fidem. Dat. *ut supra.*

Reg. Vat. T. 246, *f.* 365.

Sequitur epistola ejusdem tenoris ad Johannem comitem Licii (Licey) et Guidonem ac Engelbertum de Angia (Enghien) fratres. Aliae literae pro hoc negotio promovendo ad diversos ipsarum partium principes et praesules diriguntur.

1788—1795. *(1363, a die Nov. 6 usque ad diem Nov. 5 an. 1364).*

A. Volkero dicto Yseren fit gratia de aliquo supplemento in ecclesia sancti Lebuini Daventriensis diocesis Trajectensis.

B. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis ecclesiam sancti Nicolai in Biervliet Trajectensis diocesis certis diebus visitantibus certe indulgentie largiuntur.

C. Edwardo duci Gelrie conceditur, ut in locis interdictis Missam et alia divina officia in sua presentia possit facere celebrari.

D. Margarite domine loci de Ema [1]) Trajectensis diocesis conceditur, ut in locis interdictis Missam et alia divina officia (possit) facere celebrari.

E. Thiderico Vresen ampliatur gratia sibi facta de canonicatu et prebenda cum dignitate (seu) personatu in ecclesia Trajectensi.

F. Universis Christi fidelibus ad fabricam ecclesie beate Marie Trajectensis manus porrigentes *(sic)* adjutrices certe indulgentie largiuntur.

G. Edwardo duci Gelrie conceditur habere altare portatile.

H. Eidem conceditur, ut ante diem possit facere celebrari.

Ita legitur in Rubrica literarum anni secundi, quae nunc desiderantur, scilicet A *Reg. Av. Tom.* 8, *f.* 20, *n°* 219; B *f.* 28, *n°* 152; C *f.* 30, *n°* 225; D *f.* 31, *n°* 258; E *f.* 41, *n°* 589; F *f.* 44v, *n°* 718; G—H *f.* 46, *n°* 26—27.

1) Huis-Ter-Eem, castellum olim existens in provincia Trajectina.

1796. *1364, Decembris 26, Avenionis.*

(Johanni) episcopo Traj. mandatur, ut revocationem nonnullarum dispensationum, a praedecessoribus domini Papae super impedimentis matrimonialibus concessarum, per suam diocesim publicari faciat. [1])

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri .. episcopo Trajectensi salutem et apostolicam benedictionem.

Nuper ad evitanda scandala, que ex quorumdam predecessorum nostrorum Romanorum pontificum dispensationibus concessis super matrimoniis contrahendis formidantur oriri, quandam revocationem ipsarum dispensationum fecimus sub hac forma:

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Apostolice sedis providencia.... Dat. Avinione, III Id. Decembris, pontificatus nostri anno tercio.

Quocirca fraternitati tue tenore presentium precipiendo mandamus, quatinus tenorem dicte nostre revocationis in tua cathedrali ac singulis ecclesiis collegiatis et curatis tuarum civitatis et diocesis diebus Dominicis vel aliis festivis intra Missarum solemnia, existentibus populis ad divina, per te vel alios publices et facias publicari et exponi populo in vulgari, mandans exinde fieri publica instrumenta vel alia documenta autentica, in illis partibus in talibus fieri publicationibus consueta. Dat. Avinione, VII Kl. Januarii, pontificatus nostri anno tercio.

Reg. Vat. T. 247, *f.* 195ᵛ. In e. m. ac episcopis Atrebatensi, Cameracensi, Morinensi, Tornacensi singulis seorsim. — *Apographum coaevum in arch. prov. Ultraj. D.* 534, *in charta membranea.*

1) Sub Clemente papa VI et Innocentio VI magis magisque inolevit usus personis praesertim proceribus dispensationes conferendi generales, scilicet non expressis nominibus eorum, cum quibus consanguinitatis vel affinitatis impedimento obstante matrimonium contrahi posset.

1797. *1365, Januarii 18, Avenionis.*

Andreae Herderinch conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae Traj., quas cum Luberto nato Henrici de Ramesberghe pro similibus in ecclesia Monasteriensi beneficiis putavit permutandas. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, XV Kl. Februarii, anno tercio.

Reg. Av. T. 12, *f.* 31.

1798—1801. *1365, Februarii 11, Avenionis.*

A. *Pro abbate et conventu monasterii in Ludenkerke* [1]) *ordinis S. Augustini, Traj. dioec.*

B. *Pro praeposito et conventu monasterii in Annighum* [2]), *per praepositum soliti gubernari, ordinis S. Augustini, Traj. dioec.*

C. *Pro praeposito et conventu monasterii in Haska* [3]), *per praepositum soliti gubernari, ord. S. Augustini, Traj. dioec.*

D. *Pro praeposito et conventu monasterii in Berghum, per praepositum soliti gubernari, ord. S. Augustini, Traj. dioec.*

infrascripti ad quinquennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis .. in Clarocampo et .. in Valle sancte Marie ac .. in Orto *(sic)* sancte Marie Trajectensis diocesis monasteriorum abbatibus salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. Avinione, III Id. Februarii, anno tertio.

Reg. Av. T. 12, *f.* 503[v].

1) Ludingakerk. 2) Anjum.
3) Hasker-Convent. Quattuor loci hic nominati singuli in Frisia.

1802. *1365, Februarii 15, Avenionis.*

Jacobo Braem [1]) *confirmantur canonicatus et praebenda ecclesiae b. Mariae Traj., quas sicut permutationis causa Hugo Braem* [1]), *ita et ipse Jacobus parochialem ecclesiam* „Nonesthaldie" [2]) *necnon Abraham Utercoernemarck perpetuam capellaniam altaris b. Mariae et Omnium Sanctorum, siti in ecclesia S. Gertrudis Traj., in manibus Johannis de Menart decani Daventriensis et Johannis episcopi Traj. vicarii generalis, libere resignarunt.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, XV Kl. Marcii, anno tercio.

Reg. Av. T. 10, *f.* 518.

1) Codex habet: Braen. 2) Nieuwe-Schild in insula Texel.

1803. *1365, Februarii 16, Avenionis.*

(Johanni) episcopo Traj. committitur, ut Ghiselberto de Walenborch canonico Traj. licentiam concedat, fundandi et dotandi unum hospitale pauperum.

Venerabili fratri .. episcopo Trajectensi salutem *etc.*

Piis votis fidelium et illis presertim, que animarum salutem et divini cultus augmentum respicere dinoscuntur, benivolum impertimur assensum. Sane peticio pro parte dilecti filii Ghiselberti de Valenborch *(sic)* canonici Trajectensis nobis nuper exhibita continebat, quod ipse cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutare, pro sue et parentum et aliorum benefactorum suorum animarum salute unum hospitale pauperum infra parrochiam ecclesie de Doerne [1]) tue Trajectensis diocesis vel in alio loco civitatis seu dicte tue diocesis Trajectensis, ubi magis crediderit expedire, in fundo proprio vel alio per eum justo titulo acquirendo, ad honorem Dei et beate Marie Virginis et sancti Mathie Apostoli ac sancte Margarite necnon omnium Sanctorum, de bonis ad eum racione persone sue spectantibus fundare ac construi et edificari et in eodem hospitali, postquam fundatum et constructum fuerit, quoddam altare erigi facere et gubernatorem eidem hospitali deputare dotemque pro perpetuo capellano, qui in dicto altari perpetuo divina celebret officia, assignari proponit. Quare pro parte dicti canonici nobis fuit humiliter supplicatum, ut ei faciendi premissa licenciam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, ipsius canonici pium propositum plurimum in Domino commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus eidem Giselberto canonico predictum hospi-

tale in fundo proprio, in loco tamen ad hoc congruo et honesto, quem infra dictam parrochiam seu in civitate vel diocesi predictis duxerit eligendum, fundandi et construi et edificari et in eo, postquam constructum fuerit, altare hujusmodi in loco ad hoc congruo et honesto erigi faciendi, necnon gubernatorem hospitalis hujusmodi deputandi hac primaria vice, dote sufficienti [2]) pro predicto perpetuo capellano primitus assignata, si tibi videatur et ad id rectoris predicte vel alterius ecclesie, infra cujus parrochiam hospitale hujusmodi construetur, accedat assensus, jure tamen hujusmodi parrochialis ecclesie ac cujuslibet alterius in omnibus semper salvo, ac jure patronatus in dicto hospitali eidem canonico, quoad vixerit, et post ejus obitum aliis, prout duxerit ordinandum, reservato, auctoritate apostolica licenciam largiaris. Dat. Avinione, XIIII Kl. Marcii, anno tertio.

Reg. Av. T. 10, *f.* 215v.

1) Doorn in provincia Trajectina. 2) Codex habet: suscipienti.

1804. *1365, Februarii 16, Avenionis.*

Praeposito ecclesiae S. Johannis Traj. mandatur, ut Ghiselberto nato quondam Theodorici de Walenborch militis, canonico et scholastico ecclesiae S. Salvatoris Traj. de supplemento quamprimum ibi vacaturo provideri faciat.

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, XIIII Kl. Marcii, anno tercio.

Reg. Av. T. 11, *f.* 443.

1805. *1365, Martii 10, Avenionis.*

Johanni nato quondam Dankerdi Johannis presbytero, baccalaureo in decretis, ad instantiam Johannae reginae Francorum confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia Traj. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, VI Id. Marcii, anno tercio.

Reg. Av. T. 11, *f.* 387v.

1806—1807. *1365, Martii 11, Avenionis.*

A. *Egidio de Oestkerke licentiato in decretis conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae S. Petri Traj., quas cum olim per obitum Henrici dicti Gans vacassent, Laurentius natus quondam Claymanni de Nuwelande legitime obtinuerat et pro perpetua capellania b. Mariae in Woerde cum ipso Egidio putavit permutandas.*

B. *Eidem Laurentio confertur perpetua capellania b. Mariae in parochiali ecclesia de Woerde Traj. dioec. — Pro utroque deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, V Id. Martii, anno tertio.

Reg. Av. T. 11, *f.* 152ʳ—153ᵛ.

1808. *1365, Maji 3, Avenionis.*

Theobaldo de Herwen presbytero, ex utroque latere de genere militari procreato, confertur canonicatus et reservantur praebenda cum supplemento necnon dignitas, personatus vel officium in ecclesia Traj.; quae tamen cum assecutus fuerit, parochialem ecclesiam „de Hyen" [1]) *Traj. dioec. omnino dimittat. — Deputantur executores.*

Nobilitas generis.... Dat. Avinione, V Non. Maji, anno tercio.

Reg. Av. T. 11, *f.* 352ᵛ.

1) Hien in Gelria.

1809. *1365, Maji 7, Avenionis.*

Gerardo de Marsen in artibus magistro confertur parochialis ecclesia in Loesden Traj. dioec., pro qua cum Giselberto de Zile canonicatum et praebendam ecclesiae S.S. Apostolorum Coloniensis putavit permutandas. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Non obstantibus .... quod in ecclesia sancti Salvatoris Trajectensis canonicatum et prebendam cum supplemento nosceris obtinere.... Dat. Avinione, Non. Maji, anno tercio.

Reg. Av. T. 11, *f.* 295ᵛ.

1810. *1365, Maji 20, Avenionis.*

Stephano de Bymmen [1]) *nobili militi Traj. dioec. indulgetur, quod in locis interdicto suppositis Missam privatim coram se celebrari facere valeat.*

Devotionis tue.... Dat. Avinione, XIII Kl. Junii, anno tertio.

Reg Av. T. 10, *f.* 433.

1) Legendum forsan: de Limmen.

1811. *1365, Junii 16, Avenionis.*

Galtero Giselberti Venidans clerico Traj. dioec., magistro in artibus, qui de soluto et soluta genitus jam dudum super defectu natalium dispensationem apostolicam obtinuit, indulgetur, quod alterum adhuc beneficium sine cura recipere et retinere valeat.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, XVI Kl. Julii, anno tercio.

Reg. Av. T. 10, *f.* 553v.

1812. *1365, Junii 16, Avenionis.*

Cancellario ecclesiae Parisiensis mandatur, ut Johanni dicto Brassatoris clerico Traj. dioec., in artibus magistro, reservet beneficium conferendum a capitulo Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens.

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, XVI Kl. Julii, anno tercio.

Reg. Av. T. 11, *f.* 491v

1813. *1365, Julii 27, Avenionis.*

Luberto Bolle canonico ecclesiae Trajectensis, baccalaureo in jure canonico et in artibus magistro, reservatur in eadem ecclesia dignitas, personatus seu officium. [1])

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, VI Kl. Augusti, anno tercio.

Reg. Av. T. 10, *f.* 299v.

1) Cfr. supra num. 1781.

1814. *1365, Decembris 7, Avenionis.*

Pro praeposito Arnhemensi infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

Venerabili fratri episcopo Leodiensi et dilectis filiis Coloniensis et sancti Johannis Leodiensis ecclesiarum decanis salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. Avinione, VII Id. Decembris, pontificatus nostri anno quarto.

Reg. Av. T. 14, *f.* 624.

1815. *1365, Decembris 18, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Baldewino de Dalen canonico praebendato ecclesiae Traj., in jure canonico baccalaureo, conferant parochialem ecclesiam „de Wie" [1]) *Traj. dioec., ex eo vacantem quod ultimus rector Thidericus Stael se in presbyterum promoveri ultra annum indebite omisit.*

Dilectis filiis sancti Pauli Trajectensis et Oesbroch *(sic)* extra muros Trajectensis ac Dickeninghen Trajectensis diocesis monasteriorum abbatibus salutem *etc.*
Litterarum scientia.... Dat. Avinione, XV Kl. Januarii, anno quarto.

Reg. Av. T. 14, *f.* 500r.

1) Probabiliter Wey, cujus nominis olim pagus quidam exstabat in Hollandia meridionali, nisi forte intelligendum sit: Wyhe, pagus in Transisulania.

1816. *1366, Januarii 20, Avenionis.*

Petro episcopo Cameracensi, apostolicae sedis nuncio, qui negotium pacis inter Ludovicum Flandriae et Albertum Hannoniae comites reformandae dudum sibi commissum [1]) *nondum deducere potuit ad effectum, mandatur, ut apud eosdem comites pro celeri et felici pacis effectu studium continuatae diligentiae adhibeat.*

Quamvis audiverimus.... Dat. Avinione, XIII Kl. Februarii, anno quarto.

Reg. Av. T. 248, *f.* 31v.

1) Cfr. supra num. 1786.

1817. *1366, Januarii 29, Avenionis.*

Petro Jacobi sacerdoti et in jure canonico scholari conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia S. Johannis, vacantes per obitum Petri de Sancto Michaele in curia defuncti; quas autem cum assecutus fuerit, vicariam curatam ecclesiae parochialis de Oudekerke, canonicatum praebendamque in Amersfordensi et altare b. Mariae et S. Martini situm in Trajectensi ecclesiis omnino dimittat. — Deputantur executores, inter quos Michael Moliart canonicus Traj.

Vite et morum.... Dat. Avinione, IIII Kl. Februarii, anno quarto.

Reg. Av. T. 13, *f.* 359v.

1818. *1366, Martii 9, Avenionis.*

Petro episcopo Cameracensi hisce inclusae literae sequentes mittuntur, quas nobilibus, ad quos directae sunt, praesentet seu praesentari faciat, eidemque mandatur, ut pacis reformandae negotium quanto instantius poterit prosequatur.

Dolemus, venerabilis frater.... Dat. Avinione, VII Id. Marcii, anno quarto.

Reg. Vat. T. 248, *f.* 63.

1819—1821. *1366, Martii 9, Avenionis.*

A. *Alberto duci Bavariae iteratur adhortatio, ut monitis Petri episcopo Cameracensis pro reformanda pace acquiescat.*

B. *Ludovicus comes Blesensis monetur, ut praefato Petro nuncio ad eundem finem collaboret.*

C. *Item Johannes de Blesio dominus de Schoonhoven.*

Dilecto filio nobili viro Alberto duci Bavarie, gubernatori comitatuum Hannonie, Hollandie et Zelandie salutem *etc.*

Dudum ad nostrum dolenter deducto auditum, quod inter te ex una parte et dilectos filios nobiles viros Johannem comitem Licii ac Guidonem et Engelbertum de Angia fratres ex altera gravis erat discordie ac guerrarum materia suscitata, nos venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum Cameracensem, apostolice sedis nuncium, tunc apud sedem consistentem eandem, ad te ac dictos nobiles pro reformanda pace inter te et ipsos nobiles duximus destinandum ipseque episcopus, prout nobis rescripsit, licet tu exhortationes et monita per eum ex nostra parte tibi facta receperis reverenter, tamen hujusmodi reformationis dicte pacis negotium nondum potuit perducere ad effectum. Quare nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatinus provide pensans animarum pericula aliaque mala innumera, que ex ejusdem pacis dilatione possint verisimiliter provenire, velis dicti episcopi monitis effectualiter acquiescere eaque pro nostra et dicte sedis reverencia adimplere. Dat. Avinione, VII Id. Marcii, anno quarto.

In e. m. dilectis filiis nobilibus viris Johanni comiti Licii ac Guidoni et Engelberto de Angia fratribus salutem *etc.*

Reg. Vat. T. 248, *f.* 63.
Sequuntur epistolae ad diversos ipsarum partium nobiles, qui cum Petro episcopo huic paci reformandae laborent rogantur. Inter alios:

Eodem modo nobili viro Ludovico comiti Blesensi.

Eodem modo nobili viro Johanni de Blesio militi, domino de Swenhoven *(sic).*

Sicut alias tue.... Dat. *ut supra.*

1822. *1366, Martii 19, Avenionis.*

Ulrico Giselberti de Dypenhem, magistro in artibus, qui diu Parisiis in theologia studuit, confirmantur canonicatus et praebenda, quas vacantes ex eo, quod Petrus Rochus clericus in minoribus ordinibus constitutus matrimonium cum quadam muliere inivit, in ecclesia S. Johannis Traj. obtinuit.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, XIIII Kl. Aprilis, anna quarto.

Reg. Av. T. 13, *f.* 599.

1823. *1366, Martii 30, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Theodericum Cloetinc monachum professum monasterii de Oostbroek [1]*), a quo ex causis rationabilibus ad monasterium S. Pauli Traj. se transferre vult, in hoc recipi faciant in monachum et in fratrem.*

Dilectis filiis abbati monasterii Egmondensis Trajectensis diocesis et sancti Agricoli Avinionensis ac sancte Marie Trajectensis ecclesiarum decanis salutem *etc.* Supplicantium votis.... Dat. Avinione, III Kl. Aprilis, anno quarto.

Reg. Av. T. 14, *f.* 269.

1) Codex habet: Oestbriet.

1824. *1366, Maji 1, Avenionis.*

Petro de Lewenbergh baccalaureo in decretis confirmatur decanatus in ecclesia b. Mariae Traj. vacans per obitum Hugonis Braem fructuum Camerae Apostolicae debitorum in illis partibus collectoris sedisque Apostolicae capellani.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, Kl. Maji, anno quarto.

Reg. Av. T. 13, *f.* 504r.

1825. *1366, Maji 2, Avenionis.*

Wilhelmus (Snavel) monasterio Insulae b. Mariae praeficitur in abbatem. — Cujus nominationis conventus certior redditur atque de obedientia et reverentia eidem Wilhelmo praestandis admonetur.

Dilecto filio Wilhelmo abbati monasterii Insule beate Marie Premonstratensis ordinis, Trajectensis diocesis, salutem *etc.*

Inter solicitudines varias, quibus assidue premimur, illa potissime pulsat et excitat mentem nostram, ut status ecclesiarum et monasteriorum omnium cure nostre divina providencia commissorum spiritualiter et temporaliter augeatur, quodque illis, que suis destituta pastoribus vacacionis incommoda deplorare noscuntur, tales ministros preficere studeamus, per quorum regimen ecclesie et monasteria ipsa utiliter et salubriter valeant adaugeri. Dudum siquidem quondam Johanne abbate monasterii Insule beate Marie Premonstratensis ordinis, Trajectensis diocesis, regimini ipsius monasterii presidente, nos cupientes eidem monasterio, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam preesse personam, provisionem ipsius monasterii ordinacioni et disposicioni nostre duximus hac vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicto monasterio per obitum dicti

Johannis abbatis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, abbatis regimine destituto, dilecti filii conventus dicti monasterii, hujusmodi reservacionis et decreti forsan ignari, te canonicum [1]) dicti monasterii, ordinem ipsum expresse professum et in sacerdocio constitutum, in eorum et dicti monasterii abbatem licet de facto concorditer elegerunt, tuque reservacionis et decreti predictorum similiter inscius, electioni hujusmodi de te facte, illius tibi presentato decreto, consenciens, eam per dilectum filium Johannem abbatem Bernensem habentem super hoc a dilecto filio Johanne abbate Cuyssiensis monasteriorum ejusdem ordinis Laudunensis diocesis, administratore in spiritualibus monasterii sancti Martini Laudunensis dicti ordinis auctoritate apostolica deputato, reservacionem et decretum hujusmodi simpliciter ignorante, cum ad abbatem dicti sancti Martini pro tempore existentem, qui pater abbas dicti Insule beate Marie monasteriorum existit, confirmacio electionis abbatis ejusdem monasterii Insule beate Marie tam ex institutis dicti ordinis per sedem apostolicam ex certa scientia confirmatis quam eciam de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertineat, obtinuisti confirmari et deinde per venerabilem fratrem nostrum Folkardum episcopum Gibeletensem, vicarium generalem in spiritualibus venerabilis fratris nostri Johannis episcopi Trajectensis, habentem super hoc ab eodem Johanne episcopo specialem potestatem, eciam reservacionem et decretum predicta ignorante tibi obtinuisti munus benedictionis impendi ac administracioni bonorum dicti monasterii te in spiritualibus et temporalibus, alias tamen rite ingessisti. Et demum, reservacione et decreto predictis ad tuam deductis noticiam, premissa omnia proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur, electionem et confirmacionem predictas utpote post et contra reservacionem et decretum hujusmodi de facto, ut premittitur, attemptatas, prout erant, irritas et inanes reputantes ac ad provisionem ejusdem monasterii Insule beate Marie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne monasterium ipsum longe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem monasterio Insule beate Marie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, cui de religionis zelo, litterarum scientia, vite ac morum honestate aliisque multiplicium virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, dreximus intuitum nostre mentis; quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua prefato monasterio Insule beate Marie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in abbatem, curam et administracionem ipsius monasterii tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, et nichilominus munus benedictionis tibi, ut prefertur, impensum et que per te circa administracionem hujusmodi alias tamen rite gesta sunt ratificamus et eciam approbamus, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod ipsum monasterium Insule beate Marie sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, grata suscipiet incrementa. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus onus regiminis dicti monasterii Insule beate Marie devote suscipiens, sic te in ipsius cura salubriter exercenda exhibeas studiosum, quod per laudabilis tue diligentie studium gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque preter eterne retri-

bucionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et graciam exinde uberius consequi merearis. Dat. Avinione, VI Non. Maji, anno quarto.

In e. m. dilectis filiis conventui monasterii Insule beate Marie Premonstratensis ordinis, Trajectensis diocesis, salutem *etc.*

Reg. Av. T. 14, *f.* 82r.

1) In codice erasum est: monachum.

1826. *1366, Maji 29, Avenionis.*

Decano ecclesiae S. Martini Traj. mandatur, ut inter Wilhelmum dominum loci de Wesemale et Margaretam de Binken Roberti de Dongheweríghe laici uxorem Leodiensis dioec., qui diu super quadam pecuniae summa coram officiali Leodiensi ac deinde, appellatione a dicto Wilhelmo interposita, in curia Coloniensi inter se litigaverant, causam decernat et quod decreverit efficaciter observari faciat.

Exhibita nobis.... Dat. Avinione, IIII Kl. Junii, anno quarto.

Reg. Av. T. 13, *f.* 634r.

1827. *1366, Julii 1, Avenionis.*

Abbati monasterii in Rune[1]) *Traj. dioec. ad petitionem rectoris, provisoris nuncupati, et fratrum hospitalis pauperum S. Spiritus in Groninghen mandatur, ut quae de bonis ipsius hospitalis alienata invenerit illicite vel distracta, ad jus et proprietatem ejusdem legitime revocare curet.*

Dilectorum filiorum.... Dat. Avinione, Kl. Julii, pontificatus nostri anno quarto.

Autographum in archivo prov. Groningano, cum sigillo plumbeo, chordulis cannabinis appenso; in plica inferiori ad dext.: . . G. Fabri; *a tergo:* Andreas de Gro.

Feith Register *I.* 26*, ubi perperam refertur ad an. 1367.

1) Ruinen in Drentia.

1828. *1366, Julii 7, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Johannem Waltheri de Egmonda et quattuor ipsius complices, qui propter injurias Hugoni abbati et conventui Egmondensibus illatas in judicium ter vocati non comparuerunt ideoque contumaces sunt declarati, tamdiu excommunicatos nuncient et nunciari faciant, donec de contumacia hujusmodi competenter satisfecerint et absolutionem obtinuerint.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri .. episcopo Leodiensi et dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Petri Gandensis Tornacensis diocesis ac .. decano sancti Agricoli Avinionensis salutem et apostolicam benedictionem.

Peticio dilectorum || filiorum Hugonis abbatis et conventus monasterii Egmondensis ordinis sancti Benedicti, Trajectensis diocesis, nobis exhibita continebat, quod, licet olim super nonnullis articulis in quadam causa inter ipsos et Johannem Waltheri de Egmonda natum ||, militem dicte diocesis, super quibusdam terris, prediis et rebus aliis coram certo auditore in palatio apostolico pendente datis remissio ad partes ad probandum articulos hujusmodi ad certos judices auctoritate apostolica facta fuisset et per dictum auditorem, qui articulos ipsos inclusit, partibus ipsis hincinde sub certis penis inhibitum extitisset, ne alterutri parcium earumdem alia in suis testibus producendis impediret vel aliquod impedimentum prestaret, quominus probationes hincinde fieri possent, tamen prefatus miles multipliciter impedivit, quominus iidem abbas et conventus nonnullos testes, quos producere volebant, producere possent, et nihilominus per suos familiares et satellites domesticos ac continuos commensales atque fautores quondam Hugonem Johannis de Lumme [1]) laicum, testem pro parte dictorum abbatis et conventus productum, postquam ab eo de veritate dicenda per dictos judices receptum juramentum fuerat, antequam in causa ipsa deposuisset, publice interfecit prefatosque abbatem et conventum successivis temporibus ultra duo milia florenorum auri dampnificavit grangiasque prefati monasterii et quamplures domos ipsius ac animalia et alia bona diversa in eisdem domibus existencia necnon quoddam molendinum, ad ipsos abbatem et conventum justo titulo pertinens, ignis incendio concremavit ac quondam Arnoldum de Driel priorem claustralem dicti monasterii infra muros et septa ipsius monasterii crudeliter occidit, prefato milite omnia fieri mandante eaque suo nomine facta rata habente et accepta; ortaque propterea inter eosdem abbatem et conventum ac militem materia questionis, nos venerabili fratri nostro Bernardo archiepiscopo Neapolitano, tunc capellano nostro et auditori causarum palacii apostolici, ad instanciam dictorum abbatis et conventus commisimus, ut causam, quam iidem abbas et conventus contra prefatum militem et alios fautores, pro parte dictorum abbatis et conventus in prima citatione nominandos, super premissis et eorum occasione movere intendebant, audiret et fine debito terminaret, non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam curiam devoluta et apud eam tractanda et finienda non esset, et quod se de premissis informaret, et si per informationem hujusmodi reperiret, dictum militem et alios, ut premittitur, nominandos de hiis publice diffamatos, eundem militem et sex ex predictis fautoribus pro parte dictorum abbatis et conventus in primo citatorio nominandos, ut coram eo personaliter comparerent, extra Romanam curiam et ad partes citare posset, quociens opus esset. Idemque Bernardus tunc auditor, super hiis summaria informatione recepta, quia per informationem hujusmodi reperit, dictum militem necnon Gerardum dictum Rubizant, Hermannum dictum Valkenaer, Nicolaum de Naeldwyc et Arnoldum dictum Wilde laicos dicte diocesis de premissis publice diffamatos, eosdem militem et laicos ad instantiam magistri Andree de Groningen, procuratoris dictorum abbatis et conventus, coram eo in judicio comparentis, per suas certi tenoris litteras citari fecit ad

partes, ut coram eo vel alio dicti palatii causarum auditore, loco sui in causa hujusmodi forsitan surrogando, in palatio apostolico, certo termino peremptorio competenti tunc expresso, cum omnibus actis, juribus et munimentis causam hujusmodi contingentibus personaliter comparerent, processuri in causa ipsa ad singulos actus necessarios usque ad diffinitivam sentenciam inclusive, prout existeret rationis. Interim vero, cum dictus Bernardus tunc auditor se de dicta curia absentasset, nos causam hujusmodi dilecto filio magistro Guirando de Posilhaco, preposito ecclesie Ebredunensis, capellano nostro et auditori causarum palatii predicti, audiendam commisimus et fine debito terminandam, coram quo dictus Andreas in dicto termino in judicio comparens et de citatione hujusmodi eidem Guirando auditori fidem faciens per legitima documenta predictorum citatorum non comparentium contumaciam accusavit, idemque Guirandus auditor ad instanciam dicti Andree prefatos militem Gerardum, Hermannum, Nicolaum et Arnoldum laicos ad dandum et recipiendum libellum in causa hujusmodi in audiencia publica, ut est moris, citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem. In quo dictus Andreas coram eodem Guirando auditore in judicio comparens predictorum citatorum non comparentium contumaciam accusavit et in eorum contumaciam quendam in causa hujusmodi pro parte sua dedit libellum, prefatusque Guirandus auditor ad ipsius Andree instanciam predictos militem, Gerardum, Hermannum, Nicolaum et Arnoldum ad respondendum dicto libello et litem super eo contestandum primo simpliciter et deinde sub pena excommunicationis in eadem audiencia successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes. In quibus dictus Andreas coram eodem Guirando auditore in judicio comparens, predictorum citatorum non comparentium contumaciam accusavit ac in hujusmodi ultimo termino petiit in ipsos militem, Gerardum, Hermannum, Nicolaum et Arnoldum laicos propter hujusmodi contumaciam excommunicationis sentenciam promulgari. Predictusque Guirandus auditor ad dicti Andree instanciam prenominatos militem, Gerardum, Hermannum et Arnoldum laicos ad dicendam causam rationabilem, si quam haberent, ob quam excommunicari non deberent, citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem in audiencia supradicta. In quo prefato Andrea coram eodem Guirando auditore in judicio comparente et predictorum citatorum non comparentium contumaciam accusante ipsosque excommunicari petente, sepedictus Guirandus auditor, reputans eosdem militem, Gerardum, Hermannum Nicolaum et Arnoldum laicos quo ad actum hujusmodi, prout erant, merito contumaces, in eos propter contumaciam hujusmodi in non comparendo ad respondendum dicto libello et litem super eo contestandum excommunicationis sentenciam promulgavit, prout in instrumento publico inde confecto, dicti Guirandi auditoris sigillo munito, dicitur plenius contineri. Nos itaque, ipsorum abbatis et conventus in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios prefatos militem, Gerardum, Hermannum, Nicolaum et Arnoldum laicos tandiu auctoritate nostra, appellatione remota, excommunicatos publice nuncietis et faciatis ab aliis per omnia loca, in quibus expedire videritis, nunciari et ab omnibus arcius evitari, donec pro dicta contumatia satisfecerint competenter || et debite absolutionis beneficium ab hujusmodi excommunicationis sententia meruerint obtinere, contradictores per censuram ecclesiasticam, appel-

latione postposita, compescendo. Dat. Avinione, Non. Julii, || pontificatus nostri anno quarto.

Autographum in archivo Status Hagae-Comitano, cum sigillo plumbeo, chordulis cannabinis appenso; latere dextero subscriptum est: $\overset{=}{\underset{X}{V}}$; *in plica inferiori extra:* R. G. G. Xendeli; *a tergo:* Andreas de Gro. *Apographum ibidem insertum diplomati, d.d.* 9 *Augusti an.* 1366 *Avenionis, quo Johannes de Silvis decanus S. Agricoli hanc bullam executioni demandat, — in charta membranea, a qua sigillum est abscissum*

De hac lite quamplura ibidem exstant documenta, quorum primum die 11 Maji 1360 Avenionis est editum, a quo tempore causa jam in curia movebatur per Hugonem abbatem, eapropter continuo ibi commorantem.

1) Limmen.

1829. *1366, Julii 12, Avenionis.*

Willelmo de Reno clerico Traj. dioec. conferenda reservatur ecclesia parochialis de Lopic, 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens, quae ex eo vacatura speratur, quod Hugoni Uustinc canonico Traj. dignitas, personatus vel officium in ecclesia Traj. sit reservatum. — Deputantur executores.

Probitatis et virtutum.... Dat. Avinione, IIII Id. Julii, anno quarto.

Reg. Av. T. 14, *f.* 577r.

1830. *1366, Julii 13, Avenionis.*

Johanni de Blesis domino „de Scoenhovia" *et de Gouda Traj. dioec. indulgetur, quod in locis interdicto suppositis sibi suisque familiaribus domesticis Missam et alia divina officia privatim celebrari facere valeat.*

Devocionis tue.... Dat. Avinione, III Id. Julii, anno quarto.

Reg. Av. T. 14, *f.* 224v.

1831. *1366, Julii 13, Avenionis.*

Margaretae dominae de Valkenborgh de Voerne ac borghgraviae Zelandiae [1]) *Traj. dioec. conceduntur literae confessionales.*

Benigno sunt tibi.... Dat. ***ut supra.***

Ibidem.

1) Codex habet: Zelandriae.

1832. *1366, Augusti 5, Avenionis.*

Pro Johanne (de Virneburch) episcopo Traj. infrascripti ad quinquennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis .. preposito sancti Johannis Trajectensis et .. sancte Marie ad Gradus Coloniensis ac .. sancti Petri Leodiensis decanis ecclesiarum salutem *etc.*

Ad hoc nos Deus.... Dat. Avinione, Non. Augusti, anno quarto.

Reg. Av. T. 14, *f.* 402r.

1833. *1366, Octobris 8, Avenionis.*

Frederico dicto Cappelaen confertur parochialis ecclesia de Marsen, 25 florenorum auri annuum non excedens valorem et vacans ex eo, quod Henricus dictus Spiker ecclesiam parochialem „de Vollenhoe" [1]) *Traj. dioec. auctoritate literarum apostolicarum pacifice obtinuit. — Deputantur executores, inter quos Everardus Foec et Hugo Uustinc canonici Traj.*

Vite ac morum.... Dat. Avinione, VIII Id. Octobris, anno quarto.

Reg. Av. T. 13, *f.* 276r.

1) Vollenhove.

1834. *1366, Octobris 21, Avenionis.*

(Engelberto) archiepiscopo Coloniensi ejusque suffraganeis diversa dantur mandata quoad impositionem decimae ecclesiasticae, in partibus Alamanniae concessae Carolo Romanorum imperatori IV, qui inimicos partes Italiae devastantes proxime et personaliter debellare intendit.

Ecclesiarum omnium.... Dat. Avinione, XII Kl. Novembris, anno quarto.

Reg. Vat. T. 248, *f.* 269. In e. m. aliis Imperii praesulibus.

1835. *1366, Octobris 21, Avenionis.*

Iisdem committitur, ut in suis dioecesibus solemniter publicent indulgentias et privilegia iis concessa, qui cum Carolo (IV) Romanorum imperatore comitivas hominum pravorum Italiam devastantium debellaverint.

Adversus quosdam. .. Dat. Avinione, XII Kl. Novembris, anno quarto.

Reg. Vat. T. 248, *f.* 273r. In e. m. aliis Imperii praesulibus.

1836. *1366, Novembris 22, Avenionis.*

Johanni Salomonis clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto Traj. dioec. confertur tabellionatus officium.

Ne contractuum memoria.... Dat. Avinione, X Kl. Decembris, anno quinto.

Reg. Av. T. 16, *f.* 528r.

1837. *1367, Januarii 23, ap. Montempessulanum.*

Infrascripto mandatur, ut summarie inquirat et dominum Papam informet, an consultum foret, pro certa pensione annua locare seu in perpetuam emphyteusin dare quasdam terras ad agriculturam aptatas in nemore Mastbroec et ad mensam episcopalem Traj. pertinentes.

Dilecto filio Petro de Velda preposito ecclesie sancti Johannis Trajectensis, decretorum doctori, salutem.

Petitio pro parte venerabilis fratris nostri Johannis episcopi Trajectensis nobis nuper exhibita continebat, quod cum quoddam nemus Mastbroc vulgariter nuncupatum Trajectensis diocesis in territorio et districtu episcopi Trajectensis, qui est pro tempore, existens, quod olim paludosum seu aquosum et etiam ineptum ad agriculturam et fructum afferendum existebat, per maximos labores et expensas dicti Johannis episcopi et subditorum suorum ac etiam per industriam venerabilis fratris nostri Johannis Leodiensis tunc Trajectensis episcopi, sui immediati predecessoris, videlicet per fossata, aqueductus, evultiones et erradicationes *(sic)* arborum infertilium ad terram aptam ad agriculturam et fructum afferendum sit redactum ac hujusmodi terre magna pars, que vulgariter Voerslach nuncupatur et que ex divisione hujusmodi terre eidem episcopo obvenerit, ad ipsum episcopum Trajectensem, qui est pro tempore, et mensam suam episcopalem solum et in solidum pertineat, ex qua quidem parte idem Johannes episcopus Trajectensis nullum commodum percipit, quinymo dubitat ex eo illam redigi et fieri desertam, quod nullus propter futuras translationes seu mortes episcoporum Trajectensium ad tempus, sed in perpetuum auctoritate sedis apostolice vel cum consensu dilectorum filiorum capituli ecclesie Trajectensis vult eam colere seu locare pro certa annua pensione, pro eo quod ad confirmacionem ejusdem terre pro aggeribus et aliis necessariis contra aquarum inundaciones ibidem faciendis plurimi expense et labores necessario requiruntur et quod aliqui de dicto capitulo, qui eidem episcopo pro sue ordinarie jurisdictionis exercicio et defensione, quam ipsi multipliciter usurpare nituntur, sunt exosi, impediunt, quominus idem capitulum in locacione seu arrendacione hujusmodi suum prestet assensum, nisi partem perciperent annue pensionis antedicte, et propterea episcopus et mensa predicti, qui paucos et exiles habent redditus, non modicum sustineant detrimentum. Quare pro parte dicti Johannis Trajectensis episcopi nobis extitit humiliter supplicatum, ut terras, possessiones et predia in parte predicta, que ex divisione hujusmodi episcopo et mense predictis obvenerunt, existencia auctoritate apostolica locandi seu in perpetuam emphitheosim dandi certis personis pro certa competenti annua pensione eidem episcopo perpetuo persolvenda licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, de premissis certam notitiam non habentes, discretioni

tue, de qua in hiis et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus de premissis omnibus et singulis et presertim de valore et qualitate terrarum, possessionum et prediorum predictorum ac de utilitate hujusmodi et aliis circumstantiis universis, que circa hec fuerint attendende, summarie, simpliciter et de plano diligentius te informes et quidquid per informacionem hujusmodi repereris, per tuas litteras in publicam formam redactas tuoque sigillo signatas harum seriem continentes fideliter nobis quam citius significare procures, ut tua super hiis plenius informacione instructi super premissis consulcius agere valeamus. Dat. apud Montempessulanum Magalonensis diocesis, X Kl. Februarii, anno quinto.

Reg. Av. T. 15, *f.* 344r.

1838. *1367, Januarii 25, ap. Montempessulanum.*

Jacobo de Velde canonico ecclesiae S. Petri Traj. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. apud Montempessulanum Magalonensis diocesis, VIII Kl. Februarii, anno quinto.

Reg. Av. T. 15, *f.* 511.

1839. *1367, Martii 7, ap. Montempessulanum.*

Theoderico Vopponis [1]) presbytero Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. apud Montempessulanum Magalonensis diocesis, Non. Marcii, anno quinto.

Reg. Av. T. 15, *f.* 519r.

1) Codex habet: Vorponis.

1840. *1367, Martii 23, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Johanni Hobbonis canonico ecclesiae S. Salvatoris Traj., non obstante quodam dictae ecclesiae statuto, de fructibus sui canonicatus et praebendae integre responderi faciant.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis .. abbati monasterii Egmondensis Trajectensis diocesis et sancti Agricoli Avinionensis ac sancte Marie Trajectensis ecclesiarum decanis salutem et apostolicam || benedictionem.

Probitatis et virtutum merita, quibus personam dilecti filii Johannis Hobbonis canonici ecclesie sancti Salvatoris Trajectensis fidedignorum testimonio juvari percepimus, nos inducunt, ut || sibi reddamur ad graciam liberales. Dudum siquidem volentes dicto Johanni, in sacerdocio constituto, graciam facere specialem, canonicatum ecclesie sancti Salvatoris Trajectensis auctoritate apostolica contulimus et providimus eciam de eodem, prebendam vero, si qua in dicta ecclesia tunc vacabat vel cum vacaret, quam idem Johannes per se vel per procuratorem suum infra certi temporis spacium acceptaret, conferendam sibi donationi apostolice duximus specialiter reservandam, certis sibi super hoc executoribus deputatis, prout in diversis nostris inde confectis litteris [1]) plenius continetur. Postmodum vero quadam prebenda in dicta ecclesia tunc certo modo vacante, idem Johannes, sicut accepimus, vigore dictarum litterarum prebendam ipsam infra tempus debitum acceptavit et de ea sibi provideri fecit canonice et in ipsius corporalem possessionem induci. Cum autem, prout exhibita nobis pro parte ipsius Johannis peticio continebat, in statutis ipsius ecclesie ab antiquo tempore observatis caveatur expresse, quod quandocumque aliquis in sacerdocio constitutus canonicatum et prebendam in ipsa ecclesia assequatur, antequam fructus, redditus et proventus canonicatus et prebende predictorum integre percipere possit, per duos annos expectare tenetur quodque, sicut eadem peticio subjungebat, dilecti filii .. decanus et capitulum ipsius ecclesie infra sex ebdomadas ante provisionem hujusmodi de [2]) prebenda dicto [3]) Johanni factam de facto ordinaverint et eciam statuerint, quod quicumque presbyter canonicatum et prebendam in dicta ecclesia assequatur, per unum annum ultra dictos duos annos, antequam fructus, redditus et proventus dictorum canonicatus et prebende integre percipere valeat, debeat expectare, pro parte ipsius Johannis nobis extitit humiliter supplicatum, ut cum ipse vigore collationis et provisionis hujusmodi dictos canonicatum et prebendam canonice et pacifice assecutus a tempore assecutionis hujusmodi propter statutum hujusmodi auctoritate ordinaria, ut dicitur, confirmatum, per duos annos de fructibus canonicatus et prebende predictorum nichil perceperit nec percipere posse se integre asserit, providere sibi super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, ipsius Johannis in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si est ita, faciatis prefato Johanni, statuto ultimo hujusmodi per dictos decanum et capitulum facto et eciam ordinato nequaquam obstante, de fructibus, redditibus et || proventibus dictorum canonicatus et prebende integre responderi, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Dat. Avinione, X Kl. Aprilis, || pontificatus nostri anno quinto.

Autographum in archivo prov. Ultraj. O. 554, *cum sigillo plumbeo, chordulis cannabinis appenso; latere sinistro subscriptum est:* X / P. Vitalis; *super plica inferiori ad dext.:* .. Jo. Rosseti ..; *a tergo:* Johannes de Lochem, *et paullo inferius:* R.
Reg. Av. T. 15, *f.* 378v, *ubi legitur:* Habbonis.

1) Supra num. 1706. 2) Litura unius verbi. 3) Litura trium verborum.

1841. *1367, Julii 2, Viterbii.*

Machario de Benthem clerico Traj. dioec. reservatur officium, dormitorii officium nuncupatum, quod in ecclesia Traj. vacaturum speratur, quamprimum Wernerus de Haselbeke canonicatum et praebendam in ecclesia S. Bartholomaei Leodiensi pacifice obtinuerit. — Deputantur executores.

Multiplicia probitatis.... Dat. Viterbii, VI Non. Julii, anno quinto.

Reg. Av. T. 16, *f.* 109r.

1842. *1367, Julii 14, Viterbii.*

Bolemanno Voern de Campis, cujus nomine, cum ipse in partibus ageret remotis, procurator auctoritate literarum apostolicarum parochialem ecclesiam de Zeyst Traj. dioec. acceptavit et jam aliquamdiu possedit, indulgetur, quod cum infra residuum anni sacerdotii ordinem suscipere nequeat, ad hunc promoveri se facere ante festum Resurrectionis proxime futurum non teneatur.

Laudabilia probitatis.... Dat. Viterbii, II Id. Julii, anno quinto.

Reg. Av. T. 16, *f.* 417r.

1843. *1367, Julii 30, Viterbii.*

Infrascriptis mandatur, ut Theodericum Cloetinc monachum professum monasterii S. Laurentii in Oestbroec, ab hoc certis ex causis ad monasterium S. Pauli Traj. transire cupientem, ibidem recipi faciant in monachum et in fratrem. [1])

Dilectis filiis .. Matisconensis et .. majoris ac beate Marie Trajectensis ecclesiarum decanis salutem *etc.*

Humilibus supplicum.... Dat. Viterbii, III Kl. Augusti, anno quinto.

Reg. Av. T. 16, *f.* 521.

1) Cfr. supra num. 1823.

1844. *1367, Augusti 28, Viterbii.*

Johanni de Zanten confertur perpetua capellania in ecclesia parochiali S. „Wilbordi" *de Hulst Traj. dioec. vacans per obitum Egidii de Feno, curialis prope Viterbium in curia defuncti, et 28 librarum Turonensium parvorum valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.*

Probitatis et virtutum.... Volumus autem, quod postquam literas super hujusmodi gratia fieri feceris et ipsas expeditas habueris, de Romana curia

recedas et in ecclesia resideas antedicta.... Dat. Viterbii, V Kl. Septembris, anno quinto.

Reg. Av. T. 16, *f.* 183.

1845. *1367, Octobris 21, Romae ap. S. Petrum.*

Gherardo dicto Vrent domicello et „Etpeisseline" *ejus uxori, nobilibus Traj. dioec., conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

Provenit ex.... Nostre autem intentionis existit, quod nisi tu, fili Gherarde, vestes, quas deinceps fieri facies et indutas desuper deferes, longe saltem usque ad genua existant, indultum hujusmodi quo ad te nullius sit roboris vel momenti.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XII Kl. Novembris, anno quinto.

Reg. Av. T. 15, *f.* 510.

1846. *1367, Octobris 21, Romae ap. S. Petrum.*

Pro reparatione parochialis ecclesiae de Didam ad decennium conceduntur indulgentiae unius anni et 40 dierum vel 100 dierum, certis diebus festivis lucrandae.

Universis Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem *etc.*

Licet is, de cujus.... Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia de Dedym Trajectensis diocesis, que, sicut accepimus, per incendium destructa existit et absque pia subventione fidelium reparari non potest, congruis honoribus frequentetur .... omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumscisionis *(sic)*, Epiphanie, Resurrexionis, Ascensionis et Corporis Domini nostri Jhesu Christi, Pentechostes necnon in Nativitatis, Annunciacionis, Purificacionis et Assumpcionis beate Marie Virginis et Nativitatis beati Johannis Baptiste, dictorum apostolorum Petri et Pauli ac ipsius ecclesie Dedicacionis festivitatibus ac celebritate Omnium Sanctorum et per octavas ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Domini nostri necnon beate Marie Virginis Nativitatis, Assumpcionis et Nativitatis beati Johannis et apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum octavas et per sex dies dictam festivitatem Penthecostes immediate sequentes prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad reparationem hujusmodi manus porrexerint adjutrices, annuatim singulis videlicet festivitatum et celebritatis unum annum et quadraginta dies, octavarum vero ipsarum et predictorum sex dierum diebus, quibus dictam ecclesiam visitaverint et manus porrexerint adjutrices, ut prefertur, centum dies de injunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Presentibus post decennium minime valituris. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XII Kl. Novembris, anno quinto.

Reg. Av. T. 16, *f.* 454ᵛ.

1847. *1367, Octobris 26, Romae ap. S. Petrum.*

(Johanni) episcopo Traj. mandatur, ut pro Hildeghero Vamstave milite Coloniensi, quem nonnulli summa 3300 aureorum mutonum spoliarunt, causam audiat et decernat.

Venerabili fratri .. episcopo Trajectensi salutem *etc.*

Exhibita nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Hildegheri Vanistane [1]) militis Coloniensis petitio continebat, quod cum olim dilectus filius nobilis vir Lodovicus de Namurco miles Leodiensis diocesis tria milia et trecentos aureos, mutones vulgariter nuncupatos, boni auri et legitimi ponderis, in quibus idem Lodovicus dicto Hildeghero ex causa legitima tenebatur, dilecto filio Alardo de Paylor militi Coloniensis diocesis, legitimo procuratori et nomine procuratorio dicti Hildegheri recipienti, infra ambitum ecclesie loci fratrum ordinis Minorum opidi Aquisgrani dicte Leodiensis diocesis realiter persolvisset et litterarum obligatoriarum super hujusmodi debito confectarum restitutio dicto Lodovico sufficienter facta et earum cancellatio subsecuta fuissent, dilecti filii nobiles viri Godefridus de Gronsfelt et Wirricus de Weydaberg milites dicte Leodiensis diocesis et nonnulli tam burgenses de opido memorato quam alii ac dictorum Godefridi et Wirrici familiares et complices in hac parte, quorum nomina eidem Hildighero, ut asserit, erant et sunt prorsus ignota, armata manu ad ecclesiam concurrentes eandem, dictum procuratorem prefata pecunie summa, quam secum habebat, infra dictum ambitum ausu sacrilego per violentiam spoliarunt et eam secum asportarunt. Quare pro parte ipsius Hildegheri fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur, ipsius Hildegheri supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hincinde propositis, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura judicii quod justum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellacione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VII Kl. Novembris, anno quinto.

Reg. Av. T. 16, *f.* 506.

1) Legendum potius videtur: Vamstave.

1848. *1367, Octobris 27, (Romae ap. S. Petrum).*

Johanni Spycman de Asperen clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto Traj. dioec. confertur tabellionatus officium.

Ne contractuum memoria.... Dat. Avinione *(sic)*, VI Kl. Novembris, anno quinto.

Reg. Av. T. 16, *f.* 539v.

1849. *1367, Novembris 10, Romae ap. S. Petrum.*

Johannes de Hilleghem monachus, in sacerdotii ordine constitutus, praeficitur in abbatem monasterii Egmondensis, cnjus abbatia dudum apostolicae sedis donationi reservata fuit et nunc per obitum Hugonis (de Assendelft) ultimi abbatis vacare noscitur. — Cujus nominationis conventus et vassalli certiores redduntur.

Dilecto filio Johanni de Hilleghem (abbati) monasterii Egmondensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Trajectensis diocesis, salutem *etc.*

Circa statum ecclesiarum.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII Id. Novembris, pontificatus nostri anno sexto.

In e. m. dilectis filiis conventui monasterii Egmondensis *etc. ut supra.*

In e. m. dilectis filiis universis vassallis monasterii Egmondensis *etc. ut supra.*

Reg. Av. T. 17, *f.* 130v.

1850. *1367, Novembris 22, Romae ap. S. Petrum.*

Francisco episcopo Aurasicensi conceditur facultas, tabellionatus officium conferendi Reynero de Bruenic et Theoderico Gruitbudel de Embrica clericis non conjugatis nec in sacris ordinibus constitutis Traj. dioec.

Ne contractuum.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, X Kl. Decembris, anno sexto.

Reg. Av. T. 19, *f.* 544.

1851. *1367, Decembris 3, Romae ap. S. Petrum.*

Johanni (de Hilleghem) abbati Egmondensi conceditur, quod a quolibet antistite Catholico, gratiam et communionem sedis apostolicae habente, munus benedictionis recipere valeat.

Cum nuper monasterio.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III Non. Decembris, anno sexto.

Reg. Av. T. 17, *f.* 480.

1852. *1367, Decembris 7, Romae ap. S. Petrum.*

Symoni Henrici de Zierixe confertur parochialis ecclesia de Riethem Traj. dioec., vacans ex eo quod Petrus de Levenberch decanatum ecclesiae b. Mariae Traj. obtinuit, et 15 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores, inter quos Nicholaus de Patella et Johannes Dankardi de Mare canonici Traj.

Laudabilia probitatis.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VII Id. Decembris, anno sexto.

Reg. Av. T. 17, *f.* 252.

1853. *1367, Decembris 12, Romae ap. S. Petrum.*

Infrascriptis mandatur, ut Johanni Wilde de Dotinchem clerico Traj. dioec., Nicolai S. Mariae in Via Lata diaconi Cardinalis capellano, notario et secretario, conferant praeposituram S. Martini Embricensis, a Johanne de Hoernen clerico Leod. dioec. per complures annos indebite occupatam et 25 marcarum argenti valorem annuum non excedentem.

Dilectis filiis .. preposito sancte Marie et .. sancti Salvatoris ac .. sancti Petri Trajectensium decanis ecclesiarum salutem *etc.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II Id. Decembris, anno sexto.

Reg. Av. T. 17, *f.* 346r.

1854. *1367, Decembris 30, Romae ap. S. Petrum.*

Johanni Judoci Triests clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto Traj. dioec. confertur tabellionatus officium.

Ne contractuum.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III Kl. Januarii, anno sexto.

Reg. Av. T. 17, *f.* 418r.

1855. *1367, Decembris 30, Romae ap. S. Petrum.*

Rasoni de Barsalia [1]) *nobili militi Traj. dioec. conceditur licentia, habendi altare portatile.*

Sincere devotionis.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III Kl. Januarii, anno sexto.

Reg. Av. T. 17, *f.* 478.

1) Borselen.

1856. *1367, Decembris 30, Romae ap. S. Petrum.*

Eidem indulgetur, quod in locis interdicto suppositis sibi et familiaribus suis domesticis Missam aliaque divina officia privatim celebrari facere valeat.

Devocionis tue.... Dat. *ut supra.*

Ibidem.

1857. *1368, Martii 9, Romae ap. S. Petrum.*

Johanni de Mandra confertur altera portio parochialis ecclesiae S. „Willebrodi" *de Hulst Traj. dioec., quam cum Nicolao de Caburco pro parochiali ecclesia S. Benedicti* „Bevenersi" [1]) *Parisiensis dioec. putavit permutandam. — Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VII Id. Marcii, anno sexto.

Reg. Av. T. 17, *f.* 248.

1) Legendum videtur: Bevernensi.

1858. *1368, Martii 27, (Romae ap. S. Petrum).*

Infrascriptis mandatur, ut praepositum, archidiaconum et capitulum ecclesiae Traj. ad redditus canonicatus, praebendae et thesaurariae, quas Raynaldus tit. S. Adriani diaconus Cardinalis in dicta ecclesia ex dispensatione obtinet apostolica, eidem Raynaldo integre solvendos efficaciter compellant.

Dilectis filiis .. preposito Uticensis et .. decano sancte Crucis Leodiensis ac magistro Guidoni de Baysio, canonico Mutinensis ecclesiarum, capellano nostro, salutem *etc.*

Ad regendum universalis.... Dat. Avinione *(sic)*, VI Kl. Aprilis, anno sexto.

Reg. Av. T. 18, *f.* 402v. Quod folium partim abscissum, partim maditie corruptum est, ita ut sensum ex tetro fragmento et ex rubrica colligere oportuerit.

1859. *1368, Aprilis 13, Romae ap. S. Petrum.*

Guillermo episcopo Sabinensi conferuntur canonicatus, praebenda et thesauraria, in ecclesia b. Mariae Traj. vacantes per obitum Johannis de Ysel-steyn et die 8 Martii 1363 donationi sedis apostolicae reservatae. — Deputantur executores.

Dum ad personam.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, Id. Aprilis, anno sexto.

Reg. Av. T. 17, *f.* 236r.

1860. *1368, Aprilis 20, Romae ap. S. Petrum.*

Wilhelmo de Amersfordia clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto Traj. dioec. confertur tabellionatus officium.

Ne contractuum.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XII Kl. Maji, anno sexto.

Reg. Av. T. 17, *f.* 422.

1861. *1368, Aprilis 21, Romae ap. S. Petrum.*

Gotfrido de Smalbruch conferuntur canonicatus et praebenda cum supplemento, in ecclesia Traj. vacantes per obitum Egidii Waspar literarum apostolicarum scriptoris. — Deputantur executores.

Nobilitas generis.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XI Kl. Maji, anno sexto.

Reg. Av. T. 17, *f.* 333.

1862. *1368, Maji 9, Romae ap. S. Petrum.*

Guillermo episcopo Sabinensi canonicatus, praebenda et thesauraria in ecclesia b. Mariae Traj. ipsi collatae de novo confirmantur, cum a nonnullis dubitetur, quominus dicta beneficia tunc ad dispositionem sedis apostolicae revera spectaverint.

Dum ad personam tuam.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VII Id. Maji, anno sexto.

Reg. Av. T. 17, *f.* 514r.

1863. *1368, Maji 25, ap. Montemflasconem.*

Godefrido de Nersdom Guillermi episcopi Sabinensis notario et in artibus magistro conferuntur canonicatus, praebenda cum supplemento et decanatus, in ecclesia b. Petri Traj. per obitum Tilmanni (Oem) apostolicae sedis capellani vacantes et 250 florenorum auri valorem annuum non excedentes. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. apud Montemflesconem *(sic)* Balneoregensis diocesis, VIII Kl. Junii, anno sexto.

Reg. Av. T. 17, *f.* 263.

1864. *1368, Junii 13, ap. Montemflasconem.*

Edewardo duci Ghelriae conceduntur literae confessionales.

Benigno sunt.... Dat. apud Montemflasconem *etc.*, Id. Junii, anno sexto.

Reg. Av. T. 17, *f.* 487v.

1865. *1368, Julii 19, ap. Montemflasconem.*

Infrascriptis mandatur, ut Ulrico Giselberti de Dypenhem in artibus magistro, qui diu in facultate theologiae Parisiis studuit, conferant canonicatum et praebendam, in ecclesia S. Johannis Traj. dudum per obitum Petri de Sanctomichaele vacantes. [1]

Dilectis filiis .. majoris et .. sancti Petri Trajectensis decanis ac .. Guillermo Baronis canonico Constanciensis ecclesiarum salutem *etc.*

Litterarum scientia.... Dat. apud Montemflasconem, XIIII Kl. Augusti, anno sexto.

Reg. Av. T. 17, *f.* 300v.

1) Cfr. supra numm. 1702 et 1822.

1866. *1368, Junii 23, ap. Montemflasconem.*

(Johanni) episcopo Traj. mandatur, ut in capella b. Dionysii villae de Steenwykerwold quamdam personam idoneam, quae super incolis dictae villae curam gerat animarum iisque Sacramenta ecclesiastica administret, rectorem instituat.

Venerabili fratri .. episcopo Trajectensi salutem *etc.*

Justis petentium votis, per que divini nominis cultus possit augeri, benivolum impertimur assensum illaque libenter favore prosequimur oportuno. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum universitatis Stywikerawald tue diocesis nobis exhibita continebat, quod villa ipsa, que infra parrochiam ecclesie Styenwich [1]) dicte tue diocesis consistit, a dicta ecclesia adeo remota fore dinoscitur, quod homines dicte ville oportuno tempore ad eandem ecclesiam pro divinis audiendis, presertim cum inter ecclesiam et villam hujusmodi paludes et duo rivuli aque fortiter currentes existant, accedere nequeunt et hominibus ipsis in extremis positis propter loci distantiam et hujusmodi aquarum pericula Corporis Christi et extreme Unctionis et Penitentie et alia ecclesiastica Sacramenta administrari non possint et sic homines ipsi sine perceptione hujusmodi Sacramentorum moriuntur, et quod est periculosius, pueri parvuli ex causis predictis sine Baptismo sepius moriuntur. Et insuper homines ipsi, licet predicte aque congelate fuerint aut tempore estivali decreverint, tamen dictam ecclesiam, que inter tirannos et generationes perversas, sub quorum dominio dicta villa de Stywikerwald non est sita, consistit, propter tirannos ipsos, qui Dei timore

postposito etiam in dicta ecclesia nonnullos homines ville predicte dudum ceperunt et eos, donec se redimerent, tormentis exposuerunt, visitare non audent. Quare pro parte dictorum universitatis nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum predicta parrochialis ecclesia in redditibus habundet *(sic)* ipsiusque universitas in predicta villa quandam capellam sub vocabulo beati Dionisii, certa dote assignata, de tui licencia construi fecerint, que adhuc rectorem non habet, providere eis super premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, si vocatis dicte ecclesie rectore pro tempore existente et aliis, qui fuerint evocandi, premissa repereris veritate fulciri, in eadem capella, sublato cujuslibet appellationis articulo, ad presentationem dicti rectoris personam ydoneam, que curam animarum singularum personarum dicte ville de Stywikerawald in omnibus gerat et habeat et eis ecclesiastica Sacramenta quecunque per rectores parrochialium ecclesiarum suis parrochianis ministrari solita ministret, dote sufficienti per dictos universitatem in premissis primitus realiter assignata, in rectorem instituas. Si vero prefatus rector personam ydoneam ad dictam capellam tibi presentare distulerit vel te in premissis voluerit impedire, tu nichilominus eandem capellam persone ydonee, que hujusmodi curam gerat et ecclesiastica Sacramenta ministret, ut prefertur, dicta dote primitus assignata, appellatione remota, conferre et assignare procures. Provideas tamen, ut in ipsa capella pro facultate loci matri ecclesie competens honor servetur; contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Dat. apud Montemflasconem Balneoregensis diocesis, VIIII Kl. Julii, pontificatus nostri anno sexto.

Reg. Av. T. 19, *f.* 390ᵛ.

1) Steenwijk.

1867. *1368, Julii 28, ap. Montemflasconem.*

Godefrido de Nersdom in decretis baccalaureo conferuntur canonicatus et praebenda cum supplemento, in ecclesia Traj. vacantes per obitum Tilmanni „de Strienz“ [1]) *apostolicae sedis capellani. — Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Dat. apud Montemflasconem, V Kl. Augusti, anno sexto.

Reg. Av. T. 17, *f.* 293ᵛ.

1) Legendum videtur: de Stryen; cfr. supra num. 1654.

1868. *1368, Augusti 3, (ap. Montemflasconem).*

Goswino de Doetinghem rectori altaris S. Barbarae siti in ecclesia de Doetinghem, in artibus magistro, reservatur beneficium conferendum a capitulo ecclesiae b. Mariae Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores, inter quos Stephanus de Everdinghen canonicus Traj.

Honestatis et scientie.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis *(sic)*, III Non. Augusti, anno sexto.

Reg. Av. T. 18, *f.* 98v.

1869. *1368, Augusti 17, ap. Montemflasconem.*

Olivero de Malle intuitu Petri tit. S. Anastasiae presbyteri Cardinalis pro suo familiari supplicantis conferuntur canonicatus et praebenda, in ecclesia S. Lebuini Daventriensi per obitum Nicolai episcopi Tusculani vacantes et 10 marcarum argenti valorem annuum non excedentes. — Deputantur executores.

Laudabilia probitatis.... Dat. apud Montemflasconem, XVI Kl. Septembris, anno sexto.

Reg Av. T. 19, *f.* 484.

1870. *(1367, a die Novembris 6 usque ad diem Novembris 5 an. 1368).*

Bernardo sancte Romane ecclesie presbytero Cardinali providetur de prepositura cum canonicatu sub expectatione prebende ecclesie sancti Lebuini Davantriensis Trajectensis diocesis.

Ita legitur Reg. Av. T. 18, *f.* 2, *n°* 4 *in rubrica literarum anni sexti, quae deficiunt.*

1871. *1368, Novembris 19, Romae ap. S. Petrum.*

Swedero (Uterlo) praeposito Traj. indulgetur, quod in locis interdicto suppositis Missam aliaque divina officia privatim celebrare vel sibi suisque familiaribus celebrari facere valeat.

Devotionis tue.... Dat. Rome apud Sanctum Petrùm, XIII Kl. Decembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 20, *f.* 408.

1872. *1368, Decembris 29, Romae ap. S. Petrum.*

Frederico dicto Capellaen clerico confertur perpetuum in ecclesia S. Salvatoris Traj. beneficium, 35 florenorum auri valorem annuum non excedens vacansque ex eo, quod Henricus dictus Emont vigore literarum apostolicarum, quibus ipsi dudum beneficium a decano et capitulo S. Johannis Traj. conferendum fuit reservatum, ecclesiam parochialem „de Busichen" [1]) *Traj. dioec. pacifice obtinuit.*

Multiplicia probitatis.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, IIII Kl. Januarii, anno septimo.

Reg. Av. T. 21, *f.* 350.

1) Beusecom in Gelria.

1873. *1369, Martii 10, Romae ap. S. Petrum.*

Everardo de Wede subdiacono, rectori parochialis ecclesiae „in Vourst" [1]) *Traj. dioec., indulgetur, quod studio literarum insistendo infra triennium sacerdotii ordinem suscipere non teneatur.*

Exigentibus virtutum.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VI Id. Marcii, anno septimo.

Reg. Av. T. 20, *f.* 459.

1) Voorst in Gelria.

1874. *1369, Maji 11, ap. Montemflasconem.*

Decano ecclesiae S. Donatiani Brugensis mandatur, ut Petro de Platea canonico ecclesiae S. Johannis Traj., in artibus magistro, reservet beneficium conferendum ab episcopo Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens.

Dignum arbitramur.... Dat. apud Montemflasconem, V Id. Maji, anno septimo.

Reg. Av. T. 20, *f.* 345.

1875. *1369, Maji 18, ap. Montemflasconem.*

(Johanni) episcopo Leodiensi mandatur, ut pro abbate et conventu Egmondensibus, qui summam 300 mutonum auri a Bernardo Mathesii tamquam collectore decimae Carolo (IV) imperatori concessae injuste sibi extorqueri conquesti sunt, causam audiat et fine debito terminet.

Venerabili fratri .. episcopo Leodiensi salutem *etc.*

Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum abbatis et conventus monasterii Egmondensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Benedicti, Trajectensis diocesis, peticio continebat, quod licet dudum dilecti filii majoris et collegiatarum ecclesiarum civitatis Trajectensis prelati (et) capitula pro se et toto clero civitatis et diocesis Trajectensium cum dilecto filio Bernardo Mathesii canonico Nemausensi, ordinis sancti Augustini, nuncio super colligendis decimis per nos carissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatori semper augusto per totam Alamanniam concessis [1]) auctoritate apostolica

deputato, post multas altercationes inter eos occasione dictarum decimarum habitas pro certa summa pecunie eidem Bernardo persolvenda concordaverint dictique prelati et capitula hujusmodi summam et ultra a dilectis filiis clero civitatis et diocesis receperint ac iidem abbas et conventus monasterii Egmondensis hujusmodi decimam secundum ratam eos contingentem seu secundum formam in litteris nostris super hujusmodi concessione dicte decime confectis contentam solvere parati fuerint et sint etiam de presenti, tamen dictus Bernardus seu sui in hac parte delegati ac prelati et capitula supradicti a prefatis abbate et conventu trecentos mutones auri extorquere, licet dictum eorum monasterium ad multum minus sit taxatum, et ad hoc eos pretextu processuum contra non solventes dictam decimam et eorum occasione emissorum coartare nituntur. Quare pro parte dictorum abbatis et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum ipsi ad solvendum hujusmodi trecentos mutones auri non sufficiant, providere eis super premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hincinde propositis simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura judicii quod justum fuerit appellatione remota decernas, faciens quod decreveris auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere; nos obstantibus, si eisdem prelatis et capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. apud Montemflasconem, XV Kl. Junii, anno septimo.

Reg. Av. T. 20, *f.* 477.

1) Cfr. supra num. 1834.

1876. *1369, Maji 22, ap. Montemflasconem.*

Pro abbate et conventu monasterii Egmondensis infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis Vliederlacensis *(sic)* [1]) et sancti Michaelis Antwerpiensis Leodiensis et Cameracensis diocesium monasteriorum abbatibus ac decano ecclesie sancti Martini Leodiensis salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. apud Montemflasconem, XI Kl. Junii, anno septimo.

Reg. Av. T. 20, *f.* 394.

1) Vlierbeeck.

1877. *1369, Junii 2, ap. Montemflasconem.*

Ocko abbas monasterii S. Odulphi in Stauria in capellanum sedis apostolicae gratiose recipitur.

Virtutibus clarens.... Dat. apud Montemflasconem, IIII Non. Junii, anno septimo.

Reg. Av. T. 21, *f.* 504.

1878. *1369, Julii 11, ap. Montemflasconem.*

Machario de Benthem clerico de soluta et soluta genito non obstante hoc natalium defectu confertur beneficium, dormitorii officium nuncupatum, jam antea [1] *ipsi reservatum in ecclesia Traj. — Deputantur executores.*

Laudabilia probitatis.... Dat. apud Montemflasconem, V Id. Julii, anno septimo.

Reg. Av. T. 21, *f.* 312.

1) Cfr. supra num. 1841.

1879. *1369, Julii 20, ap. Montemflasconem.*

Johanni Wolteri de Arnhem baccalaureo in decretis confertur parochialis ecclesia „de Erinchem" [1] *Traj. dioec. 20 marcarum argenti annuum valorem non excedens et nunc vacans per obitum Egidii Britonis in curia defuncti. — Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Non obstantibus .... quod canonicatum et prebendam ecclesie sancti Petri Trajectensis nosceris obtinere.... Dat. apud Montemflasconem, XIII Kl. Augusti, anno VII.

Reg. Av. T. 20, *f.* 322r.

1) Erichem vel Erkum in Gelria.

1880. *1369, Septembris 5, Viterbii.*

Johanni de Platea in artibus et medicina magistro conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia S. Johannis Traj., quas cum Petro de Platea pro similibus in ecclesia S. Donatiani Brugensi beneficiis putavit permutandas. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Viterbii, Non. Septembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 21, *f.* 311.

1881. *1369, Octobris 19, Romae ap. S. Petrum.*

Wigero de Depenbroche [1] *de potenti militia genito conferuntur canonicatus et praebenda cum supplemento, in ecclesia Traj. vacantes per obitum Godefridi de Nersdom in curia defuncti; quae tamen cum obtinuerit, ecclesiam parochialem* „de Gronlo" [2] *Monasteriensis dioec., super qua litigat, omnino dimittat. — Deputantur executores.*

Nobilitas generis.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XIIII Kl. Novembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 20, *f.* 255.

1) Diepenbroek. 2) Groenlo.

1882. *1369, Octobris 30, Romae ap. S. Petrum.*

Abbati monasterii S. S. Petri et Pauli Paderburnensis mandatur, ut Johanni de Oldendorp clerico Maguntinensis dioec. conferat perpetuam sine cura capellaniam, vicariam nuncupatam, altaris S. Johannis Evangelistae in ecclesia S. Petri Traj., vacantem per obitum Theoderici de Lederdamme [1] *in curia defuncti.*

Dignum arbitramur.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III Kl. Novembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 20, *f.* 329.

1) Leerdam.

1883. *1369, Octobris 30, Romae ap. S. Petrum.*

Gerardo de Veno conferuntur canonicatus, praebenda et thesauraria in ecclesia b. Mariae Traj. vacantes per obitum Guillermi episcopi Sabinensis. — Deputantur executores, inter quos Lubertus Bolle canonicus Traj.

Nobilitas generis.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III Kl. Novembris, anno septimo.

Reg. Av. T. 21, *f.* 364.

1884. *1370, Februarii 27, Romae ap. S. Petrum.*

Frederico dicto Capellaen, a civitate Traj. oriundo, intuitu Johannae reginae Siciliae, pro suo servitore supplicantis, indulgetur, quod postquam perpetuum beneficium, praebendam animarum vulgariter nuncupatum, in ecclesia S. Salvatoris Traj. ipsi collatum assecutus fuerit, parochialem ecclesiam de Marsen [1]*, cujus redditus 25 florenorum auri valorem annuum non excedunt, licite retinere valeat.* [2]

Vite ac morum.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III Kl. Marcii, anno VIII.

Reg. Av. T. 23, *f.* 362.

1) Maarssen prope Ultrajectum. 2) Cfr. supra num. 1872.

1885. *1370, Martii 1, Romae ap. S. Petrum.*

Magistro Petro Villani camerae apostolicae auditori mandatur, ut Johanni de Ausilhaco et Petro Kof nato quondam Petri Balduini de Mare, clericis Lemovicensis et Trajectensis dioec., tabellionatus officium conferat.

Ne contractuum.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, Kl. Martii, anno octavo.

Reg. Av. T. 23, *f.* 308v.

1886. *1370, Martii 19, Romae ap. S. Petrum.*

Hermanno Rost de Boecheim baccalaureo in decretis et in jure canonico studenti conferuntur canonicatus et decanatus, in ecclesia S. Petri Traj. vacantes per obitum Godefridi de Nersdom [1]) *Guillermi episcopi Sabinensis capellani, in curia defuncti; cujus decanatus redditus 200 florenorum auri valorem annuum non excedunt. — Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, XIIII Kl. Aprilis, anno octavo.

Reg. Av. T. 22, *f.* 115.

1) Codex habet: de Nersdorm.

1887. *1370, Maji 4, ap. Montemflasconem.*

Johanni de Ambrevilla conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae S. Johannis Traj., quas cum Johanne de Platea pro similibus in ecclesia S. Walburgis Furnensis Morinensis dioec. putavit permutandas. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. apud Montemflasconem, IIII Non. Maji, pontificatus nostri anno octavo.

Reg. Av. T. 22, *f.* 169.

1888. *1370, Maji 11, ap. Montemflasconem.*

Gerardo de Bronchorst, „qui, ut asseritur, in jure bene sentis", *conferuntur canonicatus, praebenda et thesauraria, in ecclesia S. Salvatoris Traj. per obitum Johannis Grawaert vacantes et die 1 Augusti an. 1369 donationi sedis apostolicae reservatae; quas tamen cum obtinuerit, praepositoram ecclesiae S. Petri Traj., de qua ipsi, literis autem super hoc nondum confectis, provisum est, omnino dimittat. — Deputantur executores, inter quos Hugo Uustinc canonicus Traj.*

Vite ac morum.... Non obstantibus .... quod canonicatum et prebendam ecclesie sancti Petri Trajectensis nosceris obtinere.... Dat. apud Montemflasconem, V Id. Maji, anno octavo.

Reg. Av. T. 23, *f.* 189v.

1889. *1370, Maji 28, ap. Montemflasconem.*

Swedero Uterlo praeposito Traj. conceditur licentia habendi altare portatile.

Sincere devotionis.... Dat. apud Montemflasconem, V Kl. Junii, anno VIII.

Reg. Av. T. 22, *f.* 545v.

1890. *1370, Junii 20, ap. Montemflasconem.*

Swedero de Apcoude, domino loci de Gaesbeke Traj. dioec., indulgetur, quod in locis interdicto suppositis Missam aliaque divina officia sibi privatim celebrari facere valeat.

Sincere devotionis.... Dat. apud Montemflasconem, XII Kl. Julii, anno octavo.

Reg. Av. T. 23, *f.* 367v.

1891. *1370, Julii 14, ap. Montemflasconem.*

Pro Petro de Velde praeposito et archidiacono ecclesiae S. Johannis Traj. infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis sancte Marie Trajectensis et sancti Martini Leodiensis ac sancte Marie Trajectensis Leodiensis diocesis ecclesiarum decanis salutem *etc.*

Sane dilecti filii.... Dat. apud Montemflasconem, II Id. Julii, anno VIII.

Reg. Av. T. 22, *f.* 340v.

1892. *1370, Novembris 12, Avenionis.*

Girardo de Porta quaedam Clementis papae VI literae [1]*, quarum originales casualiter sunt amissae, e registro de verbo ad verbum descriptae transmittuntur iisdemque parem quam ipsis originalibus fidem adhibendam esse declaratur.*

Provisionis nostre.... Dat. Avinione, II Id. Novembris, anno nono.

Reg. Av. T. 23, *f.* 506.

1) Supra num. 1349.

GREGORIUS XI (1370—1378.)

1893—1894. *1371, Januarii 5, Avenionis.*

A. *Goswino dicto Cremer confirmatur perpetua capellania in parochiali ecclesia de Haghe Traj. dioec., quae ipsi dudum, cum per obitum Bertholdi Vleghel in curia defuncti vacasset, die 22 Augusti an. 1363, literis tamen desuper non confectis, ab Urbano papa V collata est; cujus quidem capellaniae annui fructus 40 florenorum auri valorem non excedunt.*

B. *Gerardo de Bronchorst, in jure canonico provecto, confirmantur canonicatus et praebenda in ecclesia S. Petri Traj., quae dudum ipsi, cum per obitum Egidii Britonis in curia defuncti vacassent, literis tamen desuper non confectis, ab Urbano papa V collatae sunt. — Pro utroque deputantur executores.*

Racioni congruit.... Dat. Avinione, Non. Januarii, pontificatus nostri anno primo.

Regesta Avenionensia Gregorii papae XI T. 3, *f.* 193 *et T.* 10, *f.* 423.

1895. *1371, Januarii 6, Avenionis.*

Reynero de Braemt [1], *in utroque jure baccalaureo et in artibus provecto, confertur canonicatus et reservantur praebenda et supplementum necnon dignitas, personatus seu officium in ecclesia Traj. — Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, VIII Id. Januarii, pontificatus nostri anno primo.

Reg. Av. T. 3, *f.* 392.

1) Braamt, vicus in Gelria.

1896. *1371, Januarii 9, Avenionis.*

Guillermo de Lacu, in legibus licentiato, in decretis baccalaureo et in partibus Alamanniae Sedis Apostolicae nuncio, conferuntur canonicatus et reservantur praebendae necnon dignitates, personatus seu officia in ecclesiis Leodiensi, Trajectensi et Cathalaunensi. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, V Id. Januarii, pontificatus nostri anno primo.

Reg. Av. T. 3, *f.* 441.

1897. *1371, Januarii 11, Avenionis.*

Gerardo Droem in artibus magistro, Hugonis tit. S. Mariae in Porticu diaconi Cardinalis familiari, confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia Traj. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, III Id. Januarii, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 172v.

1898—1901. *1371, Januarii 11, Avenionis.*

A. *Theodorico Polleyn procuratori Hugonis S. Mariae in Porticu diaconi Cardinalis confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia b. Mariae Traj.*

B. *Dankardo Bays* „de Wyfliet" [1]) *subdiacono, ejusdem Cardinalis cubiculario, similiter providetur in ecclesia S. Salvatoris Traj.*

C. *Henrico dicto Standart ejusdem Cardinalis familiari similiter providetur in ecclesia Daventriensi.*

D. *Stephano Heron de Bellomonte in eadem ecclesia similiter providetur. — Pro singulis deputantur executores, inter quos pro D. Robertus de Dronghelen canonicus Traj.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, III Id. Januarii, anno primo.

Reg. Av. scilicet A *T.* 7, *f.* 151; B *f.* 277; C *f.* 295v; D *T.* 8, *f.* 95v.

1) Wijtvliet, antea flumen in Zelandia.

1902. *1371, Januarii 12, Avenionis.*

Reynaldo Reynaldi de Noviomago confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia b. Mariae Traj. — Deputantur executores.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, II Id. Januarii, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 43v.

1903. *1371, Januarii 12, Avenionis.*

Adolpho nato quondam Henrici dicti Vridach militis, Johannis tit. S. Marci presbyteri Cardinalis familiari, confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia S. Salvatoris Traj.

Nobilitas generis.... Dat. Avinione, II Id. Januarii, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 91.

1904. *1371, Januarii 13, Avenionis.*

Henrico de Reich, Petri tit. S. Mariae in Transtiberim presbyteri Cardinalis familiari, confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia S. Salvatoris Traj. — Deputantur executores.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, Id. Januarii, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 465.

1905. *1371, Januarii 16, Avenionis.*

Amelio de Wolde ad supplicationem Henrici Castellae et Legionis regis confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia b. Mariae Traj.

Vite ac morum.... Dat. Avinione, XVII Kl. Februarii, pontificatus nostri anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 294.

1906. *1371, Januarii 25, Avenionis.*

Johanni Habbonis canonico ecclesiae S. Salvatoris Traj. conferendum reservatur beneficium cum cura, spectans ad dispositionem praepositi ejusdem ecclesiae et 25 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, VIII Kl. Februarii, anno primo.

Reg. Av. T. 6, *f.* 169.

1907. *1371, Januarii 25, Avenionis.*

Reynaldo de Drinen clerico Traj. dioec. conferendum reservatur simile beneficium, spectans ad dispositionem capituli Daventriensis. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Dat. Avinione, VIII Kl. Februarii, anno primo.

Reg. Av. T. 6, *f.* 652.

Anno 1376 idem Reynaldus de Drinen verosimiliter hujus reservationis titulo jus sibi vindicavit ad ecclesiam parochialem de Swolle, super qua cum capitulo Daventriensi ad pontificalem usque curiam acrem sustinuit litem, uti videre est ex diplomate apud Dumbar Kerkelijk en wereltlijk Deventer I. 345 et seqq.

1908. *1371, Januarii 26, Avenionis.*

Huberto Lamberti „de Eynspist" [1]) *diacono Traj. dioec. reservatur simile beneficium, conferendum a capitulo S. Petri Traj. — Deputantur executores, inter quos Ghiselbertus Uustinc* [2]) *canonicus Traj.*

Vite ac morum.... Dat. Avinione, VII Kl. Februarii, anno primo.

Reg. Av. T. 15, *f.* 510.

1) Enspijk in Gelria. 2) Codex habet: Uustuc.

1909. *1371, Januarii 27, Avenionis.*

(Arnoldo) episcopo Traj. mandatur, ut Wernero de Puteo pauperi presbytero, qui altare S. Petri in ecclesia S. Lebuini Daventriensi ultra 15 libras Turon. parvorum annuatim non valens dumtaxat obtinet, de alio adhuc beneficio, si quod ad dispositionem monasterii Prumiensis spectans et cum cura 20, sine cura vero 15 marcharum argenti valorem annuum non excedens in civitate vel dioecesi Traj. vacaverit, provideri faciat.

Dilecti filii Werneri.... Dat. Avinione, VI Kl. Februarii, pontificatus nostri anno primo.

Autographum in archivo civitatis Arnhemensis arca 35, *cum sigillo plumbeo, chordulis cannabinis appenso; in plica inferiori intus:* P. Pāpil, *et extra:* G. Blaverii, *super quo nomine scriptum est:* Bene per omnia; *a tergo:* R.

P. Nijhoff Inventaris 37*, *ubi erronee sub die* 26 *Januarii an.* 1370.

Harum literarum auctoritate Bernardus Heyinc scholasticus ecclesiae S. Lebuini Daventriensis, judex in hac parte subdelegatus, eidem Wernero provideri fecit de ecclesia parochiali Arnhemensi die 20 Aprilis an 1373, Everardo de Heze curato b. Mariae, Johanne Nauta, Ghevehardo de Hildeshem, Wolberto Pardijs perpetuis vicariis b. Lebuini Daventriensium ecclesiarum praesentibus testibus; — autographum ibidem, in charta membranea, scriptum per Lambertum Randen clericum Traj. dioec., notarium publicum. Cfr. P. Nijhoff Inventaris 42*.

1910. *1371, Januarii 27, Avenionis.*

Gerardo Groete, „qui, ut asseris, in artibus, duodecim anni sunt elapsi, magister fuisti et in legibus ac aliis speculativis scientiis diu studuisti", *confertur canonicatus et reservantur praebenda et supplementum in ecclesia Traj. — Deputantur executores.*

Dilecto filio Gerardo Groete canonico Trajectensi, magistro in artibus, salutem *etc.*

Litterarum scientia.... Non obstantibus ... quod canonicatum et prebendam ecclesie sancte Marie de Aquisgrani Leodiensis (diocesis) nosceris obtinere [1]).... Dat. Avinione, VI Kl. Februarii, anno primo.

In e. m. dilectis filiis sacriste secularis sancti Agricoli Avinionensis et

Arnoldo de Collario Coloniensis ac Theoderico de Campis Monasteriensis canonicis ecclesiarum salutem *etc.*

Reg. Av. T. 5, *f.* 180.

1) Cfr. supra num. 1721.

1911—1912. *1371, Januarii 27, Avenionis.*

A. *Praeposito ecclesiae S. Johannis Traj. mandatur, ut Johanni Walteri de Arnhem, baccalaureo in decretis et in artibus magistro, conferat canonicatum, praebendam vero et supplementum reservet in ecclesia Traj.; quibus tamen beneficiis obtentis idem Johannes parochialem ecclesiam de Erinchem Traj. dioec. dimittat.*

B. *Eidem mandatur, ut Theoderico de Ysselsteyn canonico ecclesiae S. Mariae Hagensis Traj. dioec., magistro in artibus et in jure canonico scholari, reservet beneficium conferendum a capitulo S. Petri Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens.*

Dignum arbitramur.... Non obstantibus ... quod dictus Johannes canonicatum et prebendam dicte ecclesie beati Petri ... noscitur obtinere.... Dat. Avinione, VI Kl. Februarii, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 258 *et T.* 9, *f.* 172v.

1913—1928. *1371, Januarii 27, Avenionis.*

A. *Henrico Monic clerico Traj. dioec., magistro in artibus, reservatur beneficium conferendum a capitulo S. Petri Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens.*

B. *Item Henrico de Brandenborch clerico Traj. dioec., magistro in artibus et baccalaureo in decretis.*

C. *Item Ghiselberto Boc capellano in parochiali ecclesia* „de Eten" [1]) *Traj. dioec., licentiato in decretis.*

D. *Jacobo de Wissem de Campen clerico Traj. dioec., in artibus magistro, reservatur simile beneficium conferendum a capitulo b. Mariae Traj.*

E. *Arnoldo Langhe clerico Traj. dioec., in utroque jure licentiato, reservatur simile beneficium conferendum a capitulo S. Salvatoris Traj.*

F. *Dankardo Henrici de Brilis* [2]) *clerico Traj. dioec., magistro in artibus, reservatur simile beneficium conferendum ab abbate et conventu monasterii Egmondensis.*

G. *Petro Michaelis de Leyden canonico ecclesiae S. Pancratii Leydensis, baccalaureo in legibus, reservatur simile beneficium conferendum a capitulo Daventriensi.*

H. *Heynrico dicto de Lecca clerico Traj. dioec., magistro in artibus, reservatur simile beneficium conferendum a praeposito Elstensi.*

I. *Bernardo de Cellario canonico S. Johannis Traj., baccalaureo in medicina, a sedecim annis magistro in artibus, qui in sacra theologia diu Parisiis studuit, simile reservatur beneficium conferendum ab abbate et conventu S. Pauli Traj.*

K. *Rodolpho Taem clerico Traj. dioec., magistro in artibus, simile reservatur beneficium conferendum a praeposito Traj.*

L. *Gerardo Cod de Leyden perpetuo capellano in parochiali ecclesia de Alfen Traj. dioec., magistro in artibus, reservatur simile beneficium conferendum ab abbate et conventu S. Pauli Traj.*

M. *Petro Ghetumanni dicto Hollant, clerico Traj. dioec., simile reservatur beneficium conferendum ab abbate et conventu monasterii Midde(l)burgensis.*

N. *Johanni dicto de Leyenbergh clerico Traj. dioec., magistro in artibus, simile reservatur beneficium conferendum a capitulo S. Petri Traj.*

O. *Johanni* „de Jughen" [3]) *de Lederdamme, magistro in artibus, simile reservatur beneficium conferendum a capitulo S Johannis Traj.*

P. *Johanni Gerardi presbytero, rectori parochialis ecclesiae* „de Dosa" [4]) *Traj. dioec., baccalaureo in decretis, simile reservatur beneficium conferendum ab abbatissa et conventu monasterii Reynsburgensis.* [5])

Q. *Wilhelmo dicto Ziel perpetuo capellano in parochiali ecclesia de Niwenvene* [6]) *Traj. dioec., magistro in artibus, simile reservatur beneficium conferendum a capitulo Aldensalensi. — Deputantur executores, inter quos pro J. Stephanus de Everdinghen et Wilhelmus Buser canonici Traj., pro K. Johannes de Tule* [7]) *canonicus Traj.*

Honestatis et.... Dat. Avinione, VI Kl. Februarii, anno primo.

Reg. Av. scilicet A *et* B *T.* 6, *f.* 635v; C *f.* 641; D *f.* 639; E *f.* 642; F *f.* 645; G *f.* 655; H *f.* 660v; I *T.* 9, *f.* 249v; K *f.* 286v; L *f.* 310v; M *f.* 355; N *f.* 386; O *f.* 397v; P *f.* 411; Q *T.* 10, *f.* 174.

1) Etten in Gelria. 2) Brielle.
3) Legendum videtur: de Ingen, cujus nominis est pagus quidam in Gelria.
4) Huis-Ter-Does prope Leydam? 5) Codex habet: Reysenburgensis. 6) Nieuwveen.
7) Tuil in Gelria.

1929—1934. *1371, Januarii 27, Avenionis.*

A. *Cancellario ecclesiae Parisiensis mandatur, ut Wilhelmo de Wadenoy clerico Traj. dioec., magistro in artibus,* „qui, ut asserit, in eisdem artibus rexit et per tres alios annos in sacra theologia studuit," *conferat canonicatum, praebendam vero et supplementum reservet in ecclesia Daventriensi.*

B. *Officiali Parisiensi mandatur, ut Harnaldo Egidii de Emelisse, perpetuo capellano capellae hospitalis pauperum de Emelisse* [1]) *Traj. dioec., magistro in artibus* „qui etiam, ut asserit, a tribus annis citra in theologia scolaris existit et in eisdem artibus Parisius rexit et librum ethicorum legit," *similiter provideri faciat in ecclesia S. Salvatoris Traj.*

C. *Eidem mandatur, ut Johanni Braxatoris perpetuo capellano in ecclesia Traj., in artibus magistro,* „qui, ut asserit, in eisdem artibus Parisius actu regit," *similiter provideri faciat in ecclesia b. Mariae Traj.*

D. *Cancellario ecclesiae Parisiensis mandatur, ut Henrico de Thenis*[2]) *clerico Traj. dioec., magistro in artibus et in sacra theologia per tres jam annos studenti, reservet beneficium conferendum a capitulo S. Petri Traj. et cum cura 25, sine cura vero 16 marcarum argenti valorem annuum non excedens.*

E. *Abbati monasterii S. Genovefae Parisiensis mandatur, ut Nicolao Scattere clerico Traj. dioec., magistro in artibus, in medicina baccalaureo et in theologia studenti, conferat canonicatum et reservet praebendam in ecclesia S. Johannis Traj.*

F. *Officiali Traj. mandatur, ut Wilhelmo Buser subdiacono, ecclesiae Traj. canonico praebendato, in artibus magistro et in medicina baccalaureo, qui* „in decretis per quattuor annos et amplius studuit quique in eadem medicina legendo cursum suum complevit et dudum universitatis studii Parisiensis rector fuit", *similiter provideri faciat in ecclesia b. Mariae Traj.*

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, VI Kl. Februarii, anno primo.

Reg. Av. scilicet A *T.* 7, *f.* 205; B *f.* 212; C *f.* 214; D *T.* 9, *f.* 236; E *T.* 7, *f.* 363v; F *f.* 383.

1) Olim pagus in Zelandia. 2) Probabiliter Teerns, vicus in Frisia.

1935—1943. *1371, Januarii 27, Avenionis.*

A. *Rodolpho de Dodenwerke*[1]) *clerico Traj. dioec., magistro in artibus et in theologia studenti, reservatur beneficium conferendum a capitulo S. Salvatoris Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens.*

B. *Helyae de Oerde clerico Traj. dioec., magistro in artibus et in facultate theologica studenti, reservatur simile beneficium conferendum a capitulo S. Johannis Traj.*

C. *Item Roberto de Creyc*[2]) *clerico Traj. dioec., magistro in artibus.*

D. *Jacobo Scaernier clerico Traj. dioec., magistro in artibus et in jure canonico studenti, simile reservatur beneficium conferendum a capitulo S. Salvatoris Traj.*

E. *Martino Jacobi clerico Traj. dioec., magistro in artibus, reservatur simile beneficium conferendum a praeposito S. Salvatoris Traj.*

F. *Galtero Ghiselberti clerico Traj. dioec., magistro in artibus, simile reservatur beneficium conferendum a capitulo Daventriensi.*

G. *Johanni Pugel magistro in artibus et in medicina studenti confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia S. Petri Traj.*

H. *Petro Ellici de Zerixze*[3]) *magistro in artibus similiter providetur in ecclesia S. Lebuini Daventriensi.*

I. *Wilhelmo Zuermont presbytero, baccalaureo in decretis et in artibus a 17 jam annis magistro, rectori parochialis ecclesiae in Brakel Traj. dioec., ultra 25 florenos auri annuatim non valentis, similiter providetur in ecclesia S. Johannis Traj. — Pro singulis deputantur executores, inter quos pro B. Theodericus de Jutfaes et Ghiselbertus de Walenborch canonici Traj., pro C. Lubbertus Bolle et Everardus Foec canonici Traj., pro I. Wilhelmus Buser canonicus Traj.*

Litterarum et scientia.... Dat. Avinione, VI Kl. Februarii, anno primo.

Reg. Av. scilicet A *T.* 6, *f.* 349v; B *T.* 9, *f.* 105v; C *f.* 126; D *f.* 247v; E *f.* 292v; F *f.* 534; G *T.* 7, *f.* 228v; H *f.* 244v; I *f.* 393v.

1) Dodewaard vel Dodewert, pagus in Gelria.
2) Creecke, antea officium in Sutbevelandia. 3) Zierikzee.

1944. *1371, Januarii 27, Avenionis.*

Johanni Blancheynen, de soluto et soluta genito, confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia b. Mariae Traj. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Non obstantibus ... quod parrochialem ecclesiam in Culenborch Trajectensis diocesis nosceris obtinere.... Dat. Avinione, VI Kl. Februarii, anno primo.

Reg. Av. T. 7, *f.* 391r.

1945. *1371, Januarii 28, Avenionis.*

Rodolpho Koc de Yssenderen, nato quondam Willermi domini castri de Yssenderen [1]*, canonico ecclesiae Traj., in jure civili licentiato, reservatur dignitas, personatus seu officium in eadem ecclesia. — Deputantur executores.*

Nobilitas generis.... Dat. Avinione, V Kl. Februarii, anno primo.

Reg. Av. T. 3, *f.* 501r.

1) Yzendoorn, nunc pagus in Gelria.

1946. *1371, Januarii 28, Avenionis.*

Hugoni Wilhelmi in utroque jure baccalaureo confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia S. Mariae Traj.; quae tamen cum obtinuerit, perpetuam capellaniam in „de Helloe" [1] *et custodiam in de Alcmaria ecclesiis parochialibus Traj. dioec. dimittat. — Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Non obstantibus ... quod octavam porcionem parrochialis ecclesie sancti Livini de Zirixze ... nosceris obtinere.... Dat. Avinione, V Kl. Februarii, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 273v.

1) Heilo.

1947. *1371, Januarii 28, Avenionis.*

Abbati Egmundensi mandatur, ut Petro Livini presbytero, in jure canonico baccalaureo, conferat canonicatum et praebendam cum supplemento reservet in ecclesia S. Salvatoris Traj.; quae tamen cum idem Petrus obtinuerit, ecclesiam parochialem „de Burdam" *Traj. dioec., cujus rector nunc existit, omnino dimittat.*

Dignum arbitramur.... Non obstantibus ... quod in ecclesia Begutarum *(sic)* predicte diocesis perpetuam capellaniam sancte Catherine noscitur obtinere.... Dat. Avinione, V Kl. Februarii, anno primo.

Reg. Av. T. 5, *f.* 731.

1948—1953. *1371, Januarii 28, Avenionis.*

A. *Huberto Molghin de Broich* [1], *in legibus licentiato et in decretis baccalaureo, confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento necnon dignitas, personatus seu officium in ecclesia Traj.*

B. *Petro Lupi in medicina et in artibus magistro, qui per viginti annos in theologia studuit et actu Parisiis regit, similiter providetur in ecclesia S. Salvatoris Traj.*

C. *Item Theodorico Bonnic in legibus licentiato.*

D. *Ludolpho de Altinis magistro in artibus confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia Embricensi.*

E. *Nicolao Riquardi in legibus baccalaureo et in quarto anno legendi jura civilia existenti similiter providetur in ecclesia Traj.*

F. *Ghiselberto de Campo rectori capellae S. Spiritus, quae ultra 20 florenos auri annuatim non valet, Traj. dioec., baccalaureo in legibus, reservatur beneficium conferendum a capitulo b. Mariae Traj. et cum cura 25, sine cura vero 16 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Pro singulis deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, V Kl. Februarii, anno primo.

Reg. Av. scilicet A *T.* 2, *f.* 104; B *f.* 207; C *T.* 3, *f.* 435; D *T.* 7, *f.* 166v; E *f.* 480v; F *T.* 9, *f.* 257v.

1) Broek, cujus nominis varii in nostra patria loci.

1954—1963. *1371, Januarii 28, Avenionis.*

A. *Praeposito ecclesiae S. Johannis Traj. mandatur, ut Bertoldo de Rowenhove* [1] *subdiacono, canonico ecclesiae S. Salvatoris Traj., in utroque jure baccalaureo, a 19 annis magistro in artibus et in facultate decretorum Parisiis actu legenti, conferat canonicatum et reservet praebendam in ecclesia S. Mariae Traj.*

B. *Eidem mandatur, ut Arnoldo de Trichen perpetuo capellano in capella de Trichen,* [2] *sita in parochiali ecclesia de Malsen Traj. dioec., in artibus magistro et in decretis scholari, similiter provideri faciat.*

C. *Eidem mandatur, ut Johanni de Beeseghoem* [3] *perpetuo in ecclesia Traj. vicario, de genere militum procreato, similiter provideri faciat in ecclesia Traj.*

D. *Eidem mandatur, ut Johanni de Maersen clerico Traj. dioec., magistro in artibus et per duos circiter annos in decretis studenti, reservet beneficium conferendum ab abbate et conventu monasterii Egmondensis et cum cura 25, sine cura vero 16 marcarum argenti valorem annuum non excedens.*

E. *Eidem mandatur, ut Ghiselberto Hey clerico Traj. dioec., baccalaureo in decretis, simile reservet beneficium conferendum a capitulo S. Salvatoris Traj.*

F. *Eidem mandatur, ut Hermanno de Welle*[4]) *presbytero, canonico ecclesiae b. Georgii Amersfordensis, in decretis scholari et in artibus baccalaureo simile reservet beneficium conferendum a capitulo S. Salvatoris Traj.*

G. *Officiali Trajectensi mandatur, ut Reginaldo de Vianen clerico Traj. dioec., in artibus magistro,* „qui, ut asseritur, de nobili genere procreatus et in legibus in secundo sue audicionis anno scolaris existit", *conferat canonicatum, praebendam vero et supplementum reservet in ecclesia Traj.*

H. *Eidem mandatur, ut Nicholao Lamberti presbytero, rectori octavae portionis parochialis ecclesiae S. Livini in Zirixzee*[5]), *baccalaureo in decretis, similiter provideat in ecclesia S. Petri Traj.*

I. *Praeposito Trajectensi mandatur, ut Rodolpho Deslern clerico Traj. dioec.,* „qui, ut asseritur, scolaris in legibus et in tercio anno audiendi leges ipsas existit", *reservet beneficium conferendum a capitulo S. Johannis Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens.*

K. *Johanni de Tuul*[6]) *canonico Traj. mandatur, ut Brinoni Willermi clerico Traj. dioec. simile reservet beneficium conferendum a capitulo ecclesiae Traj.*

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, V Kl. Februarii, anno primo.

Reg. Av. scilicet A *T.* 5, *f.* 706; B *T.* 7, *f.* 246; C *f.* 273v; D *T.* 9, *f.* 236v; E *f.* 288; F *f.* 322; G *T.* 6, *f.* 85; H *f.* 123; I *T.* 9, *f.* 176; K *f.* 477v.

1) Ruwenhof. 2) Tricht. 3) Beusecom, singuli loci in Gelria.
4) Welle, antea dominium in Zelandia. 5) Codex habet: Zirixz. 6) Tuil in Gelria.

1964. *1371, Januarii 28, Avenionis.*

Officiali Aurelianensi mandatur, ut Adamo Hobonis de Catwyc presbytero, in decretis baccalaureo et in artibus magistro, „qui, ut asserit, in tertio anno lecture decretalium existit", *conferat canonicatum, praebendam vero et supplementum reservet in ecclesia S. Petri Traj.; quae tamen cum dictus Adam obtinuerit, perpetuum beneficium, matriculariae nomine, quod in parochiali ecclesia de Delf(t) occupat, omnino dimittere tenebitur.*

Dignum arbitramur.... Non obstantibus ... quod idem Adam medietatem parrochialis ecclesie de Emelisse .... noscitur obtinere.... Dat. Avinione, V Kl. Februarii, anno primo.

Reg. Av. T. 6, *f.* 81v.

1965. *1371, Januarii 28, Avenionis.*

Vranconi nato quondam Gheraerdi de Ryswic, perpetuo capellano in ecclesia S. Petri de Leyden, magistro in artibus, reservatur beneficium conferendum a praeposito Traj. et cum cura 25, sine cura vero 16 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Honestatis et morum.... Dat. Avinione, V Kl. Februarii, anno primo.
Reg. Av. T. 6, *f.* 655.

1966—1968. *1371, Januarii 28, Avenionis.*

A. *Johanni nato Wilhelmi Britonis, perpetuo capellano b. Mariae in ecclesia Everswaerd*[1]) *Traj. dioec.*, „qui, ut asseris, de diocesi Trajectensi oriundus existis et scolaris in legibus per duos annos vel circiter extitisti", *reservatur beneficium conferendum ab abbate S. Pauli Traj. et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens; quod tamen cum obtinuerit, dictam capellaniam dimittat.*

B. *Raynaldo Godefridi de Edingwerden*[2]) *clerico Traj. dioec. reservatur simile beneficium conferendum a capitulo Daventriensi.*

C. *Mathiae Petri presbytero Traj. dioec. simile reservatur beneficium conferendum ab abbate et conventu monasterii Middelburgensis. — Pro singulis deputantur executores.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, V Kl. Februarii, anno primo.
Reg. Av. scilicet A *T.* 6, *f.* 254; B *T.* 9, *f.* 161v; C *f.* 410.

1) Antea pagus in Sutbevelandia.
2) Engwierum, cui antiquum etiam nomen Edygwerum, pagus in Frisia.

1969—1972. *1371, Januarii 28, Avenionis.*

A. *Nicholao Martini*, „qui, ut asseris, in legibus scolaris in tercio tue audicionis anno existis et per biennium jura canonica audivisti", *confertur canonicatus et reservatur praebenda in ecclesia S. Johannis Traj.*

B. *Wenmaro ten Goye magistro in artibus et in theologia scholari similiter providetur in ecclesia S. Johannis Traj.*

C. *Jacobo Johannis Bierwisch in jure civili scholari similiter providetur in ecclesia S. Mariae Traj.*

D. *Petro Wilhelmi de Scoenhovia*[1]) *subdiacono, in legibus per duos jam annos scholari, similiter providetur in eadem ecclesia. — Pro singulis deputantur executores.*

Vite ac morum.... Dat. Avinione, V Kl. Februarii, pontificatus nostri anno primo.
Reg. Av. scilicet A *T.* 6, *f.* 131; B *T.* 7, *f.* 130; C 211v; D *f.* 348.

1) Schoonhoven.

1973. *1371, Januarii 29, Avenionis.*

Alberto dicto Bestke de Tila, in artibus magistro et in medicina scholari, confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia S. Salvatoris Traj. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, IIII Kl. Februarii, anno primo.
Reg. Av. T. 6, *f.* 96.

1974. *1371, Januarii 29, Avenionis.*

Henrico dicto Buimre clerico Traj. dioec., in medicina scholari, reservatur beneficium conferendum a capitulo b. Mariae Traj. et cum cura 25, sine cura 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, IIII Kl. Februarii, anno primo.
Reg. Av. T. 6, *f.* 288.

1975. *1371, Januarii 29, Avenionis.*

Cancellario ecclesiae Parisiensis mandatur, ut Waltero Johannis de Delf clerico Traj. dioec., magistro in artibus et per tres annos in medicina studenti, reservet beneficium conferendum ab abbate et conventu monasterii Egmundensis et cum cura 25, sine cura vero 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, IIII Kl. Februarii, anno primo.
Reg. Av. T. 6, *f.* 622.

1976. *1371, Januarii 29, Avenionis.*

Alfardo dicto de A, clerico Traj. dioec., magistro in artibus, reservatur simile beneficium conferendum a capitulo S. Salvatoris Traj. — Deputantur executores, inter quos Everardus Foec canonicus Traj.

Honestatis et scientie.... Dat. Avinione, IIII Kl. Februarii, anno primo.
Reg. Av. T. 9, *f.* 189.

1977. *1371, Januarii 31, Avenionis.*

Pro ecclesia parochiali S. Mariae in Biervliet ad XX annos nonnullae indulgentiae conceduntur, certis quibusdam diebus festivis lucrandae.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem *etc.*
Licet is, de cujus.... Cupientes itaque, ut ecclesia parrochialis sancte Marie in Biervlied *(sic)* Trajectensis diocesis, in qua, sicut asseritur, in festo As-

sumptionis beate Marie consuetum est fieri processionem solempnem ac feretrum ymaginis ejusdem beate Marie una cum magna parte preciosi ligni Crucis dominici et lactis ipsius beate Marie et aliis quampluribus Sanctorum et Sanctarum reliquiis cum devotione portari, congruis honoribus frequentetur, ... omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrexionis, Ascensionis et Corporis Domini nostri Jhesu Christi ac Pentecostes, necnon in Nativitatis, Annunciationis, Purificacionis et Assumptionis ejusdem beate Marie Virginis, Nativitatis beati Johannis Baptiste, dictorum Apostolorum Petri et Pauli ac ipsius ecclesie Dedicacionis festivitatibus et in celebritate Omnium Sanctorum necnon per ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrexionis, Ascentionis *(sic)* et Corporis Domini ac Nativitatis (et) Assumptionis beate Marie ac Nativitatis beati Johannis ac Petri et Pauli Apostolorum predictorum festivitatum octavas et per sex dies dictam festivitatem Pentecostes immediate sequentes ecclesiam ipsam devote visitaverint et ibidem pias elemosinas erogaverint, singulis videlicet festivitatum et celebritatis unum annum et XL dies, ac octavarum ipsarum et sex dierum predictorum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint et ubi pias elomosinas erogaverint, ut prefertur, C dies de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus; presentibus post XX annos minime valituris. Dat. Avinione, II Kl. Februarii, pontificatus nostri anno primo.

Reg. Av. T. 1, *f.* 355v.

1978. *1371, Februarii 14, Avenionis.*

Officiali Cameracensi mandatur; ut Alberto de Merteen [1]) *presbytero, canonico praebendato ecclesiae Traj. in eadem ecclesia supplementum reservet.*

Dignum arbitramur.... Non obstantibus ... quod parrochialem ecclesiam de Thienhoven Trajectensis diocesis noscitur obtinere.... Dat. Avinione, XVI Kl. Martii, anno primo.

Reg. Av. T. 6, *f.* 342v.

1) Meerten in Gelria.

1979. *1371, Februarii 17, Avenionis.*

Ghiselberto de Horwinen [1]), *qui per quatuor annos in jure canonico studuit, confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia Traj. — Deputantur executores.*

Vite ac morum.... Dat. Avinione, XIII Kl. Marcii, anno primo.

Reg. Av. T. 7, *f.* 548v.

1) Herwijnen in Gelria.

1980—1981. *1371, Martii 6, Avenionis.*

A. *Willermo de Wyc in artibus magistro, qui, cum Petrus Rochus olim canonicus matrimonium contraxisset, canonicatum et praebendam ecclesiae S. Johannis Traj. obtinuit et, postquam Petrus Jacobi de Campostella presbyter Traj. dioec., qui propterea in curia diu litigavit, quodlibet jus sibi competens resignaverat, pacifice eadem possidet beneficia, haec de novo confirmantur, perinde ac Petrus de Sancto Michaele, ejusdem Petri Rochi praedecessor, apostolicae sedis familiaris non fuisset.* [1])

B. *Volkero dicto Yseren in decretis baccalaureo et in artibus magistro confertur canonicatus et reservantur praebenda necnon dignitas, personatus seu officium in ecclesia Traj. — Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, II Non. Marcii, anno primo.
Reg. Av. A *T.* 1, *f.* 501v; B *T.* 3, *f.* 558.

1) Cfr. supra numm. 1702, 1817, 1822.

1982. *1371, Martii 9, Avenionis.*

Johanni de Blesis domino loci de Scoenhove Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, VII Id. Martii, anno primo.
Reg. Av. T. 8, *f.* 228v.

1983. *1371, Martii 15, Avenionis.*

Gerardo de Veno, cui Urbanus papa V de canonicatu, praebenda et thesauraria ecclesiae b. Mariae Traj. provisit [1]), *conceditur etiam supplementum, de quo praefatis in literis per inadvertentiam nulla erat mentio facta; quod tamen cum obtinuerit, praeposituram Arnhemensem dimittere tenebitur.*

Nobilitas generis.... Dat. Avinione, Id. Marcii, anno primo.
Reg. Av. T. 2, *f.* 422.

1) Cfr. supra num. 1883.

1984. *1371, $\frac{\text{Januarii 29}}{\text{Martii 16}}$, Avenionis.*

Gerardo de Rupe in legibus baccalaureo conferuntur canonicatus, praebenda et praepositura ecclesiae S. Salvatoris Traj., „quas ex concessione et dispensatione sedis apostolice tempore, quo divina faciente gratia fuimus ad apicem summum apostolatus assumpti, obtinebamus" [1]). — *Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, IIII Kl. Februarii, anno primo.

Reg. Av. T. 3, *f.* 276 *et iterum T.* 4, *f.* 82ᵛ, *ubi:* Dat. Avinione, XVII Kl. Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

1) Cfr. supra num. 1185.

1985—1986. *1371, Aprilis 5, Avenionis.*

A. *Willelmo (V) comiti Hannoniae (etc.),* „qui, ut asseritur, gravi infirmitate detentus" *est, datur licentia habendi altare portatile, super quo in sua et decem familiarium domesticorum praesentia per idoneum sacerdotem Missam aliaque divina officia celebrari facere valeat.*

B. *Eidem indulgetur, quod in sua et decem familiarum praesentia Missam aliaque divina officia in locis ecclesiastico suppositis interdicto celebrari facere valeat.*

Sincere devotionis affectus.... Dat. Avinione, Non. Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

A. *Reg. Av. T.* 2, *f.* 259.
Saint-Genois Monumens anciens I. 300*; *Devillers Cartulaire II.* 570. n° 746, *uterque secundum autographum in archivo Montis Hannoniae.*
B. *Saint-Genois l. c.**; *Devillers l. c.* 571. n° 747*, *uterque secundum autographum ibidem.*

1987. *1371, Aprilis 5, Avenionis.*

Capella b. Mariae Virginis in Haga erigitur in collegiatam cum duodecim canonicis et uno decano; eidem capellae confirmantur bona, ab Alberto duce Bavariae ejusque uxore Margarita assignata, atque regulae statuuntur.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romani pontificis providencia circumspecta hiis, que pro divini cultus augmento et animarum fidelium salute provide facta sunt, ut illibata consistant, robur libenter adicit apostolice firmitatis et circa illa quandoque, prout hoc expedire conspicit, nonnulla salubria et utilia statuit et disponit. Sane peticio pro parte dilecti || filii nobilis viri Alberti ducis et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Margarite ducisse Bavarie nobis nuper exhibita continebat, quod olim ipsi, cupientes terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutare, ad honorem Dei omnipotentis et beate Marie virginis matris ejus ac pro divini cultus augmento suorumque et progenitorum suorum animarum salute, statuerunt et ordinarunt, quod in capella beate Marie in Haga parcium Holandie Trajectensis diocesis, in qua, ut asserunt, quatuor canonici et quatuor prebende necnon quatuor perpetui vicarii seu capellani esse consueverunt, et que capella de patronatu ipsorum ducis et ducisse fore dinoscitur, ac de reliquiis ligni sancte Crucis et sancte Corone Spinee Salvatoris domini nostri Jhesu Christi mirifice decorata

existit, extunc imposterum essent duodecim canonici et unus [1]) decanus, qui illis preesset et una cum eisdem canonicis capitulum faceret, et quatuordecim prebende, quarum dictus decanus duas et quilibet ex eisdem canonicis unam prebendas haberet, et pro dote hujusmodi prebendarum per eos noviter ordinatarum et augmento dictarum quatuor prebendarum, quarum quidem quatuor prebendarum fructus, redditus et proventus ad ducenta et quinquaginta scuta auri ascendunt annuatim, appropriarunt, donarunt, cesserunt et perpetuo assignarunt eisdem decano, canonicis et capelle predia et allodia ac bona infrascripta, ad eosdem ducem et ducissam justo titulo pertinencia, ex quibus septingenta et viginti scuta auri antiqua perpetui redditus percipiuntur annuatim, plenum jus proprietatis et dominii ac utilitatis ad ducem et ducissam predictos in ipsis prediis et allodiis ac bonis pertinens in eosdem decanum et canonicos ac capellam penitus transferentes. Videlicet predium, quod vulgariter de Bankhen nuncupatur, et aliud predium eidem contiguum, vocatum de Andele, et alia quatuor predia predictis duobus contigua et immediate adjacentia, videlicet de Groetevinckencamp [2]), de Cleynevinckencamp [3]), de Zijp et de Campebudenhecke, confrontata a parte orientali prediis arabilibus communitatis ville Arenecomitis et a parte meridionali rivo seu fluvio vocato Mosa et a parte occidentali scopulis maris Oceani et a parte septentrionali ville, que Zidde communiter nuncupatur, ac aream seu allodium situm in opido de Leyden parcium Hollandie, confrontatum circumquaque fossatis ipsius opidi et extra illa cum careriis publicis ipsius opidi, necnon aliud predium situm in parrochia de Haerlem, vulgariter de Perrieke nuncupatum, confrontatum a parte orientali rivo communiter de Speern nuncupato, a parte vero meridionali silve de Haerlem et a parte occidentali vie publice, qua itur ad silvam predictam, et a parte aquilonari fossatis opidi Haerlem, ac eciam predium, situm in parrochia de Gouda, quod fuit quondam Wilhelmi de Tuyle militis et ad eosdem ducem et ducissam per ipsius militis obitum legitime extitit devolutum, quod extenditur in longum juxta rivum, Gouda communiter appellatum, et cum aliis confrontacionibus ipsius. Et insuper donarunt et assignarunt dux et ducissa predicti pro augmento et pro dote hujusmodi ducenta scuta auri antiqua annuatim in festo beati Martini yemalis *(sic)* de bonis, terris et prediis suis, vocatis Vroenteghtest parcium Westfrisie per ipsos decanum et canonicos a thesaurario eorundem ducis et ducisse et successorum suorum parcium Kenemarie pro tempore levandos et percipiendos ac per dictum thesaurarium in dicto festo eisdem decano et canonicis dandos et solvendos. Voluerunt tamen dux et ducissa antedicti, quod quandocunque tantum et amplius in aliis bonis et prediis, redditibus, censibus seu proventibus eisdem decano et canonicis per eosdem ducem et ducissam aut heredes vel successores eorum imposterum assignatum, traditum seu datum realiter foret et ipsi decanus et canonici de hoc forent contenti, quod extunc dux et ducissa ac heredes et successores et thesaurarius predicti a solucione et dacione dictorum ducentorum scutorum antiquorum annuatim essent liberi et penitus absoluti, jus presentandi ydoneas personas eisdem decano et capitulo ad hujusmodi prebendas dicto duci et heredibus ac successoribus suis comitibus Hollandie pro tempore perpetuo retinendo, ac nonnulla alia circa premissa statuerunt et ordinarunt licet de facto, prout in litteris auctenticis *(sic)* inde confectis dictorum ducis et ducisse sigillis munitis plenius continetur. Quare pro

parte eorumdem ducis et ducisse nobis fuit humiliter supplicatum, ut premissis robur confirmacionis adicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, hujusmodi supplicacionibus inclinati, donacionem et appropriacionem, cessionem et assignacionem predictas pro dictis dote et augmento, ut premittitur, factis, necnon hujusmodi retencionem jurium presentandi et presentacionis predictorum rata habentes et grata, illas auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Ceterum, quia alia per ipsos ducem et ducissam, ut premittitur, statuta et ordinata de jure viribus non subsistant, nos super hoc de benignitate apostolica providere volentes, eadem auctoritate statuimus et ordinamus, quod in dicta capella exnunc et imposterum sint et esse debeant tresdecim canonici, capitulum facientes, quorum unus sit decanus, qui eisdem canonicis presit et in dignitate constitutus existat et primum stallum in choro et primum locum et priorem vocem in capitulo et alias preminencias et honores consuetos habeat, ac quatuordecim prebende equales, inclusis in eis et computatis dictis quatuor prebendis antiquis, quarum idem decanus duas, que invicem unite existant, et quilibet dictorum canonicorum unam prebendas habeat, et quod prefati quatuor capellani seu vicarii fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obvencionibus ad ipsorum vicarias seu capellanias ab olim spectantibus et pertinentibus contenti existant, sicut prius. Statuimus eciam et ordinamus, quod decanus et capitulum supradicti personas ydoneas, cum eis per ducem vel heredes aut successores predictos canonice presentate fuerint, ad hujusmodi prebendas, cum vacabunt, in canonicos instituant et admittant, quodque electio decani dicte capelle, qui erit pro tempore, ad eosdem capitulum pertineat, qui quidem decanus, postquam ejus electio fuerit canonice confirmata, curam et administracionem dicte capelle ac personarum et bonorum predictorum prudenter et salubriter et alias secundum canonicas sanctiones studeat gubernare. Volumus eciam et statuimus auctoritate predicta, quod tam de redditibus et proventibus predictarum quatuor antiquarum prebendarum dicte capelle quam aliis predictis, sicut premittitur, donatis et assignatis eisdem decano et canonicis prebende sue exsolvantur in hunc modum, videlicet quod decanus, qui duas prebendas seu porcionem duarum prebendarum percipiet, pro grossis fructibus hujusmodi duarum prebendarum recipiat sexaginta scuta antiqua annuatim vel valorem eorum in moneta in partibus illis currenti, quilibet vero canonicus, in dicta capella residenciam faciens personalem, pro grossis fructibus sue prebende percipiat et habeat triginta scuta antiqua annuatim vel valorem eorum in moneta supradicta, residuum vero dictorum reddituum et proventuum ac bonorum aliorum detur et dividatur ac assignetur tam pro cotidianis distribucionibus decano et canonicis ipsis divinis officiis et horis interessentibus, quam pro defensionibus, necessitatibus et utilitatibus dicte capelle ac personarum et bonorum ipsius, prout dicti decanus et capitulum duxerint salubriter ordinandum; super quo eis potestatem plenariam elargimur, et quod, si aliquis canonicorum residenciam personalem in dicta capella facientium, infirmitatis dumtaxat necessitate excepta, se ab eadem capella aliqua divinarum diurnarum vel nocturnarum horarum absentaverit, porcione ipsum alias, si presens esset, contingente, de cotidianis distribucionibus omnino careat, que cedat ceteris in augmentum, quodque decanus predictus, cum personaliter divinis interfuerit, duplum illius, quod cuilibet canonicorum pro rata loco distribucionum continget, habeat et recipiat,

si vero absens fuerit, infirmitate seclusa, omnino hujusmodi distribucionibus careat, sicut canonici supradicti; quodque, si aliqui canonicorum predictorum residenciam personalem in dicta capella non fecerint, hujusmodi grossis fructibus et distribucionibus careant omnino, nichil percipientes ex eisdem nisi de speciali licentia decani pro tempore existentis et capituli predictorum, qui super hoc quo ad grossos fructus, non autem quo ad distribuciones cotidianas, que solvi debentur presentibus, ex certis causis racionabilibus, super quo ipsorum consciencias oneramus, possint dispensare et ipsis canonicis abessendi licenciam impertiri. Ad hec volumus ac eciam statuimus auctoritate predicta, quod decanus et singuli canonici, quos in dicta capella deinceps recipi contigerit, sint et esse debeant actu in sacerdocio constituti vel saltem infra annum a tempore receptionis sue computandum se faciant in presbyteros ordinari. Alioquin extunc eo ipso, legitimo tamen impedimento cessante, si decanus, decanatu, si vero canonicus fuerit, canonicatu et prebenda, quem vel quos in ipsa capella obtinebit, privatus, et ea vice dumtaxat inhabilis ad ipsum decanatum vel eosdem ca||nonicatum et prebendam denno consequendum seu consequendos existat. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostre confirmacionis, constitucionis, ordinacionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indigna||cionem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Avinione, Non. Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Autographum in archivo Status Hagae-Comitano, cum sigillo plumbeo filis sericis rubri flavique coloris appenso; inscriptio characteribus prolungatis; latere sinistro subscriptum est: LXXX / P. de Fargia; *in plica inferiori extra:* Rta / Armandus; *a tergo:* Martinus Florencii, *et paullo infra:* R.; *apographum saec. XV ibid. in chartul. capellae curialis fol.* 8v; *Reg. Av. T.* 1, *f.* 597.

De Riemer Beschrijving van 's Graven-hage I. I. 195.

Ipsum donationis diplomata, ab Alberto duce et Margaretha ducissa die 31 Dec. 1367 editum, apud de Riemer l. c. 189 et p. 193, ubi alia insuper documenta quamplura, capellam b. Mariae Hagae-Comitanam concernentia, praecedunt et sequuntur.

1) Autographum habet: vinis. 2) Reg. Av. habent: Groetivinkoncamp.
3) Ibidem: Cleynelimkencamp.

1988. *1371, Aprilis 5, Avenionis.*

Omnibus poenitentibus et confessis, qui capellam loci in Haga Traj. dioec., „in qua reliquie de ligno sancte Crucis et de sancta Corona spinea domini nostri Jhesu Christi fore noscantur", *diebus festivis supra num. 1977 indicatis devote visitaverint et ad ipsius capellae reparationem adjuverint, similes ac in num. laudato indulgentiae impertiuntur.*

Licet is, de cujus.... Presentibus post viginti annos minime valituris. Dat. Avinione, Non. Aprilis, anno primo.

Reg. Av. T. 1, *f.* 595v; *apographum saec. XV in archivo Status Hagae-Comitano, in chartul. capellae curialis fol.* 5v.

1989. *1371, Aprilis 5, Avenionis.*

Renaldo de Brederode nobili militi Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, Non. Aprilis, anno primo.

Reg. Av. T. 8, *f.* 407v.

1990. *1371, Aprilis 10, Avenionis.*

Willermo Vrieze nobili militi Traj. dioec. ad decennium indulgetur, quod in locis interdicto suppositis sibi et familiaribus suis Missam aliaque divina officia privatim celebrari facere valeat.

Sincere devotionis.... Dat. Avinione, IIII Id. Aprilis, anno primo.

Reg. Av. T. 9, *f.* 252r.

1991. *1371, Aprilis 10, Avenionis.*

Wilhermo Vrieze militi ejusque uxori Agneti, nobilibus Traj. dioec., conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, IIII Id. Aprilis, anno primo.

Reg. Av. T. 8, *f.* 250.

1992. *1371, Aprilis 10, Avenionis.*

Omnibus poenitentibus et confessis, qui parochialem ecclesiam „in Ummveghe *(sic)* Trajectensis diocesis, ad quam, sicut asseritur, causa devotionis etiam processionaliter magna confluit populi multitudo", *diebus festivis supra num. 1977 indicatis devote visitaverint, similes ac in num. laudato indulgentiae impertiuntur.*

Splendor paterne glorie.... Presentibus post viginti annos minime valituris. Dat. Avinione, IIII Id. Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Reg. Av. T. 2, *f.* 308r.

1993. *1371, Aprilis 12, Avenionis.*

Gondefrido de Ravensberg conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum, in ecclesia S. Petri Traj. vacantia per obitum Godefridi de Nersdom in curia defuncti. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Dat. Avinione, II Id. Aprilis, anno primo.
Reg. Av. T. 10, f. 292v.

1994. *1371, Aprilis 15, Avenionis.*

Pro Swedero Uterloe praeposito Traj. infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis .. sancti Laurencii in Oesbroec extra muros Trajectensis .. et Middelburgensis Trajectensis diocesis monasteriorum abbatibus ac .. decano ecclesie sancte Marie ad Gradus Coloniensis salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. Avinione, XVII Kl. Maji, anno primo.
Reg. Av. T. 8, f. 347.

1995. *1371, Aprilis 21, Avenionis.*

Omnibus poenitentibus et confessis, qui capellam ad honorem et sub vocabulo b. Mathiae Apostoli et b. Margaritae ac Omnium Sanctorum institutam infra hospitale pauperum, quod in civitate Trajectensi de novo est constructum, diebus festivis supra num. 1977 indicatis necnon praefatorum patronorum devote visitaverint et eleemosynas ad dictum hospitale erogaverint, similes ac in num. laudato indulgentiae impertiuntur.

Licet is, de cujus.... Dat. Avinione, XI Kl. Maji, anno primo.
Reg. Av. T. 2, f. 428.

1996. *1371, Aprilis 23, Avenionis.*

Wilhelmo Buer, cui parochialis ecclesia de Putten Traj. dioec., cum ex eo vacaret, quod Pelegrinus de Reno[1] *primo post assecutionem anno se non fecerit in presbyterum promoveri, a Johanne episcopo Traj. collata est, haec ecclesia confirmatur, perinde ac idem Pelegrinus sedis apostolicae familiaris non fuisset.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, VIIII Kl. Maji, anno primo.
Reg. Av. T. 2, f. 385v.

1) Cfr. supra num. 1234.

1997. *1371, Aprilis 24, Avenionis.*

Petro Jacobi perpetuo vicario parochialis ecclesiae in Oudekerke provisio ipsi facta de canonicatu et praebenda ecclesiae S. Petri Traj., per obitum Gerlaci de Doerinc vacantibus confirmatur, perinde ac idem Gerlacus sedis apostolicae familiaris non fuisset.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, VIII Kl. Maji, anno primo.

Reg. Av. T. 2, *f.* 243.

1998. *1371, Aprilis 26, Avenionis.*

Guidoni domino loci „de Scohenhove" [1]) *Traj. dioec. conceduntur literae confessionales.*

Benigno sunt.... Dat. Avinione, VI Kl. Maji, anno primo.

Reg. Av. T. 2, *f.* 259.

1) Schoonhoven.

1999. *1371, Aprilis 29, Avenionis.*

Petro de Velde decretorum doctori, praeposito S. Johannis et canonico b. Mariae Traj. ecclesiarum, confirmantur canonicatus, praebenda et supplementum ecclesiae Traj. ipsi ab Urbano papa V, cum per obitum Theoderici de Weyda vacassent, olim collata [1]), *perinde ac idem Theodericus apostolicae sedis familiaris non fuisset.*

Vite ac morum.... Dat. Avinione, III Kl. Maji, anno primo.

Reg. Av. T. 2, *f.* 430v.

1) Cfr. supra num. 1749.

2000. *1371, Maji 2, Avenionis.*

Stephano de Manher presbytero in artibus et jure provecto conferuntur canonicatus et praebenda, in ecclesia S. Petri Traj. vacantes per obitum Egidii Britonis in curia defuncti. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Dat. Avinione, VI Non. Maji, anno primo.

Reg. Av. T. 10, *f.* 306.

2001. *1371, Maji 7, Avenionis.*

Reynaldo Godefridi de Edingwerden dicto Scherpine clerico Traj. dioec. confertur tabellionatus officium.

Ne contractuum.... Dat. Avinione, Non. Maji, anno primo.

Reg. Av. T. 8, *f.* 629v.

2002. *1371, Maji 9, Avenionis.*

Stephano Heron de Bellomonte, cui canonicatus in ecclesia Daventriensi collatus et praebenda supplementumque ibidem per obitum Johannis de Nywennaer vacantia reservata fuerunt [1]*), haec provisio confirmatur, perinde ac idem Johannes sedis apostolicae familiaris non fuisset.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, VII Id. Maji, anno primo.

Reg. Av. T. 1, *f.* 423.

1) Cfr. supra num. 1901.

2003. *1371, Maji 26, Avenionis.*

Eduardus dux Gelriae monetur, ut de arreragiis [1]*) et fructibus praepositurae S. Salvatoris Traj. gentibus domini Papae integre satisfieri curet.*

Dilecto filio nobili viro Eduvardo duci Gelrie salutem *etc.*

Eximie devocionis sinceritas, quem *(sic)* ad nos (et) Romanam geris ecclesiam, spem ingerit indubiam cordi nostro, quod preces nostras tibi directas prosecutione laudabili adimplebis. Sane nuper accepimus, quod, cum nonnulla arreragia ratione preposituro ecclesie sancti Salvatoris Trajectensis, quam dudum, dum minori fungebamur officio, obtinebamus [2]), nobis debentur, arreragia ipsa propter aliqua impedimenta per gentes et officiales tuos tempore preterito super hoc apposita recuperare nequivimus et quod tu eciam, ab aliquibus circumventus, seu dicte gentes tue fructus ejusdem preposituro anni proximi nunc elapsi arrestari fecisti. Quocirca nobilitatem tuam nobis caram rogamus et hortamur in Domino, eam attentius deprecantes, quatinus pro nostra et apostolice sedis reverencia ac eciam tui honoris intuitu de omnibus hujusmodi arreragiis et fructibus dicte preposituro gentibus nostris integre satisfieri facias atque mandes, in hiis taliter te habendo, quod nos, qui te sincere diligimus, devotionem tuam dignis in Domino laudibus attollamus. Dat. Avinione, VII Kl. Junii, anno primo.

Reg. Av. T. 263, *f.* 53v.

1) Areragium = debitum, quod in jure Reliquum dicitur; ita Ducange i. v.
2) Cfr. supra num. 1185.

2004. *1371, Junii 2, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Hermanno dicto Peterman, cui hodie per alias literas de canonicatu et praebenda ecclesiae Daventriensis provisum est, conferant supplementum ibidem vacans per obitum Everhardi de Fossa.

Venerabili fratri .. episcopo Uticensi et dilectis filiis preposito Arnhemensis Trajectensis diocesis ac cantori Pictavensis ecclesiarum salutem *etc.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, IIII Non. Junii, anno primo.

Reg. Av. T. 3, *f.* 221.

2005—2007. *1371, Junii 2, Avenionis.*

A. *Volkero dicto Yseren canonico ecclesiae Daventriensis confertur decanatus ibidem per obitum Johannis de Nuenaer vacans et die 29 Martii proxime elapso collationi sedis apostolicae reservatus.*

B. *Gerardo de Veno canonico Traj. reservatur praepositura Arnhemensis, quae mox vacatura speratur, cum Volkerus dictus Yseren decanatus Daventriensis pacificam possessionem obtinuerit.*

C. *Hermanno dicto Peterman conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia Daventriensi vacantes per obitum Everhardi de Fossa et die 28 Martii proxime elapso dispositioni sedis apostolicae reservatae. — Pro singulis deputantur executores.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, IIII Non. Junii, anno primo.

Reg. Av. scilicet A *T.* 3, *f.* 338r; B *f.* 504r; C *T.* 10, *f.* 394.

2008. *1371, Junii 4, Avenionis.*

Theoderico Polleyn confirmantur canonicatus et praebenda, quas in ecclesia b. Mariae Traj. post obitum Johannis de Nuenaer obtinuit.

Vite ac morum.... Dat. Avinione, II Non. Junii, anno primo.

Reg. Av. T. 1, *f.* 526v.

2009. *1371, Junii 5, Avenionis.*

Symoni tit. S. Sixti presbytero Cardinalis confertur praepositura Daventriensis, vacans per obitum Bernardi Basilicae XII Apostolorum presbyteri Cardinalis. [1]) — *Deputantur executores.*

Dum ad personam.... Dat. Avinione, Non. Junii, pontificatus nostri anno primo.

Reg. Av. T. 4, *f.* 260.

1) Cfr. supra num. 1870.

2010. *1371, Junii 9, Avenionis.*

Johanni de Campostella canonico ecclesiae S. Petri Traj., qui olim ad ecclesiam parochialem de Heylighelo [1]) *Traj. dioec., per resignationem Theoderici Jutfaes vacantem, ab abbate Egmundensi praesentatus et ab archidiacono Traj. institutus fuerat., haec provisio confirmatur, perinde ac idem Theodericus apostolicae sedis familiaris non fuisset.*

Vite ac morum.... Dat. Avinione, V Id. Junii, anno primo.

Reg. Av. T. 1, *f.* 437.

1) Heilo.

2011. *1371, Junii 9, Avenionis.*

Reynaldo Reynaldi de Novi(o)magio, Raynaldi S. Adriani diaconi Cardinalis domestico, provisio ipsi facta [1]) *de canonicatu et praebenda ecclesiae b. Mariae Traj., per obitum Gerardi dicti de Pomeriis alias de Bongart vacantibus, confirmatur, perinde ac idem Gerardus sedis apostolicae familiaris non fuisset.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, V Id. Junii, anno primo.

Reg. Av. T. 2, *f.* 350.

1) Cfr. supra num. 1902.

2012. *1371, Julii 9, ap. Villamnovam.*

Arnoldus de Hoerne ecclesiae Trajectensi praeficitur in episcopum. — Cujus nominationis diversi, quorum interest, certiores redduntur et de obedientia, reverentia, favore eidem Johanni praestandis admonentur.

Dilecto filio Arnoldo de Hoerne electo Trajectensi salutem *etc.*

Suscepti cura regiminis cor nostrum continua pulsat instantia, ut solicitudinis debitum, ad quod universi orbis ecclesiis nos apostolice servitutis necessitas obligat, earum singulis, prout nobis ex alto conceditur, exolvamus, in eo potissime, ut illarum regimina, que propriis sunt destitute pastoribus, personis talibus committantur, per quorum solerciam circumspectam ecclesie ipse in spiritualibus et temporalibus valeant adaugeri. Dudum siquidem bone memorie Johanne episcopo Trajectensi regimini Trajectensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum ea vacatio contingeret, per operationis nostre ministerium utilem et ydoneam presidere personam, pro jurisdictione ejusdem ecclesie ea vice ordinacioni et disposicioni nostre duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum ejusdem Johannis episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione hujusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ejusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa prolixe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te canonicum ecclesie Coloniensis, in minoribus ordinibus dumtaxat constitutum, cui de litterarum scientia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium pro-

videncia et temporalium circumspectione aliisque virtutum meritis apud nos laudabilia fidedigna testimonia perhibe(n)tur, direximus oculos nostre mentis; quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, ipsi Trajectensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam et providenciam circumspectam sub tuo felici regimine, dextera Domini tibi assistente propitia, salubriter et prospere dirigetur et grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retribucionis premium benivolencie nostre graciam exinde ulterius consequi merearis. Dat. apud Villamnovam Avenionensis diocesis, VII Id. Julii, anno primo.

In e. m. dilectis filiis capitulo ecclesie Trajectensis salutem *etc.*

In e. m. dilectis filiis clero civitatis et diocesis Trajectensium salutem *etc.*

In e. m. dilectis filiis populo civitatis et diocesis Trajectensium salutem *etc.*

In e. m. dilectis filiis universis vassallis ecclesie Trajectensis salutem *etc.*

In e. m. venerabili fratri .. archiepiscopo Coloniensi salutem *etc.*

In e. m. carissimo in Christo filio Carolo Romanorum imperatori semper augusto salutem *etc.*

Reg. Av. T. 3, *f.* 64.

2013. *1371, Julii 10, ap. Villamnovam.*

Swedero Uterlo canonico ecclesiae Traj. reservatur omne jus Arnoldo (de Hoerne) electo Traj. competens in praeposituram et archidiaconatum ejusdem ecclesiae. — Deputantur executores.

Dilecto filio Swedero Uterlo canonico Trajectensi, salutem *etc.*

Honestas morum et vite aliaque multiplicia merita probitatis, super quibus apud nos fidedignorum commendaris testimonio, nos inducunt, ut personam tuam speciali prerogativa favoris et gracie prosequamur. Exhibita siquidem nobis pro parte tua peticio continebat, quod orta dudum inter te et dilectum filium Arnoldum electum Trajectensem super prepositura et archidiaconatu ecclesie Trajectensis invicem canonice annexis, quos per obitum condam Henrici de Mula *(sic)* [1]) prepositi ejusdem ecclesie, qui extra Romanam curiam decesserat, vacavisse teque per dilectos filios decanum et capitulum ipsius ecclesie, ad quos electio prepositi et archidiaconi ejusdem ecclesie eciam de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinet, in prepositum et archidiaconum ipsius ecclesie electum ad hujusmodi electionem auctoritate ordinaria confirmatum fuisse, quodque idem electus per liberam resignacionem dilecti filii

Anthonii de Fiez canonici Leodiensis, pretendentis sibi de ipsis prepositura et archidiaconatu sic vacantibus auctoritate apostolica provisum fuisse ac eos ad se de jure spectare, in manibus bone memorie Stephani sancte Marie in Aquiro [2]) diaconi Cardinalis apud sedem apostolicam sponte factam et ab eodem Cardinali de speciali mandato felicis recordacionis Urbani pape V predecessoris nostri apud dictam sedem admissam, vacavisse ac sibi auctoritate apostolica collatos fuisse et quilibet vestrum ad se de jure spectare dicebat, prout adhuc ad te spectare asseris, materia questionis et causa hujusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta et coram certis sancte Romane ecclesie Cardinalibus, quibus eadem causa fuerat successive per dictum predecessorem audienda commissa, diucius ventilata, tandem dicto predecessore vita functo, nos causam hujusmodi dilecto filio nostro Petro tituli Sancti Laurencii in Damaso diacono Cardinali audiendam commisimus et fine debito terminandam, coram quo inter dictas partes in causa hujusmodi ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem processum dicitur extitisse. Postmodum vero hujusmodi lite coram dicto Petro Cardinali pendente, nos de persona dicti Arnaldi eidem Trajectensi ecclesie tunc vacanti duximus auctoritate apostolica providendum, preficiendo ipsum eidem ecclesie in episcopum et pastorem. Cum autem per hujusmodi promocionem et munus consecracionis ab eodem electo suscipiendum jus, quod eidem electo in dictis prepositura et archidiaconatu, quibus cura imminet animarum et que prepositura major dignitas in eadem ecclesia post episcopalem existit, competebat et competit, in proximo vacare speretur, nos ne in causa hujusmodi, cujus statum haberi volumus presentibus pro expresso, novus tibi adversarius subrogetur, tibi super hoc provideri ac premissorum meritorum tuorum intuitu graciam specialem facere intendentes, predictum jus, cum ipsum premisso vel alio quovis modo, preterquam per ipsius electi obitum vacare contigerit, conferendum tibi, eciam si prepositura et archidiaconatus predicti sint disposicioni apostolice specialiter vel generaliter reservati, donacioni apostolice reservamus, decernentes te ad prefatum jus, cum ipsum vacare contigerit, ut prefertur, ejusque ac litis predicte prosecucionem et dissencionem in eo statu admittendum fore et admitti debere, in quo idem electus, si promotus non existeret, ut prefertur, posset et deberet admitti, ac exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari; non obstantibus consuetudinibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu quod canonicatum et prebendam cum supplemento ejusdem Trajectensis ecclesie nosceris obtinere. Nulli ergo *etc.* nostre reservacionis, constitucionis et voluntatis infringere *etc.* Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI Id. Julii, anno primo.

In e. m. dilectis filiis abbati monasterii sancti Laurencii in Oesbroc *(sic)* extra muros Trajectenses et sancti Salvatoris Trajectensis ac sancti Agricoli Avinionensis ecclesiarum decanis salutem *etc.*

Reg. Av. T. 4, *f.* 358v.

1) Legas: de Mierlaer. 2) Codex habet: Aquino.

2014. *1371, Julii 16, ap. Villamnovam.*

Omnibus poenitentibus et confessis, qui ad fabricam ecclesiae collegiatae S. Walburgis Zutphaniensis adjuverint, cum „chorus dicte ecclesie et alia propter operis magnitudinem compleri nequeant, nisi fidelium suffragiis adjuventur", *unus annus et 40 dies de injunctis poenitentiis relaxantur.*

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem *etc.*
Ecclesiarum fabricis.... Presentibus post viginti annos minime valituris, quas mitti per questuarios districtius prohibemus, eas, si secus actum fuerit, carere viribus decernentes. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XVII Kl. Augusti, anno primo.

Reg. Av. T. 1, *f.* 406ᵛ.

2015. *1371, Julii 30, ap. Villamnovam.*

Roberto „Helie" *de Almkerc, Guidonis episcopi Portuensis familiari, confertur parochialis ecclesia de Yselsteyn, vacans per obitum Arnoldi Slaper, in curia defuncti. — Deputantur executores.*

Laudabilia probitatis.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III Kl. Augusti, anno primo.

Reg. Av. T. 4, *f.* 360ᵛ.

2016. *1371, Augusti 4, ap. Villamnovam.*

Friderico dicto Capellaen rectori parochialis ecclesiae in Marsen [1]) *Traj. dioec. conferendum reservatur beneficium seu officium sine cura in ecclesia Traj., 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.*

Laudabilia probitatis.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II Non. Augusti, anno primo.

Reg. Av. T. 6, *f.* 423.

1) Maarssen.

2017. *1371, Augusti 11, ap. Villamnovam.*

Praeposito ecclesiae S. Johannis Traj. mandatur, ut canonicatum et praebendam in ecclesia Traj. vacantes per obitum Arnoldi Slaper, cui Roberto de Dronghelen vita functo a domino Papa erant collatae, conferat Henrico dicto Scriver canonico Embricensi et Guidonis episcopi Portuensis capellano.

Dignum arbitramur.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III Id. Augusti, anno primo.

Reg. Av. T. 4, *f.* 533.

2018—2019. *1371, Septembris 11, ap. Villamnovam.*

A. *Woltero Spronc confertur parochialis ecclesia de Wadenoy Traj. dioec., vacans per liberam resignationem Gerardi de Bronchorst.*

B. *Egidio de Pirwes conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae S. Petri Traj., per obitum Waltheri Snoey vacantes et die 15 Aprilis proxime elapso collationi sedis apostolicae reservatae. — Pro utroque deputantur executores.*

Vite ac morum.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III Id. Septembris, anno primo.

Reg. Av. A *T.* 4, *f.* 511; B *T.* 10, *f.* 432v.

2020. *1371, Septembris 12, ap. Villamnovam.*

Infrascriptis mandatur, ut Egidio de Pirwes canonico ecclesiae S. Petri Traj. provideant de praebenda ibidem vacante per obitum Walteri dicti Snoey.

Venerabili fratri episcopo Aniciensi et dilectis filiis abbati monasterii Trenorchiensis Cabilonensis diocesis ac officiali Trajectensi salutem *etc.*

Laudabilia probitatis.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II Id. Septembris, anno primo.

Reg. Av. T. 3, *f.* 248v.

2021. *1371, Septembris 12, ap. Villamnovam.*

Gerardo Naldekin confertur canonicatus et reservatur praebenda cum supplemento in ecclesia Traj. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Non obstantibus .... quod in sancti Salvatoris canonicatum et prebendam ac supplementum et in parrochiali sancti Jacobi Trajectensibus ecclesiis vicariam perpetuam sancte Crucis nosceris obtinere.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II Id. Septembris, anno primo.

Reg. Av. T. 7, *f.* 226.

2022. *1371, Septembris 17, ap. Villamnovam.*

Ricoldo de Haeften canonico ecclesiae b. Mariae Traj., in theologia baccalaureo et in artibus magistro, „quem dudum, dum eramus in minoribus constituti, in nostrum recepimus capellanum", *confertur scholastria in eadem ecclesia per obitum Johannis de Rienner vacans, die 31 Martii proxime elapso donationi sedis apostolicae reservata et 70 florenorum auri annuum non excedens valorem. — Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Non obstantibus .... quod parrochialem ecclesiam in Everdinghen Trajectensis diocesis nosceris obtinere.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XV Kl. Octobris, anno primo.

Reg. Av. T. 3, *f.* 339v.

2023—2024. *1371, Octobris 7, Avenionis.*

A. *Cum Machario de Benthem clerico Traj. dioec. dispensatur, quod non obstante defectu natalium una cum officio dormitorii in ecclesia Traj. alterum adhuc beneficium obtinere valeat.*

B. *Idem Macharius, qui cum Stephano de Asthe perpetuo in ecclesia Traj. vicario diu de praedicto dormitorii officio in curia litigavit et adhuc litigat, surrogatur in omne jus, quod Fredericus dictus Capellaen presbyter Traj. dioec. sibi ad idem officium competere asserebat et nuper resignavit.* 1)

Laudabilia tue.... Dat. Avinione, Non. Octobris, anno primo.

Reg. Av. T. 1, *f.* 556v—561.

1) Cfr. supra numm. 1878 et 1841.

2025. *1371, Octobris 7, Avenionis.*

Amelio de Wolde canonico ecclesiae b. Mariae Traj. confirmatur praebenda, a domino Papa reservata 1) *et nunc vacans per obitum Gerardi Vaelt.*

Vite ac morum.... Dat. Avinione, Non. Octobris, anno primo.

Reg. Av. T. 2, *f.* 439v.

1) Cfr. supra num. 1905.

2026. *1371, Octobris 7, Avenionis.*

Andreae Johannis de Lederdamme licentiato in artibus, Petri S. Eustachii diaconi Cardinalis antiquo servitori, qui per tres annos in jure canonico studuit, conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia Traj. per obitum Johannis Vaelt. vacantes et die 21 Augusti proxime elapso donationi sedis apostolicae reservatae. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Non obstantibus .... quod parrochialem ecclesiam de Sassenem [1]) Trajectensis diocesis, pro qua diu in palacio apostolico litigasti, nosceris obtinere et quod nuper de canonicatu et prebenda ac supplemento ecclesie sancti Petri Trajectensis .... tibi gratiose concessimus provideri.... Dat. Avinione, Non. Octobris, anno primo.

Reg. Av. T. 10, *f.* 392.

1) Sassenheim.

2027. *1371, Octobris 8, Avenionis.*

Officiali Trajectensi mandatur, ut Wynando de Averstege clerico Traj. dioec., de militari genere procreato, conferat canonicatum et praebendam in ecclesia Daventriensi vacantes per obitum Henrici Stregel.

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, VIII Id. Octobris, anno primo.

Reg. Av. T. 7, *f.* 506v.

2028. *1371, Octobris 11, Avenionis.*

Henrico de Berch, de soluto et soluta genito, cui dudum de canonicatu et praebenda ecclesiae S. Salvatoris Traj. provisum est, haec provisio confirmatur, perinde ac in iisdem literis mentio esset facta de defectu natalium, super quo dispensationem jam alias obtinuit.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, V Id. Octobris, anno primo.

Reg. Av. T. 1, *f.* 569.

2029. *1371, Octobris 11, Avenionis.*

Petro de Campostella confertur canonicatus reservanturque praebenda necnon personatus vel officium in ecclesia Traj. — Deputantur executores.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, V Id. Octobris, anno primo.

Reg. Av. T. 2, *f.* 213v.

2030. *1371, Octobris 27, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Oliverio de Melle canonico ecclesiae Daventriensis provideant de supplemento, quod in eadem ecclesia quondam Nicolaus episcopus Tusculanus cum canonicatu et praebenda obtinebat.

Venerabili fratri episcopo Agathensi et dilectis filiis preposito Arnhemensis ac thesaurario Zutphaniensis Trajectensis diocesis ecclesiarum salutem *etc.*

Vite ac morum.... Dat. Avinione, VI Kl. Novembris, anno primo.

Reg. Av. T. 9, *f.* 289.

2031. *1371, Octobris 28, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Hermanno Ellinch de Vreden clerico Monasteriensis dioec. provideant de praepositura et archidiaconatu ecclesiae S. Johannis Traj., per obitum Henrici de Reno vacantibus et a Petro de Velde ipsius ecclesiae canonico injuste occupatis.

Dilectis filiis .. decano sancte Marie et Gerardo de Sijl ac Baldewino de Dalem canonicis majoris Trajectensium ecclesiarum salutem *etc.*

Vite ac morum.... Dat. Avinione, V Kl. Novembris, anno primo.

Reg. Av. T. 11, *f.* 359.

2032. *1371, Novembris 9, Avenionis.*

(Arnoldo) episcopo Traj. mandatur, ut omnes et singulos, qui Robertum Basilicae Duodecim Apostolorum presbyterum Cardinalem, tunc Cameracensem episcopum, cum visitationis causa per suam diocesim transitum faceret, hostiliter invaserunt, captivarunt et incarcerarunt, necnon omnes, qui ad haec perpetranda mandatum, auxilium seu favorem praestiterunt, usque ad condignam satisfactionem ipso facto excommunicatos, omnibus officiis et beneficiis privatos, terras quoque cujuslibet ipsorum, dum tamen ultra unam dioecesim non contineant, interdicto suppositas, diebus dominicis et festivis infra Missarum solemnia publice nunciet et nunciari faciat.

Venerabili fratri .. episcopo Trajectensi salutem *etc.*

Si quis culpas.... Quitquid autem in premissis peregeris, nobis per tuas litteras manu publica confectas tuoque sigillo sigillatas quamtocius referre non postponas. Dat. Avinione, V Id. Novembris, pontificatus nostri anno primo.

Reg. Av. T. 2, *f.* 435. In e. m. ac episcopis Tornacensi, Cameracensi, Leodiensi, Atrebatensi singulis seorsim.

2033. *1371, Decembris 12, Avenionis.*

Pro abbate et conventu monasterii Vallis S. Mariae in Frisia Praemonstratensis ordinis Traj. dioec. infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis .. Floridicampi et Claricampi ac in .. Betania Trajectensis diocesis monasteriorum abbatibus salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. Avinione, II Id. Decembris, anno primo.

Reg. Av. T. 1, *f.* 248.

2034. *1371, Decembris 12, Avenionis.*

Wibrando abbati monasterii Vallis S. Mariae ad triennium indulgetur, quod canonicos in suo et in Vinea Domini monasteriis, qui in personas ecclesiasticas manus injecerint, a censuris absolvere valeat.

Dilecto filio Wibrando abbati monasterii Vallis sancte Marie in Frizia Premonstratensis ordinis, Trajectensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam paterna benivolencia prosequentes, illam tibi graciam libenter impendimus, per quam subditorum tibi animarum saluti valeas providere. Sane nuper accepimus, quod nonnulli tui Vallissanctemarie in Frizia et eciam in Vinea Domini monasteriorum canonici Premonstratensis ordinis, Trajectensis diocesis, quod quidem monasterium in Vinea Domini per prepositum gubernatur et predicto monasterio tuo subesse dinoscitur, dum in personas ecclesiasticas manus injiciunt et pro absolucione obtinenda ab excommunicacionis sentencia, quam propterea incurrerunt, ad sedem apostolicam destinantur, etiam quandoque apostatando, sepius evagantur. Nos igitur, volentes hujusmodi canonicorum animarum saluti in hac parte salubriter providere, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, absolvendi hac vice auctoritate apostolica juxta formam ecclesie singulos canonicos predictorum monasteriorum ab excommunicacionis sentencia, quam propter injectionem manuum violentas *(sic)* in clericos seu alias personas ecclesiasticas incurrerunt vel usque ad tres annos a data presencium computandos incurrent, eciam si excessus hujusmodi enormis fuerit, dummodo ex eo homicidium aut membri mutilacio non fuerint subsecuta ac injectio illa in prelatum proprium vel alium superiorem facta non fuerit ac passis injuriam satisfecerint competenter et alias injuncta eis pro modo culpe penitencia salutari, ac cum eisdem canonicis super irregularitate, quam hujusmodi sentencia ligati divina, non tamen in contemptum clavium, celebrando vel immiscendo se illis contraxerint vel durante hujusmodi triennio contrahent, ipsis tamen ad tempus, de quo tibi videbitur, a divinis suspensis, dispensandi, discrecioni tue concedimus tenore presencium facultatem. Dat. Avinione, II Id. Decembris, pontificatus nostri anno primo.

Reg. Av. T. 1, *f.* 571.

2035. *1371, Decembris 12, Avenionis.*

Eidem Wibrando conceditur potestas, canonicos dictorum monasteriorum, qui apostatae devenerint, ad reditum compellendi.

Dilecto filio Wybrando abbati monasterii sancte Marie in Frisia Premonstratensis ordinis, Trajectensis diocesis, salutem *etc.*

Sincere devocionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut in hiis, que digne possint fieri, tibi simus oportuno tempore graciosi. Sane peticio pro parte tua nobis nuper exhibita continebat, quod nonnulli tui et eciam in Vinea Domini Premonstratensis ordinis, Trajectensis diocesis, monasteriorum canonici, quod quidem monasterium in Vinea Domini a dicto tuo monasterio dependet et per prepositum regitur, temere apostatando predicta monasteria dimittunt et ad curias laicorum confugientes ac regularem spernentes disciplinam predicta monasteria cum hujusmodi laicis, eorum suffulti potencia et auxilio, pro libito voluntatis in habitu seculari intrant et de bonis dictorum monasteriorum capiunt alimenta in gravem Dei offensam et scandalum plurimorum. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere in premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, hujusmodi supplicacionibus inclinati, compellendi per censuram ecclesiasticam hujusmodi apostatas ad redeundum ad dicta monasteria et laicos prefatos, ut a quibuscunque auxiliis ipsis apostatis prestandis et ab eorum detencionibus omnino desistant et, si tibi non paruerint, in eosdem apostatas et laicos, monicione premissa, excommunicacionis sentenciam promulgandi et eos, si excommunicati fuerint, denunciandi, circumspectioni tue tenore presencium concedimus potestatem. Nulli ergo *etc.* nostre concessionis infringere *etc.* Dat. Avinione, II Id. Decembris, anno primo.

Reg. Av. T. 2, *f.* 379.

2036—2037. *1371, Decembris 29, Avenionis.*

A. *Johanni de Brakel domicello ejusque mulieri Elizabeth nobilibus Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

B. *Johanni Breye domicello ejusque mulieri Mabiliae nobilibus Traj. dioec. idem privilegium.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, IIII Kl. Januarii, anno primo.

Reg. Av. T. 8, *f.* 40.

2038. *1372, Januarii 13, Avenionis.*

Thesaurario ecclesiae Aldenzelensis mandatur, ut praepositissae et capitulo saecularis ecclesiae in Vredene Monasteriensis dioec. efficacis praesidio defensionis assistens, non permittat easdem in personis ac bonis suis molestari.

Quia mundo posito.... Presentibus post triennium minime valituris.... Dat. Avinione, Id. Januarii, pontificatus nostri anno secundo.

Bijdragen tot de geschiedenis van Overijssel II. 43, *secundum autographum in archivo domus Heringhaven.*

2039. *1372, Januarii 23, Avenionis.*

Ademaro de Ruppe conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum necnon praepositura et archidiaconatus ecclesiae S. Salvatoris Traj., vacantes per liberam resignationem Geraldi de Ruppe. — Deputantur executores.

Nobilitas generis.... Dat. Avinione, X Kl. Februarii, anno secundo.

Reg. Av. T. 14, *f.* 200v.

2040. *1372, Februarii 1, Avenionis.*

Henrico Caeliaert clerico Traj. dioec. confertur tabellionatus officium.

Ne contractuum.... Dat. Avinione, Kl. Februarii, anno secundo.

Reg. Av. T. 12, *f.* 610v.

2041. *1372, Februarii 12, Avenionis.*

Magistro Henrico de Arena [1]), *in legibus licentiato, in decretis baccalaureo, literarum apostolicarum abbreviatori, de dioec. Traj. oriundo, confertur canonicatus reservanturque praebenda et supplementum necnon dignitas, personatus seu officium in ecclesia Traj. — Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, II Id. Februarii, anno secundo.

Reg. Av. T. 2, *f.* 223v.

1) Codex habet: de Areno.

2042—2043. *1372, Februarii 18, Avenionis.*

A. *Alberto Haek* / B. *Machario de Benthem* } *clerico Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, XIII Kl. Marcii, anno secundo.

Reg. Av. T. 15, *f.* 37v—38.

2044. *1372, Martii 9, Avenionis.*

Guillermo de Lacu licentiato in legibus, baccalaureo in decretis et in partibus Alamanniae nuncio apostolico conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae Traj. necnon archidiaconatus Oldenselensis vacantes per obitum Florencii de Jutfaes sedis apostolicae capellani. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, VII Id. Martii, anno secundo.
Reg. Av. T. 11, f. 178v.

2045. *1372, Martii 15, Avenionis.*

Arnoldo Prel conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum ecclesiae Daventriensis, quae cum Lamberto de Oestende pro parochiali ecclesia S. Michaelis prope Brugis Tornacen. dioec. putavit permutanda. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, Id. Martii, anno secundo.
Reg. Av. T. 11, f. 113v.

2046. *1372, Martii 18, Avenionis.*

Infrascriptis exequenda demandatur sententia, post diversas instantias tandem definitive confirmata in causa, quam Stephanus de Manher et capitulum S. Petri Traj. diu in curia moverant; scilicet quod provisio, dicto Stephano de ecclesia parochiali in Malsen dudum facta, canonica sit agnoscenda, sed quod Stephanus pro expensis litis eidem capitulo de 53 florenis auri plenam satisfactionem debeat impendere.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis .. prepositis sancti Johannis et beate Marie Trajectensium ac .. sancti Agricoli Avenionensis decanis ecclesiarum salutem et apostolicam benedictionem.

Petitio dilectorum filiorum .. decani et capituli ecclesie sancti Petri Trajectensis nobis exhibita continebat, quod licet olim parrochialis || ecclesia in Malsen Trajectensis diocesis mense dictorum decani et capituli canonice unita fuisset, reservata de proventibus ipsius ecclesie congrua portione pro perpetuo vicario inibi Domino perpetuo servituro, et per vicarium perpetuum regi consuevisset ipsique decanus et capitulum eandem parrochialem ecclesiam a tempore unionis || hujusmodi et cujus contrarii memoria non existit, in proprios usus tenuissent et possedissent et tunc etiam tenerent et possiderent pacifice et quiete, tamen Stephanus de Manher, qui se gerit pro clerico dicte diocesis, falso asserens dictam ecclesiam parrochialem ad se spectare, impedivit, prout impedit ac fecit et facit, quominus predicti decanus et capitulum eandem ecclesiam parrochialem possint pacifice possidere fructusque percipere [1).... Dat. Avinione, XV Kl. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Autographum cum sigillo plumbeo, chordulis cannabinis appenso, in archivo prov. Ultraj. P. 369; *latere sinistro subscriptum est:* X X X X P. Ganaldani; *super plica inferiori ad dext.:* Rta Jo. Wilde; *a tergo:* Sanderus de Heynsberg, *et paullo infra:* R.

Muller Regesten 463*; de eadem lite varia documenta sunt indicata apud Muller Catalogus pp. 369—372; cfr. etiam dissertationem, quam idem auctor scripsit atque quampluribus documentis illustravit Archief Acquoy-Rogge II. 371 seqq. et III. 280 sqq.

1) Sequitur litis jam sub Urbano papa V in curia agitatae prolixa et tortuosa enarratio.

2047. *1372, Aprilis 19, Avenionis.*

Decano ecclesiae S. Petri Traj. mandatur, ut Gerardo de Zile canonico Traj. provideri faciat de parochiali ecclesia in Ouderkerke, vacante ex eo, quod Johannes de Dryel[1]) *infra tempus praescriptum se non fecerit in presbyterum promoveri.*

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, XIIII Kl. Aprilis, anno secundo.

Reg. Av. T. 12, *f.* 133.

1) Driel in Gelria.

2048. *1372, Martii 19, Avenionis.*

Archidiacono Arnhemensi committitur, ut simpliciter causam audiat et decernat pro Stephano de Manher curato parochialis ecclesiae de Malsen, qui congruam portionem decimarum fructuum in sua parochia excrescentium a decano et capitulo S. Petri Traj. sibi taxandam postulavit.

Dilecto filio arcidiacono Arnhemensi in ecclesia Trajectensi salutem *etc.*

Exhibita nobis pro parte dilecti filii Stephani de Manher perpetui vicarii, curati nuncupati, parrochialis ecclesie in Malsen Trajectensis diocesis peticio continebat, quod perpetuus vicarius dicte ecclesie pro tempore existens, que quidem ecclesia parrochiam spatiosam et lucosam habere dinoscitur, quia mille personis ecclesiastica Sacramenta ministrare, divinum officium cotidie celebrare necnon in singulis diebus dominicis et certis festivitatibus verbum Dei tam in dicta ecclesia quam in quadam capella, infra dictam parrochiam existente, predicare et insuper jura episcopalia et arcidiaconalia annis singulis supportare et ultra hoc procuraciones legatorum et nunciorum apostolice sedis necnon subventiones ordinariorum, cum imponuntur, solvere ac habitacionem pro se et suis conducere, hospitalitatem causa caritatis tam transeuntibus quam aliis exhibere tenetur, quodque dudum prefatus Stephanus, cum videret, quod pro omnibus hujusmodi oneribus supportandis necnon pro sustentacione sua propria ac socii presbyteri et familiarium, quibus pro regenda tanta cura carere non poterat, de fructibus ejusdem ecclesie ultra quadraginta florenorum auri non perciperet annuatim, et quod dilecti filii decanus et capitulum ecclesie sancti Petri Trajectensis omnes decimas provenientes ex fructibus excrescentibus infra limites parrochie dicte ecclesie, que ad magnum valorem ascendunt, percipiebant, cum eisdem decano et capitulo tam super rectoria dicte ecclesie quam hujusmodi decimis in palacio apostolico litem movit, in qua depauperatus non habens de quo causam prosequeretur, succubuit et fuit in expensis in hujusmodi causa factis condempnatus. Cum autem, sicut eadem peticio subjungebat, idem Stephanus, attentis adversitatibus pestilenciarum et caristiarum, que partes Trajectenses proh dolor tetigerunt, non possit de hiis, que percipit ex proventibus dicte parrochialis ecclesie, onera sibi, ut prefertur, incumbencia supportare, pro parte dicti Stephani nobis fuit humiliter supplicatum, ut congruam porcionem de prefatis decimis sibi taxari, statui et ordinari, de benignitate apostolica mandaremus. Nos itaque, hujusmodi supplicacionibus inclinati, dis-

crecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit simpliciter et de plano et sine strepitu et figura judicii, appellacione remota, decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellacione cessante, compellas veritati testimonium perhibere; non obstante, si eisdem decano et capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mencionem. Dat. Avinione, XIIII Kl Aprilis, anno secundo.

Reg. Av. T. 13, *f.* 276v.

2049. *1372, Aprilis 9, Avenionis.*

(Arnoldo) episcopo Traj. committitur, ut causam audiat et decernat pro Elia de Oerde rectore parochialis ecclesiae in Hier, qui se ad solvendum Johanni de Steenberghen canonico Zutphaniensi 100 scutos auri obligavit.

Venerabili fratri episcopo Trajectensi salutem *etc.*

Exhibita nobis pro parte dilecti filii Helye de Oerde rectoris parrochialis ecclesie in Hier Trajectensis diocesis petitio continebat, quod, licet olim ipse dictam parrochialem ecclesiam tunc per obitum quondam Heynrici de Moliaert ipsius ecclesie rectoris vacantem auctoritate apostolica assecutus fuisset canonice, tamen dilectus filius Johannes de Steenberghen canonicus ecclesie Zuephaniensis *(sic)* dicte diocesis, qui laicali suffultus potencia nonnullos fructus ipsius parrochialis ecclesie de facto vendiderat et alienaverat, asserens dictam ecclesiam ad se spectare, impedivit de facto, quominus idem Helyas dictam parrochialem ecclesiam posset pacifice possidere, ipsumque Helyam super eadem ecclesia et ejus occasione tandiu inquietavit et molestavit, donec idem Helyas se ad solvendum dicto Johanni centum antiquos scutos auri tamquam ex causa veri mutui sibi debitos, confecto exinde quodam publico instrumento, obligavit in maximum ipsius Helye prejudicium et gravamen. Quare pro parte dicti Helye nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ei super premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, hujusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellacione remota, decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellacione cessante, compellas veritati testimonium perhibere; non obstante, si eidem Johanni vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mencionem. Dat. Avinione, V Id. Aprilis, anno secundo.

Reg. Av. T. 13, *f.* 261.

2050. *1372, Aprilis 13, Avenionis.*

Wibrando abbati monasterii Vallis S. Mariae facultas supra num. 2035 quoad canonicos apostatas concessa revocatur atque ad decem annos eidem datur potestas, per censuras ecclesiasticas hujusmodi apostatas ad reditum necnon laicos vel clericos, ut ab eorundem protectione desistant, compellendi.

Dilecto filio Wibrando abbati monasterii (Vallis) sancte Marie in Frisia Premonstratensis ordinis, Trajectensis diocesis, salutem *etc.*

Devocionis tue sinceritas, quam ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut in hiis, que a nobis suppliciter postulas, presertim que animarum salutem respiciunt, tibi simus favorabiles et benigni. Dudum siquidem pro parte tua nobis exposito, quod nonnulli tui et etiam in Vinea Domini Premonstratensis ordinis, Trajectensis diocesis, monasteriorum canonici temere apostatando predicta monasteria dimittebant et ad curias laicorum confugientes ac regularem disciplinam spernentes predicta monasteria cum hujusmodi laicis, eorum suffulti potencia et auxilio, pro ipsorum libito voluntatis in habitu seculari intrabant et de bonis monasteriorum ipsorum capiebant alimenta, nos tibi compellendi per censuram ecclesiasticam hujusmodi apostatas ad redeundum ad dicta monasteria et nonnulla alia super hiis faciendi plenam concessimus facultatem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos igitur, ex certis causis racionabilibus nos ad hoc moventibus, facultatem et concessionem premissas penitus revocantes et eciam annullantes, discrecioni tue usque ad decem annos a data presencium computandos prefatos apostatas ad redeundum ad ipsa monasteria ac laicos supradictos et quoscunque alios clericos vel alios, ut a quibuscunque auxiliis ipsis apostatis prestandis per eos et eorum detentoribus omnino desistant per censuram ecclesiasticam compellere et, si tibi non paruerint, in eosdem apostatas et laicos et alios, monicione premissa, excommunicacionis sentenciam promulgare ac eos sic excommunicatos denunciare valeas plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Dat. Avinione, Id. Aprilis, anno secundo.

Reg. Av. T. 13, *f.* 302v.

2051. *1372, Aprilis 14, Avenionis.*

Omnibus poenitentibus et confessis, qui capellam Corporis Domini Nostri Jhesu Christi extra muros Trajectenses, cum reparatione indigeat non modicum sumptuosa, diebus festivis supra num. 1799 indicatis devote visitaverint et ad dictam reparationem adjuverint similes ac in num. laudato indulgentiae impertiuntur.

Licet is, de cujus.... Presentibus post viginti annos minime valituris.... Dat. Avinione, XVIII Kl. Maji, anno secundo.

Reg. Av. T. 15, *f.* 375v.

2052. *1372, Aprilis 15, Avenionis.*

Swederus (de Uterlo) praepositus ecclesiae Trajectensis requiritur et monetur, ut Helyae de Vodromo apostolicae sedis nuncio assistat in exactione decimae, quam dominus Papa proventibus ecclesiasticis unius anni per Alamanniae, Bohemiae nonnullasque alias partes pro sublevanda ecclesiae Romanae necessitate putavit imponendam.

Novit ille, cui patent.... Dat. Avinione, XVII Kl. Maji, anno secundo.

Regesta Vaticana T. 268, *f.* 27. In e. m. ac Brochardo de Hewen praeposito Constanciensi necnon quampluribus Imperii principibus.

2053. *1372, Aprilis 16, Avenionis.*

Pro decano et capitulo S. Mariae Traj. infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

Venerabili fratri .. episcopo Trajectensi et dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Pauli Trajectensis ac .. decano ecclesie sancti Servatii Trajectensis Leodiensis diocesis salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. Avinione, XVI Kl. Maji, anno secundo.

Reg. Av. T. 12, *f.* 627.

2054—2056. *1372, Aprilis 21, Avenionis.*

A. *Petro Poelin ejusque uxori Catherinae conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

B. *Jacobo Tinctori*[1]) *monacho monasterii de Rodelo Cisterciensis ordinis Traj. dioec. idem privilegium.*

C. *Magistro Johanni Wilde de Dotinchem, praeposito ecclesiae Embricensis, scriptori domini Papae idem privilegium.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, XI Kl. Maji, anno secundo.

Reg. Av. T. 15, *scilicet* A *et* B *f.* 34v; C *f.* 62v.

1) Codex habet: Tinetori.

2057. *1372, Aprilis 21, Avenionis.*

Magistro Johanni Wilde de Dotinchem conceduntur literae confessionales.

Benigno sunt.... Dat. Avinione, XI Kl. Maji, anno secundo.

Reg. Av. T. 15, *f.* 169v.

2058. *1372, Aprilis 21, Avenionis.*

Omnibus poenitentibus et confessis, qui locum ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini Middelburgensem, „qui a quinquaginta annis citra in insula maris fundatus extitit, (cum) in ipsius ecclesia et aliis edificiis pro habitatione eorumdem fratrum necessariis reparacione indigeat opere non modicum sumptuoso", *diebus supra num. 1977 indicatis necnon in festo S. Augustini devote visitaverint et ad dictam reparationem adjuverint, similes ac in num. laudato indulgentiae impertiuntur.*

Licet is, de cujus.... Dat. Avinione, XI Kl. Maji, anno secundo.

Reg. Av. T. 15, *f.* 343.

2059. *1372, Maji 23, ap. Pontem Sorgiae.*

Infrascriptis mandatur, ut Stephano de Manher perpetuo vicario, curato nuncupato, parochialis ecclesiae in Malsen Traj. dioec., in jure canonico et artibus provecto, conferant canonicatum et praebendam in ecclesia S. Petri Traj. vacantes per obitum Pelegrini de Reno.

Dilectis filiis .. sancti Agricoli Avinionensis et Xanctensis ac .. Aldenzalensis Coloniensis et Trajectensis diocesium ecclesiarum salutem *etc.*

Litterarum scientia.... Dat. apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis, X Kl. Junii, anno secundo.

Reg. Av. T. 11, *f.* 148v.

2060. *1372, Maji 29, ap. Pontem Sorgiae.*

Infrascriptis mandatur, ut Wilhelmo de Zyle canonico ecclesiae Traj., baccalaureo in decretis, Johannis tit. S.S. Nerei et Achillei presbyteri Cardinalis capellano, provideant de praepositura Elstensi, nonnisi canonicis dictae ecclesiae conferri solita et vacante per obitum Philippi „de Grovelt" [1]), *qui, licet ipsam Thiderico Vresen defuncto ab apostolica sede obtinuerit, possessionem ipsius pacificam assecutus non est.*

Dilectis filiis .. sancti Agricoli Avinionensis et .. beate Marie Trajectensis decano ac archidiacono Alnisiensis Xanctonensis ecclesiarum salutem *etc.*

Vite ac morum.... Dat. apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis, IIII Kl. Junii, anno secundo.

Reg. Av. T. 11, *f.* 484v.

1) Legendum videtur: de Gronevelt vel: de Groenevelt.

2061. *1372, Maji 30, ap. Pontem Sorgiae.*

Margaritae uxori Nicolai de Loenen nobilis armigeri Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis, III Kl. Junii, anno secundo.

Reg. Av. T. 11, *f.* 543v.

2062—2063. *1372, Junii 18, Avenionis.*

A. *Raynaldo de Brederode, domino loci* „de Genep" 1) *ejusque uxori Johannae nobilibus Traj. dioec. idem privilegium.*

B. *Suedero de Abcoude, domino loci* „de Gaesbec" 2) *ejusque uxori Agneti nobilibus Traj. dioec. idem privilegium.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, XIIII Kl. Julii, anno secundo.

Reg. Av. T. 11, *f.* 558.

1) Gennep. 2) Gaasbeek.

2064—2065. *1372, Junii 18, Avenionis.*

A. *Swedero de Abcoude, domino loci* „de Gaesbec" *Traj. dioec., ad decennium indulgetur, quod in locis interdicto suppositis sibi suisque familiaribus Missam et alia divina officia privatim celebrari facere valeat.*

B. *Raynaldo de Brederode, domino loci* „de Genep" *Traj. dioec., idem privilegium.*

Devocionis tue.... Dat. Avinione, XIIII Kl. Julii, anno secundo.

Reg. Av. T. 15, *f.* 165v.

2066—2069. *1372, Junii 18, Avenionis.*

A. *Eidem Suedero ad decennium conceditur licentia habendi altare portatile.*

B. *Item dicto Raynaldo.*

C. *Eidem Suedero ad decennium indulgetur, quod Missam in sua praesentia, antequam illucescat dies, celebrari facere valeat.*

D. *Item dicto Raynaldo.*

Sincere devocionis.... Dat. Avinione, XIIII Kl. Julii, anno secundo.

Reg. Av. T. 15, *f.* 165v.

2070. *1372, Junii 25, Avenionis.*

Franconi de Bersalia [1]) *ejusque uxori Norae nobilibus Traj. dioec. indulgetur, quod in locis interdicto suppositis sibi et familiaribus suis Missam aliaque divina officia privatim celebrari facere valeant.*

Sincere devocionis.... Dat. Avinione, VII Kl. Julii, anno secundo.

Reg. Av. T. 15, *f.* 163.

1) Borsselen.

2071. *1372, Junii 27, Avenionis.*

Elizabeth relictae quondam Theoderici comitis de Morse [1]), *viduae Traj. dioec., conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, V Kl. Julii, anno secundo.

Reg. Av. T. 15, *f.* 39.

1) Meurs.

2072—2073. *1372, Julii 3, Avenionis.*

A. *Engelberto Bolle de Embrica confertur perpetua vicaria altaris S. Catherinae, in ecclesia S. Martini Embricensi vacans per obitum Cesarii Nese in curia defuncti et ultra 10 florenos auri de Florentia annuatim non valens.*

B. *Detinaro dicto Herken confertur perpetua capellania capellae S. Crucis Traj., ultra 3 marchas argenti annuatim non valens et vacans ex eo, quod Nicolaus dictus Nerinc presbyter perpetuum in ecclesia b. Mariae Traj. beneficium est assecutus. — Pro utroque deputantur executores.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, V Non. Julii, anno secundo.

Reg. Av. T. 12, *f.* 101v *et f.* 134v.

2074. *1372, Julii 3, Avenionis.*

Wilhelmo de Ripen confertur perpetua vicaria ecclesiae S. Lebuini Daventriensis, ultra 5 marchas argenti annuatim non valens, quam Petrus de Vollenho [1]), *a sede apostolica canonicatum et praebendam in eadem assecutus ecclesia, dimittere tenetur. — Deputantur executores.*

Vite ac morum.... Dat. Avinione, V Non. Julii, anno secundo.

Reg. Av. T. 12, *f.* 106.

1) Legas: Vollenhove.

2075. *1372, Julii 4, Avenionis.*

Infrascriptis committitur, ut secundum sententias semel atque iterum pronunciatas contra Johannem (de Arkel) et Johannem (de Virneburch) tunc episcopos Traj. necnon Swederum de Voorst militem, qui curtes mansosque monasterii Assindensis indebite occupaverunt, etiam procedant contra Arnoldum (de Hoorn) episcopum Traj.

Venerabili fratri .. episcopo Monasteriensi et dilectis filiis Avinionensis et sancti Gereonis Coloniensis ecclesiarum prepositis salutem *etc.*

Exhibite nobis pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatisse et capituli secularis ecclesie Assindensis Coloniensis diocesis petitio continebat, quod licet Archem [1]) et Urche [2]) ac Olst curtes et quidam mansi ad eosdem curtes pertinentes cum omnibus mancipiis, servis et aliis juribus et pertinenciis earundem in diocesi Trajectensi consistentes ad ipsam ecclesiam Assindensem justo titulo pertinerent, ipseque abbatissa et capitulum in pacifica possessione curtium et mansorum, mancipiorum et servorum juriumque et pertinenciarum predictorum existerent, tamen venerabilis frater noster Johannes Leodiensis, tunc Trajectensis episcopus, et quondam Swederus de Vorst miles dicte Trajectensis diocesis, falso asserentes eosdem curtes et mansos cum mancipiis, servis, juribus et pertinenciis supradictis ad se de jure spectare, easdem abbatissam et capitulum predictis curtibus, mansis, mancipiis, servis, juribus et pertinenciis contra justiciam spoliarunt seque in dictis curtibus et mansis intruserunt ipsaque curtes, mansos, mancipia, servos, jura et pertinencias occupaverunt et detinuerunt, fructus percipiendo ex eis, ortaque propterea inter abbatissam et capitulum ex una parte et episcopum et Swederum predictos super curtibus, mansis, mancipiis, servis, juribus et pertinenciis supradictis communiter vel divisim ex altera materia questionis et causa hujusmodi apud sedem apostolicam legitime introducta, predicte abbatissa et capitulum tres in possessorio et unam in petitorio, que nulla provocacione suspensa in rem transivit judicatam, tam contra ipsos Johannem Leodiensem, tunc Trajectensem episcopum ac militem quam contra quondam Johannem episcopum Trajectensem, ejusdem Johannis successorem, diffinitivas sentencias in palacio apostolico reportarunt et super execucione hujusmodi sentenciarum in possessorio, ut premittitur, latarum felicis recordacionis Urbani pape V predecessoris nostri ad vos sub certa forma litteras impetrarunt, tuque, fili preposite ecclesie Avinionensis, salvo in hujusmodi execucionis procedens negocio, prout ex dictarum forma poteras litterarum, contra ipsum quondam Johannem episcopum Trajectensem, qui curtes, mansos, mancipia, servos et pertinencia predicta detinebat indebite occupata quique eisdem sentenciis in possessorio, ut premittitur, latis parere contumaciter recusabat, nonnullos primo, et deinde tu, fili preposite ecclesie sancti Gereonis, nonnullos alios processus, prout eciam poteras, diversas excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias continentes fecistis in talibus fieri consuetos, qui quidem processus in partibus legitime publicati fuerant, quodque postmodum prefatus predecessor venerabili fratri nostro Egidio episcopo Tusculano, tunc tituli Sancti Martini in Montibus presbytero Cardinali, oraculo vive vocis commisit, ut donec sentenciis predictis plenarie pareretur, idem Egidius processus predictos per se vel alium seu alios aggnaret *(sic)* [3]), invocato ad hoc, si opus foret, auxilio brachii secularis, quodque

postmodum dilectus filius prepositus ecclesie Reysensis Coloniensis diocesis, auctoritate sibi in hac parte per dictum episcopum Tusculanum, tunc Sancti Martini in Montibus (presbyterum Cardinalem) commissa contra prefatum quondam Johannem episcopum nonnullos alios processus fecit, eciam diversas excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias continentes. Cum autem, sicut eadem peticio subjungebat, venerabilis frater noster Arnoldus episcopus Trajectensis, de cujus persona, dicto quondam Johanne episcopo defuncto, ecclesie Trajectensi extitit provisum, ipsi quondam Johanni episcopo succedens in vicium, curtes, mansos, mancipia, servos, jura et pertinencia supradicta detineat indebite occupata, fructus percipiendo ex eis, pro parte dictarum abbatisse et capituli nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis in premissis de oportuno remedio de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, hujusmodi supplicacionibus inclinati, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios legitimis in premissis, per vos prepositos et eciam per dictum propositum ecclesie Reyssensis habitis, servatis processibus, eciam contra dictum Arnoldum episcopum in hujusmodi execucionis negocio, prout justum fuerit, procedatis juxta predictarum vobis directarum continenciam litterarum; contradictores auctoritate nostra, appellacione postposita, compescendo. Ceterum, si forsan predicti Arnoldi episcopi ac aliorum, quos hujusmodi processus concernunt, presencia pro monicione seu citacione de ipsis faciendis secure vel commode haberi nequiret, vobis, moniciones et citaciones quaslibet per edicta publica in locis affigenda publicis, de quibus sit verisimilis conjectura, quod ad noticiam citatorum et monitorum hujusmodi pervenire valeant, faciendi, plenam concedimus tenore presencium potestatem et volumus, quod provide ipsos citatos et monitos, ut premittitur, artent ac si eis facte et insinuate presencialiter et personaliter extitissent; non obstantibus constitucionibus apostolicis et aliis graciis quibuscunque, seu si eidem Arnoldo episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mencionem. Dat. Avinione, IIII Non. Julii, anno secundo.

Reg. Av. T. 13, *f.* 484.

1) In Transisulania. 2) Insula Urk. 3) Legas: aggravaret.

2076. *1372, Julii 23, ap. Villamnovam.*

Magistro et priori provinciali Teutoniae ordinis fr. Praedicatorum mandatur, ut quinque sui ordinis fratres ad hoc idoneos inquisitores contra haereticos et defensores, receptatores ac fautores eorundem in civitatibus, dioecesibus ac provinciis Maguntinensi, Coloniensi, Trajectensi, Salzeburgensi, Magdeburgensi et Bremensi, quoties opus fuerit, auctoritate apostolica deputent.

Ab exordio nascentis.... Dat. apud Villamnovam Avenionensis diocesis, X Kl. Augusti, pontificatus nostri anno secundo.

Mosheim De Beghardis et Beguinabus commentarius (Lipsaci 1790) *p.* 380; *Fredericq Corpus docum. I.* 224. *n°* 215.

2077. *1372, Augusti 15, ap. Villamnovam.*

Albertus dux Bavariae monetur, ut in comitatu Hannoniae contra libertatem ecclesiasticam nihil attentet vel attentari faciat.

Dilecto filio nobili viro Alberto duci Bavarie salutem *etc.*

Glorie perhennis obtentu ad hoc intenta tua debet haberi sinceritas, ut libertas ecclesiastica vigeat et, si a te vel ab aliquo subditorum tuorum contra illam quidquid presumitur, illud tue providencie favente subsidio corrigatur. Sane nuper displicenter accepimus, quod in comitatu Anonie *(sic)*, cujus gubernator existis, tam per te quam per nonnullos officiales et subditos tuos contra personas ecclesiasticas ac ecclesias et ecclesiasticam libertatem quamplura usurpantur et etiam committuntur, de quibus nonnulla in cedula presentibus interclusa continentur. Quocirca nobilitatem tuam rogandam duximus attentius et hortandam, quatinus provide considerans, quod gratum sit Regi regum, si ejus ministris honor debitus impendatur et quam acceptum in divine oculis magestatis, si libertas ecclesiastica conservetur, pro nostra et apostolice sedis reverentia ac eciam tui honoris et salutis intuitu hujusmodi libertatem ecclesiasticam tamquam ecclesie Romane devotus filius conservans a quibuscunque gravaminibus et presertim in dicta cedula contentis, venerabili fratri nostro .. episcopo Cameracensi et ejus ecclesie ceterisque personis ecclesiasticis inferendis prorsus abstineas ac officiales et subditos tuos abstinere facias atque mandes; in premissis talem te habendo, quod circa te nostra benivolentia non minuatur set potius augmentetur, et nos, qui eidem episcopo et personis ecclesiasticis in justitia, in qua sumus omnibus debitores, nullatenus deesse poterimus, super hoc providere aliter non cogamur. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XVIII Kl. Septembris, anno secundo.

Regesta Vaticana T. 268, *f.* 178.

2078. *1372, Augusti 18, ap. Villamnovam.*

Franconi de Borsalia militi ejusque uxori Norae nobilibus Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XV Kl. Septembris, anno secundo.

Reg. Av. T. 11, *f.* 556.

2079—2081. *1372, Augusti 19, ap. Villamnovam.*

A. *Nicolao Jacobi praeposito monasterii Dulcisvallis ordinis Praemonstr. Traj. dioec. idem privilegium.*

B. *Item Waltero Johannis ejusque uxori Katherinae Traj. dioec.*

C. *Item Jacobo Wilhelmi Alkedorens ejusque uxori Katerinae Traj. dioec.*

Provenit ex.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XIIII Kl. Septembris, anno secundo.

Reg. Av. T. 11, *f.* 554v.

2082. *1372, Augusti 31, ap. Villamnovam.*

Henrico de Homoet domino loci de Nienborch [1]) *ejusque uxori Margaritae nobilibus Traj. dioec. conceditur licentia habendi altare portatile.*

Sincere devotionis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, II Kl. Septembris, anno secundo.

Reg. Av. T. 13, *f.* 591.

1) Nieuwburg vel Nyenburg, olim arx prope Alcmarium.

2083. *1372, Septembris 19, ap. Villamnovam.*

Johanni Mathiae presbytero Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, XIII Kl. Octobris, anno secundo.

Reg. Av. T. 15, *f.* 63.

2084. *1372, Septembris 29, ap. Villamnovam.*

(Gerardo) episcopo Cameracensi ad supplicationem Caroli regis Francorum committitur, ut se informet et domino Papae rescribat super impedimentis, quibus non obstantibus Henricus de Viana et Helwigis de Herlaer nobiles Traj. dioec. infra 14 aetatis annum constituti matrimonium contraxerunt.

Venerabili fratri .. episcopo Cameracensi salutem *etc.*

Exhibita nobis pro parte nobilis viri Henrici de Viana, dilecti filii Ghiselberti domini loci de Viana nati, domicelli et nobilis mulieris Helwigis de Herlaer, quondam Johannis domini loci de Aymeda *(sic)* [1]) nate, domicelle Trajectensis diocesis, peticio continebat, quod quamvis inter eos nonnulla impedimenta existerent, propter que absque dispensacione apostolica insimul matrimonialiter copulari nequibant, tamen iidem Henricus et Helwigis impedimenta ipsa non ignorantes ac infra quartumdecimum etatis sue annum constituti, tamquam simplices et juris ignari, de consilio communium amicorum suorum ad sedandum discordias, que diu inter eorum parentes dampnose viguerant, et ad unionem pacis conservandam matrimonium inter se clandestine per verba legitime de presenti contraxerunt et demum illud carnali copula consummarunt, quodque ex eorum

perpetua separacione, si fieret, propter hujusmodi amicorum suorum potenciam multa homicidia, scandala et guerrarum pericula verisimiliter oriri possent. Quare dilectus filius nobilis vir Jacobus de Borbonio miles pro parte dictorum Henrici et Helwigis nobis humiliter supplicarunt *(sic)*, ut providere ipsis super hoc de opportune dispensacionis gracia de benignitate apostolica dignaremur. Quia igitur de premissis certam noticiam non habemus, consideracione eciam carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Francorum illustris [2]) nobis humiliter supplicantis, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de premissis omnibus et singulis et eorum circumstanciis universis et presertim de impedimentis, que sunt inter dictos Henricum et Helwigem quo ad hujusmodi matrimonium et de causis, propter quas insimul dictum matrimonium contraxerunt, et eciam de homicidiis, scandalis et guerrarum periculis, que ex dicta separacione, si fieret, evenire verisimiliter timentur, necnon eciam de omnibus aliis, que circa hoc fuerint attendenda, diligentius te informes et quicquid per informacionem hujusmodi reppereris, nobis per tuas patentes litteras manu publica confectas harum seriem continentes quamtocius rescribere non omittas, ut tua super hiis informacione instructi, in premissis consultius agere valeamus. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III Kl. Octobris, anno secundo.

Reg. Av. T. 15, *f.* 476v.

1) Legas: Ameide, cujus nominis est vicus quidam prope Gorcomium. 2) Codex habet: nobilis.

2085—2086. *1372, Octobris 2, ap. Villamnovam.*

Pro Azemario de Ruppe praeposito S. Salvatoris Traj. infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

A. Venerabili fratri episcopo Carpentoratensi et dilectis filiis Aniane [1]) et sancti Theofredi Magalonensis et Aniciensis diocesium monasteriorum abbatibus salutem *etc.*

B. Dilectis filiis preposito sancti Dyonisii Leodiensis et archidiacono Brugensis Tornacensis diocesis ac cantori beate Marie Aquensis Leodiensis diocesis ecclesiarum salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI Non. Octobris, anno secundo.

Reg. Av. scilicet A *Tom.* 12, *f.* 636 *et iterum T.* 13, *f.* 151v B *T.* 13, *f.* 153v.

1) ubi legitur: Airiane;

2087. *1372, Octobris 2, ap. Villamnovam.*

Ademaro de Ruppe praeposito ecclesiae S. Salvatoris Traj. indulgetur, quod non teneatur ad personalem in suis beneficiis residentiam. — Cujus privilegii deputantur conservatores.

Personam tuam.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, VI Non. Octobris, anno secundo.

Reg. Av. T. 13, *f.* 187.

Utriusque bullae duplum apographum coaevum in arch. prov. Ultraj. O. 753, *in charta membranea.*

2088. *1372, Octobris 5, Avenionis.*

Praepositis S. Johannis et b. Mariae Traj. necnon S. Agricoli Avenionensis ecclesiarum exequenda demandatur sententia, post diversas instantias in curia definita contra Stephanum de Manher, scilicet perceptionem omnium decimarum infra parochiam de Malsen atque jus conferendi capellam de Tricht ibidem sitam decano et capitulo ecclesiae S. Petri Traj., dictam capellam Arnoldo Arnoldi Johannis vere competere, Stephanum autem, qui omnia praedicta sibi adjudicare praesumpserat, pro expensis litis adversariis suis 150 florenos auri infra 4 menses solvere debere.

Petitio dilectorum filiorum.... Dat. Avinione, III Non. Octobris, pontificatus nostri anno secundo.

Apographum coaevum insertum processui, quem Petrus de Lewenberch decanus ecclesiae S. Mariae Traj., hujus bullae executor subdelegatus, contra dictum Stephanum tulit die 13 *Maji an.* 1373. *Stephanus vero* 150 *florenos debitos solvere renuit, quam ob causam excommunicationis incurrit sententiam, uti patet ex diplomate transfixo d.d.* 14 *Januarii an.* 1376. — *Utrumque diploma in charta membranea, arch. prov. Ultraj. P.* 370.

Cfr. Muller Regesten 464* necnon supra numm. 2046 et 2048.

2089. *1372, Octobris 14, Avenionis.*

Azemario de Ruppe praeposito ecclesiae S. Salvatoris Traj. indulgetur, quod sex clerici seu presbyteri familiares, ipsius insistendo obsequiis, non teneantur ad personalem in suis beneficiis residentiam et nihilominus integros ex iisdem redditus, quotidianis distributionibus exceptis, percipere valeant. — Cujus privilegii deputantur conservatores.

Sincere devocionis.... Dat. Avinione, II Id. Octobris, anno secundo.

Reg. Av. T. 11, *f.* 527v.

2090. *1372, Octobris 20, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut secundum tenorem priorum literarum, a sede apostolica ad ipsos directarum, rigorose procedant contra decanum et capitulum ecclesiae Traj., qui Gerardo de Zyl canonicatus in eadem ecclesia fructus injuste abstulerunt et restituere pertinaciter recusant.

Dilectis filiis sancti Georgii Coloniensis et beate Marie Trajectensis decanis ac archidiacono Alnisiensis [1]) Xanctonensis ecclesiarum salutem *etc.*

Exhibita nobis pro parte dilecti filii Gerardi de Zyl canonici ecclesie Trajectensis peticio continebat, quod ipse dudum in causa per eum contra decanum et capitulum dicte ecclesie, qui dictum Gerardum a perceptione quorumcunque fructuum, reddituum et emolumentorum canonicatus et prebende ac supplementi, que idem Gerardus in dicta ecclesia canonice obtinebat, indebite suspenderant ac ipsum a divinis officiis ac a voce capitulari et a perceptione fructuum hujusmodi canonicatus et prebende ac supplementi contra justiciam spoliarant ac canonicatum et prebendam ac supplementum hujusmodi occuparant, fructus percipiendo ex eis, mota et coram diversis auditoribus causarum palacii apostolici diucius ex commissione apostolica ventilata, tres pro se et contra dictos decanum et capitulum diffinitivas sententias, per quas idem Gerardus ad perceptionem fructuum, reddituum et emolumentorum eorundem canonicatus et prebende ac supplementi restitutus et reintegratus fuit, predictique decanus et capitulum in fructibus per eos seu eorum nomine ex dictis canonicatu et prebenda ac supplemento perceptis et in expensis (in) hujusmodi causa factis condempnati fuerunt, reportavit et super executione hujusmodi sententiarum ac eciam fructuum perceptorum et eciam expensarum predictarum, que ad certas florenorum summas taxate fuerant, ad vos sub certa forma litteras impetravit, tuque, fili archidiacone, solus in hujusmodi execucionis procedens negocio, nonnullos processus fecisti in talibus fieri consuetos, monens inter cetera prefatos decanum et capitulum, ut infra certos peremptorios terminos competentes tunc expressos predictum Gerardum ad perceptionem fructuum, reddituum et emolumentorum dictorum canonicatus et prebende ac supplementi restituerent et reintegrarent ac de predictis perceptis fructibus, in quibus, ut premittitur, condempnati fuerant, ac florenorum summis pro dictis expensis satisfacerent; alioquin in decanum et singulares canonicos dicte ecclesie ac contradictores alios quoslibet et rebelles excommunicacionis in capitulum, suspensionis in ecclesiam Trajectensem predictam interdicti sentencias promulgabas; et quod licet processus hujusmodi ad ipsorum decani et capituli indubitatam pervenerint noticiam, tamen predicti decanus et capitulum in reprobum sensum dati, spretis processibus et monicionibus hujusmodi claves ecclesie contempnendo, eidem monicioni parere contumaciter recusarunt eidemque Gerardo de hujusmodi perceptis fructibus et de predictis florenorum summis pro dictis expensis infra dictum terminum vel eciam post satisfacere non curarunt neque curant in animarum suarum periculum, apostolice sedis contemptum, predicti Gerardi prejudicium et scandalum plurimorum; propter quod tu, fili decane ecclesie beate Marie, te archidiacone tunc in remotis agente, processus hujusmodi aggravasti, justicia exigente. Quare pro parte dicti Gerardi nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque, ipsius Gerardi supplicacionibus inclinati, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, legitimis super hiis per vos, archidiacone et decane sancte Marie, (in) hujusmodi execucionis negocio habitis, servatis processibus, prout justum fuerit, in eodem negocio procedatis, juxta predictarum directarum vobis continenciam litterarum, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, contra-

dictores per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo; non obstante, si eidem decano et capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mencionem. Dat. Avinione, XIII Kl. Novembris, anno secundo.

Reg. Av. T. 13, *f.* 429v.

1) In codice legitur: Ahusiensis.

2091. *1372, Octobris 20, Avenionis.*

Iisdem judicibus similes diriguntur literae pro Ghiselberto de Zyl canonico ecclesiae Traj.

Exhibita nobis.... Dat. Avinione, XIII Kl. Novembris, anno secundo.

Reg. Av. T. 13, *f.* 430.

2092. *1372, Octobris 20, Avenionis.*

Judicibus infrascriptis similes diriguntur literae pro Wilhelmo de Zyl canonico ecclesiae Traj.

Dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Cypriani in Venecia Torcellane diocesis et beate Marie Trajectensis ac archidiacono Alnisiensis Xanctonensis ecclesiarum salutem *etc.*

Exhibita nobis.... Dat. *ut supra.*

Ibidem.

2093. *1372, Octobris 22, Avenionis.*

Praeposito S. Johannis Traj. mandatur, ut Everardo Foec seniori canonico praebendato Traj., parochialem ecclesiam de Hoghelande Traj. dioec. etiam obtinenti, apostolica auctoritate confirmet supplementum in ecclesia Traj. per obitum Petri Balbeti vacans, quod Suederus (Uterloe) archidiaconus ipsi contulit.

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, XI Kl. Novembris, anno secundo.

Reg. Av. T. 15, *f.* 389v.

2094. *1372, Novembris 3, Avenionis.*

Magistro Johanni Wilde de Dotinchem, literarum apostolicarum scriptori, confirmatur praepositura Embricensis, quam ex eo vacantem, quod ipsam Johannes de Hoernen clericus Leodiensis dioec. canonice quidem obtinuit sed contra constitutionem Johannis papae XXII: Execrabilis per plures annos indebite tenuit occupatam, ex provisione Urbani papae V assecutus fuerat. [1])

Grata tue devotionis.... Dat. Avinione, III Non. Novembris, anno secundo.

Reg. Av. T. 15, *f.* 399.

1) Cfr. supra num. 1853.

2095. *1372, Novembris 12, Avenionis.*

Statuitur, quod animarum cura quoad canonicos aliasque personas capellae collegiatae in Haga necnon excessuum correctio ad decanum ejusdem capellae spectet.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sedis apostolice circumspecta benignitas personas sub divini cultus observancia vacantes assiduo studio pro vite congruis favoribus prosequitur et in hiis, que animarum salutem et tranquillitatem personarum earundem conspiciunt, ut devocius et quiecius Domino famulari valeant, se libenter eis exhibet propiciam et benignam. Cum itaque dudum capellam loci de Hagha Trajectensis diocecis, que de patronatu dilecti filii nobilis viri Alberti ducis Bavarie, ut asseritur, existit, in collegiatam duxerimus auctoritate apostolica erigendam, tredecim canonicorum, quorum unus decanus existit, ac quatuordecim prebendarum numerum constituendo ibidem ac eciam ordinando, prout in nostris inde confectis litteris [1]) plenius continetur, nos ipsorum canonicorum et aliarum personarum ejusdem capelle animarum saluti ac quieti salubriter providere cupientes, eorumdem decani et canonicorum ac ducis in hac parte supplicacionibus inclinati, auctoritate predicta statuimus et ordinamus, quod prefatus decanus ejusdem capelle, qui est ad presens et erit pro tempore, curam habeat animarum canonicorum et personarum earundem, et insuper, quod inquisitio, correctio et punicio excessuum, qui per canonicos et personas hujusmodi pro tempore forsan committentur, ac eciam ipsorum canonicorum et personarum, si hoc qualitas negocii exegerit, incarceratio necnon quarumcunque causarum civilium criminalium, quas contra eosdem canonicos et personas seu eorum aliquem moveri continget, cognitio et decisio, ad eumdem decanum pertineat, ita tamen, quod in casibus a jure permissis canonici et persone predicte possint a quibuscunque sentenciis, quas contra eos ferri continget, ac a gravaminibus, que eis forsan inferrentur per eundem decanum, ad loci diocesanum appellare, quodque predictus decanus eidem diocesano immediate subjectus existat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitucionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, in-

dignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Avinione, II Id. Novembris, pontificatus nostri anno secundo.

Autographum in archivo Status Hagae-Comitano, cum sigillo plumbeo, filis sericis rubri flavique coloris appenso; inscriptio characteribus prolungatis; latere sinistro subscriptum est: ××× *in plica inferiori extra:* R[ta] Armandus; *a tergo:* Martinus Florencii, *et paullo* P. de Fargia;
infra: R.; *apographum saec. XV ibidem in chartul. capellae curialis fol.* 8.
Reg. Av. T. 13, *f.* 449r.
De Riemer Beschrijving van 's Graven-hage I. I. 199.

1) Supra num. 1987.

2096—2106. *1372, Novembris 12, Avenionis.*

A. *Willermo de Egmonda nobili militi Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

B. *Item Arnoldo domino loci de Egmonda*
C. *Item Mathildi natae quondam Vopponis de Alcmaria*
D. *Item Lamberto nato quondam Vopponis de Alcmaria ejusque uxori Agathae*
E. *Item Avezoetae abbatissae monasterii de Haga Cisterc. ordinis*
F. *Item Gertrudi relictae quondam Florentii de Borsalia militis, viduae*
G. *Item Johanni de Haesbeen militi ejusque uxori Idae nobilibus*
H. *Item Theoderico Martini presbytero*
I. *Item Franconi Syffridi presbytero*
K. *Item Symoni dicto Frederic ejusque uxori Sophiae*
L. *Item Ottoni domino loci de Arkel ejusque uxori Elysabeth nobilibus*
} *Traj. dioec.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, II Id. Novembris, anno secundo.

Reg. Av. scilicet A—D *T.* 11, *f.* 562v; E *T.* 15, *f.* 50; F—G *f.* 51; H—I *f.* 53; K *f.* 57v; L *f.* 58.

2107—2110. *1372, Novembris 12, Avenionis.*

A. *Ghiselberto domino loci de Vyanen Traj. dioec. conceditur licentia habendi altare portatile.*

B. *Item Ottoni domino loci de Arkel*
C. *Item Renaldo de Brederode domino loci* „de Ghenpe" 1)
D. *Item Arnoldo domino loci de Egmonda*
} *Traj. dioec.*

Sincere devotionis.... Dat. Avinione, II Id. Novembris, anno secundo.

Reg. Av. scilicet A *T.* 13, *f.* 591v; B *f.* 592r; C—D *T.* 15, *f.* 166r.

1) Gennep.

2111. *1372, Novembris 19, Avenionis.*

Magistro Swedero Uterloe, praeposito ecclesiae Traj., capellano pontificio, conceditur licentia de bonis suis libere testandi.

Quia presentis vite.... Dat. Avinione, XIII Kl. Decembris, anno secundo.

Reg. Av. T. 13, *f.* 568.

2112. *1372, Novembris 24, Avenionis.*

Omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad reparationem ecclesiae S. Martini Embricensis adjuverint, unus annus et 40 dies de injunctis poenitentiis relaxantur.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem *etc.*

Pium apud Deum.... Ecclesia sancti Martini Embricensis Trajectensis diocesis, que alias per incendium destructa extitit, propter inundationes fluminis Reni fundamentum et alia edificia ipsius ecclesie quamplurimum sint corrasa et ob hoc ecclesia ipsa magna minetur ruina, ad cujus reparationem et sustentationem ipsius ecclesie non suppetunt facultates.... Presentibus post viginti annos minime valituris.... Dat. Avinione, VIII Kl. Decembris, anno secundo.

Reg. Av. T. 13, *f.* 457v.

2113. *1372, Novembris 24, Avenionis.*

Officiali Traj. mandatur, ut Conradum de Embrica rectorem parochialis ecclesiae de Netterden Traj. dioec., de militari genere procreatum, cui Pelegrinus decanus et capitulum ecclesiae Embricensis canonicatum et praebendam in eadem ecclesia per obitum Leonii de Genderinghen vacantes contulerant, in dictis beneficiis confirmet; quae tamen cum idem Conradus obtinuerit, vicariam S. Johannis in praefata ecclesia Embricensi dimittat.

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, VIII Kl. Decembris, anno secundo.

Reg. Av. T. 13, *f.* 499v.

2114. *1372, Decembris 7, Avenionis.*

Ad instantiam Johannis abbatis monasterii S. Bavonis Gandensis statuitur, quod quattuor portiones parochialis ecclesiae S. Michaelis Gandensis necnon ecclesiae parochiales S. Christiani Gandensis, b. Mariae et S. Johannis de Sluissa, b. Mariae et S. Nicolai de Biervliet per exspectantes vigore literarum apostolicarum in forma pauperum redactarum acceptari non valeant.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad ea, que ecclesiasticorum beneficiorum statum prosperum respiciunt, libenter intendimus et, ut ecclesie et beneficia ipsa feliciter gubernentur, favorem benivolum impertimur. Nuper siquidem pro parte dilecti filii Johannis abbatis monasterii sancti Bavonis Gandensis ordinis sancti Benedicti, Tornacensis diocesis, nobis exposito, quod licet quatuor perpetue portiones parrochialis ecclesie sancti Michaelis, que per quinque, quarum una per duos et alie singule per singulos consueverunt teneri rectores, ac sancti Christiani Gandensium et beate Marie et sancti Johannis de Sluissa necnon beate Marie et sancti Nicolai de Biervliet parrochiales ecclesie dicte Tornacensis et Trajectensis diocesum, quarum idem abbas patronus existebat ac portiones et parrochiales ecclesie predicte ad ipsius collacionem pertinebant, erant quamplurimum populose, et multum conveniens et expediens existebat, quod de illis viris bene litteraris et eciam habilibus et discretis ac ydioma illarum parcium scientibus provideretur, tamen quandoque contingebat per nonnullas personas minus bene litteratas et alias minus ydoneas ac ydioma predictum loqui nescientes vigore litterarum apostolicarum, per quas ipse persone beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura ad collacionem vel presentacionem abbatis pro tempore existentis et dilectorum filiorum conventus dicti monasterii communiter vel divisim pertinencia in ea forma, secundum quam pro pauperibus clericis beneficiandis sedes apostolica scribere consuevit, eis concessarum, portiones et parrochiales ecclesias predictas, cum vacabant, acceptari et de illis sibi facere provideri, in magnum personarum ipsarum et parrochianorum suorum animarum periculum et scandalum plurimorum, ac pro parte dicti abbatis nobis supplicato, ut cum plura alia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura consueta clericis pluribus assignari, quorum singulorum fructus, redditus et proventus annui summam in eisdem litteris dari consuetam secundum taxaciones decime non excedebant, ad collacionem seu presentacionem abbatis dicti monasterii pro tempore existentis et que, cum vacabant, per expectacionem hujusmodi vigore litterarum ipsarum in eadem forma eis concessarum poterant acceptari et expectantes ipsi de illis sibi facere provideri, et sic iidem expectantes graciis hujusmodi in forma ipsa eis factis seu eciam faciendis propterea non privarentur, providere super hiis de benignitate apostolica dignaremur; nos de premissis certam noticiam non habentes dilecto filio nostro Petro tituli Sancte Anastasie presbytero Cardinali, sancte Romane ecclesie vicecancellario, commisimus oraculo vive vocis, ut ipse per se vel alium de statu porcionum et ecclesiarum predictarum et presertim de multitudine populi porcionum et ecclesiarum ipsarum, et si propterea beneficia hujusmodi ad collacionem et presentacionem dicti abbatis pertinencia in forma predicta expectantes eorum graciis hujusmodi privarentur, se diligenter informaret et quitquid super hiis reperiret nobis referret. Idemque Cardinalis dilecto filio officiali Tornacensi per suas litteras commisit, ut se super premissis diligenter informaret, et que per informacionem hujusmodi repperiret per suas patentes litteras in publica forma redactas suoque sigillo munitas referre curaret. Cum autem postmodum idem officialis, prout prefatus Cardinalis nobis nuper retulit, se de premissis juxta dictam commissionem sibi per prefatum Cardinalem factam informaverit et, sicut eidem Cardinali per suas litteras intimavit, quamplures fidedignos testes super hiis examinaverit et per eorum deposiciones medio juramento factas repe-

rerit, quod omnes et singule porciones ac parrochiales ecclesie predicte sunt quamplurimum populose, et quod quicunque sit rector singularum porcionum vel ecclesiarum predictarum habet gerere curam duarum milium personarum vel circiter, et quod retroactis temporibus consueverat de dictis porcionibus et parrochialibus ecclesiis viris honorabilibus et litteratis ac scientibus ydioma illius patrie provideri, quodque nonnulle ipsarum porcionum et ecclesiarum poterant ad presens vigore dictarum litterarum hujusmodi forme per impetrantes ipsas acceptari, et quod a decem annis citra quamplurimis personis minus habilibus et ydioma predictum nescientibus de ipsis porcionibus et parrochialibus ecclesiis provisum extiterat, in ipsorum parrochianorum animarum periculum et scandalum plurimorum, quodque propter premissa expectantes predicti eorum graciis minime privarentur, cum multa alia beneficia ad collacionem vel presentacionem predicti abbatis pertinencia consueta clericis secularibus assignari remaneant, que per expectantes predictos poterunt acceptari, nos ex premissis et aliis certis causis racionabilibus ad hoc moti, auctoritate apostolica tenore presencium statuimus et eciam ordinamus, quod porciones et parrochiales ecclesie predicte per expectationem hujusmodi vigore quarundam litterarum apostolicarum eis in forma predicta concessarum seu eciam concedendarum de cetero non valeant acceptari, nec expectantes ipsi de illis sibi facere provideri nec eciam per expectantes ipsos porciones ac ecclesie predicte, nisi expectantibus ipsis in eis tempore date presencium esset specialiter jus quesitum, valeant quomodolibet obtineri, districtius inhibentes quibuscunque executoribus in litteris hujusmodi per sedem apostolicam deputatis seu eciam deputandis et quibuscunque aliis communiter vel divisim, ne contra ordinacionem nostram hujusmodi aliquid attemptare presumant; decernentes exnunc irritum et inane quicquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo *etc.* nostri statuti, ordinacionis, inhibicionis et constitucionis infringere *etc.* Siquis *etc.* Dat. Avinione, VII Id. Decembris, anno secundo.

Reg. Av. T. 13, *f.* 517.

2115. *1372, Decembris 15, Avenionis.*

Arnoldo (de Hoorn) episcopo Traj. mandatur, ut ab injuriis Swedero (Uterloe) praeposito et archidiacono Traj. irrogandis prorsus se abstineat.

Venerabili fratri Arnoldo episcopo Trajectensi salutem *etc.*

Nuper pro parte dilecti filii Swederi prepositi et archidiaconi ecclesie Trajectensis, capellani nostri, nobis fuit expositum cum querela, quod tu sibi nimias in bonis et juribus suorum prepositure ac archidiaconatus ecclesie Trajectensis injurias infers totque et tanta bella sine consilio prelatorum tuorum et cleri moves et illis te ingeris, non tamen pro defensione tua seu juribus tue Trajectensis ecclesie, quod major pars bonorum ipsius prepositure, de quibus idem prepositus canonicis dicte ecclesie Trajectensis providere tenetur, et alia bona ecclesiarum quamplurima sunt destructa. Quocirca fraternitatem tuam hortamur attentius, tibi nichilominus per apostolica scripta mandantes, quatinus jus tuum juste prosequens cum ea qua decet pontificem honestate a quibus-

cunque injuriis eidem preposito sive in persona sive in bonis per te seu tuos irrogandis prorsus abstineas et tu eum ita favorabiliter pertractes, quod de te non habeat materiam conquerendi. Dat. Avinione, XVIII Kl. Januarii, anno secundo.

Regesta Vaticana T. 268, *f.* 226.

2116. *1372, Decembris 16, Avenionis.*

Theoderico de Herwen conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia Arnhemensi vacantes per obitum Rutgheri Pistoris alias dicti Codde et die 13 Augusti proxime elapso collationi sedis apostolicae reservatae. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Dat. Avinione, XVII Kl. Januarii, anno secundo.

Reg. Av. T. 12, *f.* 231.

2117. *1373, Januarii 2, Avenionis.*

Ade Hobbonis de Catwyc rectori parochialis ecclesiae de „Hemelissen" [1]) *Traj. dioec., presbytero, magistro in artibus et in decretis baccalaureo, ad triennium indulgetur, quod in studio Aurelianensi leges audire ac legere licite valeat, proviso quod dicta ecclesia debitis non fraudetur obsequiis et animarum cura nullo modo in eadem negligatur.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, IIII Non. Januarii, anno secundo.

Reg. Av. T. 13, *f.* 474.

1) Emelisse, olim pagus in Zelandia.

2118. *1373, Januarii 9, Avenionis.*

Carolo (IV) Romanorum Imperatori nunciatur, dispensationem, quam petiit super impedimento consanguinitatis inter Annam natam suam et Albertum natum Alberti ducis Hollandiae defectu causae rationabilis non posse concedi.

Carissimo in Christo filio Carolo imperatori Romanorum semper augusto salutem *etc.*

Serenitatis tue litteras, per quas nobis noviter sicut antea pluries tam per alias litteras quam per tuos nuntios supplicasti, ut cum dilecta in Christo filia nobili muliere Anna nata tua et dilecto filio nobili viro Alberto nato dilecti filii nobilis viri Alberti ducis Hollandie, qui tertio et quarto consanguinitatis gradu invicem se contingunt, ut impedimento, quod ex hujusmodi consanguinitate provenit, non obstante, tu et idem dux nomine natorum ipsorum, qui adhuc sunt, sicut ipse littere continebant, in infantia constituti, sponsalia, prefatique infantes, cum ad etatem ad id aptam pervenerint, matrimonium invicem

contrahere libere valeatis, auctoritate dispensare de benignitate apostolica dignaremur, gratanter et placide noveris nos recepisse; ad quarum continentiam sublimitati tue sub compendio respondentes, scire te volumus, quod licet cupiamus attente ac semper voluerimus et velimus sinceris cordis affectibus tuis et ipsius ducis votis, quantum cum Deo poterimus, annuere favorabiliter et benigne, tamen quia, sicut majestatem tuam credimus non latere, sedes apostolica cum personis in talibus gradibus sibi attinentibus absque rationabilibus causis super contrahendis inter se matrimoniis dispensare nullatenus consuevit, et quia inter carissimum in Christo filium nostrum Wenceslaum regem Boemie illustrem filium tuum et dilectam in Christo filiam Annam ipsius ducis natos contractum est matrimonium et etiam consummatum, propter quod inter te et ipsum ducem nulla est dissentio, rancor vel odium, nec sperantur verisimiliter exhoriri, quinymmo, sicut testimoniis fidedignis accepimus, inter te et illos dilectio et amicitia caritatisque fervor vigere noscuntur, et etiam, quia forsitan prefati infantes, cum ad annos discretionis pervenerint, hujusmodi matrimonio volent minime consentire, nec vidimus necessitatem vel periculum propter hoc imminere, supplicationem tuam hujusmodi non duximus, prout salva conscientia non potuimus facere, admittendam. Et ideo, fili carissime, magnificentiam tuam instanter et affectuose rogamus, quatinus hoc tue menti et animo molestiam aut displicentiam non ingerat, sed nos de hiis velit habere ipsa sublimitas excusatos. Dat. Avinione, V Id. Januarii, anno tertio.

Regesta Vaticana T. 269 *f.* 323.

2119. *1373, Januarii 12, Avenionis.*

Magistro Roberto de Stratton., causarum palatii apostolici auditori mandatur, ut Wilhelmo de Zyle canonico Traj., Johannis S. S. Nerei et Achillei presbyteri Cardinalis capellano, qui cum Hugone Wustinc canonico Traj. super praepositura Elstensi per obitum Thiderici Vresen vacante diu in curia litigavit, eandem praeposituram conferre et assignare curet.

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, II Id. Januarii, anno tertio.

Reg. Av. T. 18, *f.* 378v.

2120. *1373, Januarii 13, Avenionis.*

Johanni de Dorenborch[1]) *confirmantur canonicatus et praebenda ecclesiae S. Walburgis Arnhemensis, quas, cum per obitum Gerlaci de Hembach vacarent, vigore gratiae exspectativae a sede apostolica impetratae acceptavit.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, Id. Januarii, anno tertio.

Reg. Av. T. 19, *f.* 272.

1) Doornenburg in Gelria.

2121. *1373, Januarii 15, Avenionis.*

Franconi Gerardi de Riswyc [1] *presbytero, in artibus magistro, confirmatur medietas parochialis ecclesiae b. Mariae Civilis Traj., quam ad dispositionem praepositi Traj. spectantem et per obitum Giselberti de Minden vacantem vigore reservationis apostolicae acceptavit.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, XVIII Kl. Februarii, anno tertio.
Reg. Av. T. 19, *f.* 163v.

1) Codex habet: de Riswys.

2122. *1373, Januarii 15, Avenionis.*

(Arnoldo) episcopo Traj. mandatur, ut Gerardo Borchgrevinc canonico Bommelensi, in ecclesia S. Sacramenti in Hasselt Traj. dioec. perpetuum beneficium obtinenti, de novo confirmet altare S. Laurentii sine cura situm in ecclesia S. Petri Traj., ipsi Gerardo, cum per obitum Thiderici Pastoris diutius jam vacasset, a quondam Johanne (de Virneburch) episcopo Traj. collatum.

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, XVIII Kl. Februarii, anno tertio.
Reg. Av. T. 19, *f.* 397v.

2123. *1373, Januarii 18, Avenionis.*

Officiali Traj. mandatur, ut Geraldo de Celario clerico Traj. dioec. conferat capellam S. Johannis Baptistae Traj., quam Jacobus de Scoembrenc, ex dispositione apostolica canonicatum et praebendam Arnhemenses assecutus, dimittere tenetur.

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, XV Kl. Februarii, anno tertio.
Reg. Av. T. 11, *f.* 319.

2124. *1373, Januarii 23, Avenionis.*

Officiali Traj. mandatur, ut Johanni de Nuenaer rectori capellae in Eyteren Traj. dioec. confirmet canonicatum, praebendam et supplementum ecclesiae Daventriensis, pro quibus olim cum Gerardo dicto Witte parochialem ecclesiam de Donckersvoer [1] *putavit permutandam et quae quondam Johannes (de Virneburch) episcopus Traj., apostolica obstante reservatione, ipsi contulerat.*

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, X Kl. Februarii, anno tertio.
Reg. Av. T. 19, *f.* 117.

1) Donckersvoort in Brabantia septentrionali.

2125. *1373, Februarii 5, Avenionis.*

Confirmatur stipulatio, qua Girardus de Montefalcone praeceptor domus et balliviae S. Antonii in Flandria, ordinis S. Augustini, Johanni Galo alias de Breyssieu viagium quaestarum civitatis et dioec. Traj. ad suam praeceptoriam spectans pro annua pensione 200 florenorum auri arrendavit.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romani pontificis providencia circumspecta ex apostolice servitutis injuncto sibi desuper officio hiis libenter intendit, per que ecclesiasticarum personarum et presertim sub religionis habitu Domino famulancium utilitati consulitur, et ut illibata consistant, libenter adicit apostolici muniminis firmitatem. Sane peticio pro parte dilecti filii Johannis Gali alias de Breyssieu canonici monasterii sancti Antonii ordinis sancti Augustini, Viennensis diocesis, nuper nobis exhibita continebat, quod olim Girardus de Montefalcone preceptor domus et ballivie sancti Anthonii in Flandria dicti ordinis, qui monasterii sancti Antonii predicti, a quo prefate domus et ballivia dependent, canonicus existit, propter evidentem utilitatem preceptorie sue seu beneficii pro se et suis successoribus eidem Johanni Galo alias de Breyssieu bailliviam seu viagium questarum et questas civitatis et diocesis Trajectensium ad prefatam preceptoriam ipsius Girardi pertinentia cum hujusmodi baillivie, viagii et questarum uscigiis, *(sic)* [1]) redditibus, censibus, serviciis et aliis juribus universis extunc in antea, quamdiu dictus Johannes ageret in humanis, et cum omni onere et honore pro pensione ducentorum florenorum auri prefato Girardo et suis in hujusmodi preceptoria successoribus per dictum Johannem singulis annis certis terminis persolvendorum, prout in ipso ordine est in similibus fieri consuetum, arrendavit ac dilecti filii Poncius abbas et canonicatus predicti monasterii super hoc expresse in generali capitulo eorumdem capitulantes ac attendentes, quod arrendamentum hujusmodi utile erat domui et baillivie Flandrie supradictis, et quod propterea facta erat melior condicio dicte preceptorie Flandrie, maturis tractatu ac deliberacione precedentibus, unanimiter et ex certa scientia ipsum arrendamentum ac omnia et singula in instrumento publico super hoc confecto laudaverunt, ratificarunt ac eciam approbarunt, prout in litteris auttenticis inde manu publica confectis dictorumque abbatis et canonicatus ac Girardi predictorum sigillis munitis, quorum tenores de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dicti Johannis nobis fuit humiliter supplicatum, ut premissis omnibus robur firmitatis confirmacionis adicere et omnem defectum, siquis in eis intervenerit, supplere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, hujusmodi supplicacionibus inclinati, arrendamentum hujusmodi et confirmacionem inde secutam ac omnia alia et singula in prefatis litteris contenta, rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa scientia tenore presencium confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, siquis forsan intervenerit in eisdem. Tenores autem dictarum litterarum tales sunt:

Universis et singulis presentibus et futuris innotescat, quod nos frater Girardus de Montefalcone canonicus monasterii sancti Antonii ordinis sancti Augustini Viennensis diocesis, preceptor domorum et baillivie sancti Antonii Flandriensis *etc.*.... Acta fuerunt hec Lugduni in domo sancti Antonii die vicesima mensis Julii anno Domino M. CCC septuagesimo *etc.*

Universis *etc.* nos frater Poncius miseracione divina humilis abbas et canonicus monasterii sancti Antonii.... Actum *etc.* in dicto monasterio *etc.* anno *ut supra*, die nona mensis Augusti *etc.*

Nulli ergo *etc.* nostre confirmacionis infringere *etc.* Dat. Avinione, Non. Februarii, anno tercio.

Reg. Av. T. 16, *f.* 375.

1) Legatur: usuagiis.

2126. *1373, Februarii 12, Avenionis.*

Huberto de Enspic [1]) *confirmantur canonicatus, praebenda et supplementum ecclesiae S. Petri Traj., quae olim, cum per obitum Hermanni Cromme vacarent, vigore literarum apostolicarum exspectativarum acceptavit.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, II Id. Februarii, anno tertio.

Reg. Av. T. 16, *f.* 390v.

1) Codex habet: de Enspit.

2127. *1373, Februarii 14, Avenionis.*

Bernardus Henrici de Daventria clericus surrogatur in omne jus, quod Jacobus Honger de Leydis clericus ad canonicatum et praebendam ecclesiae S. Petri Middelburgensis sibi competere asseruit et quod libere nunc resignavit; super quibus canonicatu et praebenda, cum per obitum Johannis Franconis vacarent, idem Jacobus cum Johanne de Calker presbytero Traj. diu in curia litigavit.

Probitatis et virtutum.... Dat. Avinione, XVI Kl. Martii, anno tertio.

Reg. Av. T. 18, *f.* 484v.

2128—2129. *1373, Februarii 18, Avenionis.*

A. *Hugoni de Thorenburgh* }
B. *Waltero Wulfardi* } *presbytero Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, XII Kl. Martii, anno tertio.

Reg. Av. T. 16, *f.* 291v.

2130. *1373, Februarii 21, Avenionis.*

Omnibus poenitentibus et confessis, qui parochialem ecclesiam de Haerlem, „que, ut asseritur, per incendium quamplurimum devastata existit", *diebus supra num. 1977 indicatis devote visitaverint et ad ejusdem reparationem adjuverint, similes ac in num. laudato indulgentiae impertiuntur.*

Licet is, de cujus.... Presentibus post viginti annos minime valituris.... Dat. Avinione, VIIII Kl. Marcii, anno tercio.

Reg. Av. T. 19, 116v.

2131. *1373, Februarii 21, Avenionis.*

Gerardo Johannis, qui de presbytero genitus et soluta dispensationem super defectu natalium obtinuit et altare S. Crucis situm in capella de Haga Traj. dioec., 3 marcarum argenti annuum non excedens valorem, assecutus est, indulgetur, quod alterum adhuc beneficium etiam curatum obtinere valeat.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, VIIII Kl. Martii, anno tertio.

Reg. Av. T. 19, *f.* 406v.

2132. *1373, Martii 4, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut abbatem et conventum monasterii de Insula b. Mariae, qui jam bis simile domini Papae mandatum spreverunt, compellant, ut Nicolaum de Esslingen conversum monasterii Rutheniensis tamquam conversum et fratrem in suo monasterio recipiant.

Venerabili fratri .. episcopo Trajectensi et dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Trudonis Leodiensis diocesis ac preposito ecclesie sancti Petri Leodiensis salutem *etc.*

Humilibus supplicum votis libenter annuimus et eis quantum cum Deo possumus benivolum impertimur assensum. Olim siquidem dilectis filiis abbati et conventui monasterii de Insula beate Marie Premonstratensis ordinis Trajectensis dyocesis, ut dilectum filium Nicolaum de Esslingen conversum monasterii Rutheniensis dicti ordinis Constanciensis diocesis, habentem, ut asserebat, ab abbate suo ex justa et racionabili causa ad aliud monasterium ejusdem ordinis licenciam libere transeundi, cupientem una cum eis in dicto monasterio de Insula beate Marie sub regulari habitu virtutum Domino famulari in conversum reciperent et sincera in Domino caritate tractarent, primo et deinde per nos accepto, quod idem abbas et conventus id efficere non curabant, nos dilecto filio .. abbati monasterii sancti Trudonis Leodiensis diocesis, ut eosdem abbatem et conventum ex parte nostra moneret et induceret, ut eundem Nicolaum in conversum reciperent et sincera in Domino caritate tractarent, juxta prefatarum

continenciam litterarum dedimus per nostras litteras in mandatis, prout in eisdem litteris plenius continetur. Et licet, sicut exhibita nobis pro parte ipsius Nicolai peticio continebat, dictus abbas sancti Trudonis monuerat dictos abbatem et conventum monasterii de Insula beate Marie secundum formam per easdem litteras sibi directas, tamen abbas et conventus monasterii de Insula beate Marie hujusmodi monicionibus obauditis, eundem Nicolaum recipere non curarunt, quamquam nichil racionabile proponerent, quare hoc facere non deberent. Nos igitur, pium et congruum reputantes, ut prefatum Nicolaum illo favoris presidio prosequamur, per quod suum in hac parte laudabile propositum valeat adimpleri, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si est ita, eundem Nicolaum in dicto monasterio de Insula beate Marie recipi faciatis auctoritate nostra in conversum et in fratrem sibique juxta hujusmodi monasterii consuetudinem regularem habitum exhiberi ac ipsi de communibus ejusdem monasterii proventibus sicut uni ex aliis ipsius monasterii conversis integre responderi eumque ibidem sincera in Domino caritate tractari; non obstantibus quibuscunque constitucionibus et consuetudinibus monasteriorum et ordinum predictorum contrariis, juramento, confirmacione apostolica ibidem sint directa; seu si eisdem abbati et conventui dicti monasterii de Insula beate Marie vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mencionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cujuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum expediri *(sic)* valeat quomodolibet vel differri, et de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo. Dat. Avinione, IIII Non. Marcii, pontificatus nostri anno tercio.

Reg. Av. T. 16, *f.* 220v.

2133. *1373, Martii 1, Avenionis.*

Arnoldo Alberti Gruter de Dotinchem, clerico Traj. dioec., confirmantur canonicatus et praebenda ecclesiae b. Mariae Traj., de quibus, cum per obitum Gerlaci Budel vacarent et per Laurentium Utersout clericum indebite occuparentur, praepositus ecclesiae S. Johannis Traj. ex mandato apostolico ipsi fecit provideri.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, Kl. Martii, anno tertio.

Reg. Av. T. 16, *f.* 411.

2134. *1373, Martii 18, Avenionis.*

(Arnoldo) episcopo Trajectensi committitur, ut cum Petro Michaele et Maria Pauli Traj. dioec., qui olim non ignorantes, „quod dictus Petrus quandam mulierem prefate Marie quarto gradu consanguinitatis conjunctam carnaliter cognoverat", *matrimonium publice contraxerunt et etiam consummarunt, super impedimento affinitatis dispenset; praevie tamen ipsis ad tempus separatis et ab excommunicationis sententia absolutis poenitentiam salutarem injungat.*

Oblate nobis nuper.... Dat. Avinione, XV Kl. Aprilis, anno tercio.

Reg. Av. T. 19, *f.* 117.

2135. *1373, Martii 20, Avenionis.*

Philippo de Pollanen militi ejusque uxori Elizabeth Van der Made nobilibus Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, XIII Kl. Aprilis, anno tertio.

Reg. Av. T. 16, *f.* 285v.

2136. *1373, Martii 20, Avenionis.*

Omnibus poenitentibus et confessis, quae capellam S. Crucis in Haerlem, „que reparatione indiget", *diebus festivis supra num. 1977 indicatis necnon festo S. Crucis devote visitaverint et ad ejusdem reparationem adjuverint, similes ac in num. laudato indulgentiae impertiuntur.*

Licet is de cujus.... Presentibus post viginti annos minime valituris.... Dat. Avinione, XIII Kl. Aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Reg. Av. T. 16, *f.* 318v.

2137. *1373, Martii 20, Avenionis.*

Philippo de Pollanen nobili militi Traj. dioec. ad decennium conceditur licentia habendi altare portatile.

Sincere devotionis.... Dat. Avinione, XIII Kl. Aprilis, anno tertio.

Reg. Av. T. 16, *f.* 333v.

Le **BULLARIUM TRAJECTENSE** sera publié en 8 livraisons de ± 120 pages, qui formeront 2 volumes.

Le prix de souscription est fixé à 3 florins des P. B., par livraison.

BULLARIUM TRAJECTENSE.

ROMANORUM PONTIFICUM DIPLOMATA

QUOTQUOT

OLIM USQUE AD URBANUM PAPAM VI (AN. 1378)
IN VETEREM EPISCOPATUM TRAJECTENSEM DESTINATA

REPERIUNTUR

COLLEGIT ET AUSPICIIS SOCIETATIS HISTORICAE RHENO-TRAJECTINAE EDIDIT

GISBERTUS BROM
ULTRAJECTINUS, S. THEOL. DOCTOR.

Tomi Secundi Fasciculus III.

HAGA-COMITIS
MARTINUS NIJHOFF.
1895.

2138—2139. *1372, Martii 21, Avenionis.*

A. *Gerardo Witte confertur capella de Honthorst sita infra parochiam ecclesiae in* „Werden" 1) *Traj. dioec., quam cum Volparto Ottonis pro vicaria perpetua altaris S. Petri Apostoli in ecclesia b. Mariae Traj. putavit permutandam. — Giselbertus* „Wufeynch" 2), *Michael Moliart et Everardus dictus Foec, canonici ecclesiae Traj., deputantur executores.*

B. *Volparto Ottonis confertur dicta vicaria perpetua. — Deputantur executores, inter quos Hugo Wustynch ac Baldewynus de Dalen, canonici ecclesiae Traj.*

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, XII Kl. Aprilis, anno tertio.

Reg. Av. T. 18, *f.* 427. *et f.* 434v.

1) Waarde, vicus in Zelandia. 2) Legendum videtur: Wusteynch.

2140. *1373, Maji 8, Avenionis.*

Wernero de Puteo 1), *altare S. Petri in ecclesia Daventriensi obtinenti, confirmatur parochialis ecclesia Arnhemensis, quam Jacobo (de Westervoert) ultimo rectore defuncto vigore literarum apostolicarum canonice obtinuit.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, VIII Id. Maji, pontificatus nostri anno tercio.

Autographum in archivo civitatis Arnhemensis arca 35, *cum sigillo plumbeo, filis sericis rubri flavique coloris appenso; in plica inferiori intus:* Luc., *exterius:* S. Radulphus; *a tergo:* R.

Reg. Av. T. 19, *f.* 139v.

P. Nijhoff Inventaris 40*, ubi perperam sub VIII Kal. Maji an. 1372.

1) Putten in Gelria?

2141. *1373, Maji 29, ap. Pontem Sorgiae.*

Reynero de Braemt canonico ecclesiae Traj., in utroque jure baccalaureo, Petri S. Mariae in Via Lata diaconi Cardinalis secretario, qui vigore reservationis apostolicae praebendam et supplementum, in eadem ecclesia per obitum Nicolai de Patella familiaris domini Papae vacantia, acceptavit, haec beneficia confirmantur.

Nobilitas generis.... Dat. apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis, IIII Kl. Junii, anno tertio.

Reg. Av. T. 19, *f.* 253.

2142. *1373, Junii 7, ap. Pontem Sorgiae.*

Officiali Traj. committitur, ut Hermanno Gruter de Dotinchem [1]*, canonico monasterii in Bethlehem* [2]*, ordinis S. Augustini, Traj. dioec., reservet beneficium seu officium conferendum a praeposito et conventu dicti monasterii et 30 marcarum argenti valorem annuum non excedens.*

Dignum arbitramur.... Dat. apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis, VII Id. Junii, anno tercio.

Reg. Av. T. 16, *f.* 206v.

1) Codex habet de Dortinchem, et 2): Belhem.

2143. *1373, Junii 12, ap. Portem Sorgiae.*

Petro de Velde ecclesiarum S. Johannis, majoris et b. Mariae Traj. canonico praebendato, decretorum doctori, confirmantur praepositura et archidiaconatus ecclesiae S. Johannis Traj., de quibus Urbanus papa V ipsi olim provisit, quamvis in ejusdem literis [1] *dictam praeposituram dignitatem esse curatam expressum non fuerit.*

Litterarum scientia.... Dat. apud Pontem Sorgie Avinionensis diocesis, II Id. Junii, anno tertio.

Reg. Av. T. 16, *f.* 532.

1) Supra num. 1758.

2144. *1373, Junii 16, ap. Portem Sorgiae.*

Dankardo Bays, Hugonis S. Mariae in Porticu diaconi Cardinalis cubiculario, canonico ecclesiae S. Salvatoris Traj., confirmantur praebenda et supplementum, quae in eadem ecclesia vigore literarum apostolicarum exspectaverat et post obitum Johannis Hobbonis acceptavit; quae tamen cum pacifice obtinuerit, perpetuam capellaniam in parochiali ecclesia de „Oesterzubburch" [1] *Traj. dioec. omnino dimittat.*

Laudabilia probitatis.... Dat. apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis, XVI Kl. Julii, anno tertio.

Reg. Av. T. 16, *f.* 485v.

1) Ooster-Souburg in Zelandia.

2145. *1373, Julii 12, Avenionis.*

Johanni Strist clerico Traj. dioec., qui in Montepessulano Magalonensis dioec. in jure civili studere se asserit, indulgetur, quod irregularitate non obstante ad quattuor minores ordines promoveri, in iisdem ministrare duoque beneficia sine cura obtinere licite valeat.

Dilecto filio Johanni Strist clerico Trajectensis diocesis salutem *etc.*

Sedes apostolica.... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod olim tu, Parisius scolaris existens, cum animi levitate cum quodam alio scolari (per) aliquos vicos ibidem de die ambulares, idem scolaris obviavit cuidam laico sibi multum odioso, in quem laicum hostiliter irruens, ipsum cum quodam gladio letaliter vulneravit tuque eidem laico aliquos leves et non letales ictus cum quodam baculo intulisti, ex quo vulnere idem laicus post triduum decessit. Quare pro parte tua nobis extitit humiliter supplicatum, ut, cum tu homicidio hujusmodi casualiter et non modo premeditato interfueris, providere tibi ... dignaremur.... Dat. Avinione, IIII Id. Julii, anno tertio.

Reg. Av. T. 19, *f.* 241.

2146. *1373, Julii 14, Avenionis.*

Archiepiscopo Remensi [1]) *committitur, ut Henrico de Viana et Helwigi de Herlaer, qui cum impedimento consanguinitatis in quarto gradu matrimonium inierunt, absolutionem ab excommunicationis sententia impertiat, poenitentiam salutarem injungat et super dicto impedimento cum ipsis dispenset.* [2])

Venerabili fratri archiepiscopo Remensi salutem *etc.*

Nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Jacobi de Borbonio militis nobis fuit expositum, quod nobilis vir Henricus de Viana dilecti filii nobilis viri Ghiselberti domini loci de Viana militis natus, domicellus in sextodecimo, et nobilis mulier Helwigis de Herlaer quondam Johannis domini loci de Aymeda *(sic)* nata domicella Trajectensis diocesis, in quintodecimo etatum suarum annis vel circiter constituti, non ignorantes se quarto consanguinitatis gradu fore conjunctos, matrimonium per verba de presenti invicem clandestine contraxerunt et illud carnali copula consummarunt, quodque ex eorum separacione perpetua, si fieret, gravia pericula ac homicidia et scandala plurima possent verisimiliter exoriri. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum et libenter Christi fidelium pacis et quietis commoda procuramus, consideracione eciam dicti Jacobi nobis super hoc humiliter supplicantis, volentes eorundem Henrici et Helwigis super premissis animarum providere saluti et cupientes predictis periculis et scandalis, quantum cum Deo possumus, salubriter obviare, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus, si est ita et tibi expediens videatur, quod dicta concedatur dispensacio, super quo tuam conscientiam oneramus, ipsis Henrico et Helwigi separatis ad tempus, de quo tibi videbitur expedire, eos, si hoc humiliter petierint, a sentencia excommunicacionis, quam propter premissa incurrisse noscuntur, juxta formam ecclesie absolvas, injunctis eis inter alia sub virtute juramenti prestandi, quod decetero similia non committant nec facientibus prebeant auxilium, consilium vel favorem, necnon quod de bonis suis propriis duas capellanias perpetuas in ecclesia parrochiali beate Marie de Viana dicte diocesis fundent et instituant, et earum quamlibet de triginta libris Turonensium parvorum in perpetuis annuis redditibus pro sustentacione congrua

singulorum perpetuorum capellanorum instituendorum in ipsis realiter dotent, et alia bona penitencia salutari ac aliis, que de jure fuerint injungenda, demum cum eisdem Henrico et Helwigi, ut impedimento, quod ex hujusmodi consanguinitate provenit, non obstante insimul matrimonium de novo contrahere et in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere valeant, eadem auctoritate dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex hujusmodi matrimonio legitimam decernendo. Dat. Avinione, II Id. Julii, anno tercio.

Reg. Av. T. 19, *f.* 214.

1) Cujus sedes tunc vacabat. 2) Cfr. supra num. 2084.

2147. *1373, Julii 26, ap. Villamnovam.*

Henrico (Braem) abbati monasterii Middelburgensis Praemonstr. ordinis indulgetur, quod a quocumque maluerit Catholico antististe, gratiam et communionem sedis apostolicae habente, munus benedictionis recipere valeat.

Cum nos pridem.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, VII Kl. Augusti, anno tertio.

Reg. Av. T. 16, *f.* 323.

2148. *1373, Augusti 3, ap. Villamnovam.*

Pro abbate et conventu monasterii Egmondensis infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis Vliederbacensis et .. sancti Michaelis Antwerpiensis Leodiensis et Cameracensis diocesium monasteriorum abbatibus ac .. decano ecclesie sancti Martini Leodiensis salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III Non. Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Reg. Av. T. 16, *f.* 249v.

2149. *1373, Augusti 4, ap. Villamnovam.*

Jacobo Braem confertur parochialis ecclesia de Akersloot[1]*, quam cum Gerardo de Vischer pro parochiali ecclesia de Bodegraven putavit permutandam. — Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, II Non. Augusti, anno tertio.

Reg. Av. T. 18, *f.* 259v.

1) Akersloot, vicus in Hollandia septemtrionali.

2150. *1373, Augusti 6, ap. Villamnovam.*

Ecberto de „Ottmersem" [1]) *confertur parochialis ecclesia de Malsen Traj. dioec., quam cum Stephano de Manher pro altari S.S. Nicolai et Barbarae sito in parochiali ecclesia de Borghenden* [2]) *Traj. dioec. putavit permutandam. — Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, VIII Id. Augusti, anno tertio.

Reg. Av. T. 18, *f.* 348.

1) Ootmarsum. 2) Vicus quidam in Drentia.

2151. *1373, Septembris 27, ap. Villamnovam.*

Rutghero de Heethusen [1]) *confertur capellania, vicaria nuncupata, altaris S. Johannis Evangelistae siti in ecclesia S. Petri Traj., quam cum Johanne de Oldendorp pro vicaria b. Mariae in parochiali ecclesia de Busen Bremensis dioec. putavit permutandam. — Deputantur executores.*

Apostolice sedis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, V Kl. Octobris, anno tertio.

Reg. Av. T. 18, *f.* 345.

1) Heythuizen in Limburgia.

2152. *1373, Octobris 18, Avenionis.*

Arnoldo de Horst presbytero Traj. dioec. indulgetur, quod in locis interdicto suppositis Missam aliaque divina officia privatim celebrare vel in sua suorumque familiarium praesentia celebrari facere valeat.

Devotionis tue.... Dat. Avinione, XV Kl. Novembris, anno tertio.

Reg. Av. T. 16, *f.* 326v.

2153. *1373, Octobris 20, Avenionis.*

Pro praeposito et conventu monasterii in Bethlehem ord. S. Augustini Traj. dioec. infrascripti deputantur conservatores, quibus mandatur, ut qualescumque ipsorum in personis vel bonis molestatores per censuras ecclesiasticas ad debitam satisfactionem compellant.

Dilectis filiis .. beate Marie ad Gradus Coloniensis et .. sancti Martini Monasteriensis ac .. Embricensis Trajectensis diocesis decanis ecclesiarum salutem *etc.*
Ad reprimendas insolencias transgressorum et transgressiones insolencium refrenandas, si nervus publice discipline lentescat, eorum ad peccandum voluntas

fit lapsior et exemplum impunitate periculosius in alios derivatur, propter quod ad presidencie officium pertinet sic debitam execucionem adhibere justicie, quod commissa jam crimina puniat et committendorum imposterum audaciam interdicat. Sane lamentabilis dilectorum filiorum .. prepositi et conventus monasterii in Belheim *(sic)* per prepositum soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, Trajectensis diocesis, querela nostrum turbavit auditum, amaricavit et mentem, quod nonnulli iniquitatis filii, a quorum oculis Dei timor abcessit, in partibus illis pretextu guerrarum, quibus partes ipse dicuntur multipliciter fatigari, et alias temere personas ecclesiasticas seculares et regulares eciam in dignitatibus constitutas dicti monasterii, prioratuum ac aliorum ecclesiasticorum locorum secularium et regularium parcium earundem ab eodem monasterio dependencium, bellicis actibus se minime immiscentes, non absque injectione manuum violenta capere, detinere, carceribus mancipare, tormentis subicere, verberibus cedere, vulnerare, morti tradere et crudelibus afflictionibus ad redemptiones indebitas personaliter cohercere, et monasterium ac prioratus et alia pia loca regularia ab eodem monasterio dependencia invadere, frangere, capere, occupare, occupata detinere, diruere et incendio concremare ac monasterium, prioratus ac loca ipsa libris, calicibus, crucibus, sanctorum reliquiis, paramentis aliis divino cultui et usibus deputatis spoliare et hujusmodi libros, calices, cruces, sanctorum reliquias, ornamenta et paramenta ausu sacrilego necnon fructus, redditus, res et bona alia ecclesiasticarum personarum monasterii, prioratuum et aliorum locorum hujusmodi tam in ipsis quam extra illa existencia eciam violenter recipere, depredari ac in predam abducere seu asportare presumpserunt hactenus et cotidie presumere non verentur, propter que persone monasterii, prioratuum et locorum ipsorum ea coacti deseruerunt et deserunt ac ecclesie obsequiis debitis et Christifideles Sacramentis ecclesiasticis ac pauperes et infirmi pia hospitalitatis subvencione fraudentur; quodque nonnulli, qui gloriantur, cum malefecerint, hujusmodi criminum patratores necnon personas ecclesiasticas et religiosas captas ab eis et insuper res et bona hujusmodi per eos in predam abducta seu asportata scienter in civitatibus, castris, villis, fortaliciis, terris et aliis locis eorum receptaverunt et receptant, aliqui vero premissa omnia seu nonnulla ex eis fieri seu committi fecerunt et eciam mandaverunt seu eorum nomine aut mandato facta sive commissa rata habuerunt et habent, alii eciam eisdem predictorum criminum patratoribus in committendis eisdem excessibus per se et alios prestiterunt et prestant auxilium et favorem; eaque omnia, que in gravem eciam divine majestatis offensam, animarum periculum, ecclesiastice libertatis contemptum et plurimorum scandalum cedere dinoscuntur, in eisdem partibus sic sunt notoria, sic ea publica fama divulgat, sicque nociva, proh dolor! experiencia manifestat, quod tergiversacione aliqua nequentur occultari. Cupientes igitur huic morbo, ne per moras temporum factus cronicus fomenta respuat medicine, oportunam et congruam adhibere medelam, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, omnes et singulos tam clericos quam laicos, cujuscunque status, ordinis vel condicionis existant, hujusmodi ecclesiasticarum et religiosarum personarum se, ut premittitur, bellicis actibus non immiscentium, captores, detentores, carceri mancipatores, compulsores, verberatores, vulneratores, occisores necnon ipsarum personarum eccle-

siasticarum et religiosarum sic captarum seu detentarum ac carceratarum receptatores, ecclesiarum effractores et incendiarios ac rerum et bonorum in ipsis monasterio, prioratibus et locis existencium violentos spoliatores, raptores et depredatores necnon talia fieri mandantes seu procurantes aut eorum nomine seu mandato facta, rata et grata habentes, utpote excommunicatos a canone generaliter per omnes ecclesias et loca, in quibus expedire videritis, auctoritate nostra excommunicatos publice nuncietis. Et insuper omnes et singulos tam sic excommunicatos a canone quam hujusmodi monasterii, prioratuum et locorum ac personarum ecclesiasticarum et religiosarum predictorum spoliatores, librorum, fructuum, reddituum et aliorum bonorum prefatorum occupatores, detentores, raptores, depredatores, abductores et asportatores, necnon eos, qui talia fieri seu committi mandaverunt seu fecerunt aut eorum nomine seu mandato facta seu commissa rata habuerunt seu habent, ipsorumque ea patrancium ac rerum et bonorum hujusmodi in predam asportatorum receptatores ex parte nostra generaliter publice in ecclesiis coram populo per vos vel alios moneatis, ut infra competentem terminum, quem eis prefixeritis, hujusmodi captos, spoliata, rapta, abducta et asportata restituant seu de ipsis et alias de hujusmodi per eos commissis debitam satisfactionem impendant, et si infra dictum terminum id non adimpleverint, in illos, qui alias ob premissa a jure excommunicati non sunt, generalem excommunicacionis sentenciam proferatis ipsorumque omnium hujusmodi monita non adimplencium terras, opida, castra, villas et loca subiciatis ecclesiastico interdicto. Preterea tam predictos quam alios omnes et singulos, personas ecclesiasticas seculares et regulares, comites, proceres, barones, nobiles, milites et laicos, communia quoque et universitates civitatum, castrorum, villarum et aliorum quorumcunque locorum generaliter et publice eadem auctoritate monere curetis, ut a talibus omnino deinceps abstineant. Alioquin extunc in omnes et singulos, qui talia committere aut attemptare presumpserint, in singulares scilicet personas, in illis videlicet casibus ex predictis, in quibus excommunicacionem per jam editos canones non subirent, excommunicacionis, ac in universitates et communitates ac in omnium et singulorum talia committencium civitates, opida, castra, terras, villas et loca interdicti generales sentencias proferatis. Et nichilominus omnes et singulos, quos simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii, solerti et fideli adhibita diligencia, repperitis talia commisisse aut fecisse vel mandasse, fieri aut committi aut eorum nomine vel mandato facta seu commissa rata et grata habuisse seu in futurum committere vel facere aut mandare fieri aut eorum nomine vel mandato facta seu commissa rata et grata habere, si singulares persones, sive ab eodem canone sive vigore monicionum hujusmodi excommunicati sint, excommunicatos nominatim, candelis accensis, si vero communitates vel universitates extiterint ac monicionibus hujusmodi non paruerint, eos eciam nominatim ipsorumque omnium et singularum personarum, universitatum et communitatum eisdem monicionibus non parencium civitates, opida, castra, terras, villas et loca interdicta tam diu diebus dominicis et festivis in ecclesiis atque locis, in quibus vobis videbitur expedire, cum major fuerit in eis cleri et populi multitudo, publice nuntietis et faciatis ab aliis nunciari ipsosque excommunicatos ab omnibus arcius evitari, donec super hiis satisfecerint competenter et cum vestris litteris rei veritatem continentibus ad apostolicam sedem venerint pro absolucionis ab excommunica-

cione predicta et interdicti hujusmodi relaxacionis beneficiis obtinendis. Nos enim, ne sub spe venie consequende fataliter intentio [1]) delinquendi aliquibus forsitan prebeatur, absolucionem ab excommunicacionum sentenciis ac relaxacionem seu suspensionem interdicti hujusmodi nobis vel successoribus nostris Romanis pontificibus tantummodo reservamus, ita videlicet, ut nullus preterquam in mortis articulo quenquam ab excommunicacionum sentenciis hujusmodi absolvere possit. Ceterum, si forsan predictorum hujusmodi scelerum patratorum ac receptancium eos eaque fieri mandancium ipsisque dancium in illis per se vel alium seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte auxilium, consilium vel favorem presencia pro monicione et requisicione hujusmodi seu citacione de ipsis faciendis eis secure vel commode haberi nequiret, vobis monicionem et requisicionem hujusmodi ac citaciones quaslibet, predicta publicata in locis affigenda publicis, de quibus sit verisimilis conjectura, quod ad noticiam citatorum et monitorum hujusmodi pervenire valeant, faciendi plenam concedimus tenore presencium potestatem et volumus, quod perinde ipsos citatos, requisitos et monitos, ut premittitur, artent, ac si eis facte et insinuate principaliter et personaliter extitissent; non obstantibus tam fe(licis) re(cordationis) Bonifacii pape VIII predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad judicium evocetur, seu quod judices a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere sive alii vel aliis vices suas committere aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere non presumant, aut de duabus dietis in concilio generali quam aliis quibuscunque constitucionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de judicibus delegatis quam personis ultra certum numerum ad judicium non trahendis, aut aliis editis, que vestre possent in hac parte jurisdictioni aut potestati ejusque libero exercicio quomodolibet obviare; seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mencionem. Dat. Avinione, XIII Kl. Novembris, anno tercio.

Reg. Av. T. 17, *f.* 31.

1) Codex habet: intentui.

2154. *1373, Octobris 20, Avenionis.*

Infrascriptis ad querelam Johannis Wilde praepositi Embricensis ecclesiae tamquam conservatoribus mandatur, ut omnes et singulos, qui praetextu guerrarum in partibus istis saevientium clericos et personas ecclesiasticas dictae ecclesiae aliarumque ecclesiarum, capellarum, locorum ecclesiasticorum eidem praeposito subjectorum in suis personis, juribus et bonis molestaverint, tamdiu excommunicatos publice nuncient et nunciari faciant, donec super praemissis debita satisfactio integre praestita fuerit.

Dilectis filiis Trajectensis et sancte Marie ad Gradus Coloniensis ac Reyssensis Coloniensis diocesis decanis ecclesiarum salutem *etc.*

Ad reprimendas insolencias.... Dat. Avinione, XIII Kl. Novembris, anno tercio.

Reg. Av. T. 19, *f.* 413.

2155. *1373, Octobris 26, Avenionis.*

Volkero dicto Iseren decano ecclesiae Daventriensis confirmatur collatio ipsi per apostolicam sedem facta de decanatu ejusdem ecclesiae [1], *non obstante quod in hujusmodi literis per inadvertentiam expressa non fuerit provisio, ipsi olim facta de praepositura Arnhemensi ac de canonicatu cum exspectatione praebendae in ecclesia Traj.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, VII Kl. Novembris, pontificatus nostri anno tertio.

Reg. Av. T. 16, *f.* 343v.

1) Supra num. 2005.

2156. *1373, Novembris 10, Avenionis.*

Wilhelmo de Zyl canonico praebendato ecclesiae Traj., baccalaureo in decretis, confertur decanatus ecclesiae S. Petri Traj., quem cum Hermanno de Rost, in decretis baccalaureo, pro canonicatu et praebenda ecclesiae b. Mariae Aquensis putavit permutandum. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, IIII Id. Novembris, anno tertio.

Reg. Av. T. 18, *f.* 378.

2157. *1373, Novembris 26, Avenionis.*

Alberto duci Bavariae mandatur, ut a gravaminibus (Gerardo) episcopo Cameracensi inferendis omnino desistat.

Dilecto filio nobili viro Alberto duci Bavarie, gubernatori Hanonie, Hollandie et Zellandie *(sic)*, comiti palatino salutem *etc.*

Etsi personam tuam sincere diligamus ac tenere brachiis caritatis amplectamur, silere tamen non possumus nec volumus, cum ecclesiarum, quarum specialis cura nobis est commissa, pericula imminere intuemur. Sane nuper displicenter accepimus, quod nonnulle gentes tue, nescimus an de tua connivencia vel consensu, in comitatu Hannonie, quem regis, venerabili fratri nostro .. episcopo Cameracensi ejusque subditis ac aliis personis ecclesiasticis quamplura gravamina irrogarunt et cotidie inferre non cessant, que quidem gravamina tibi transmittimus presentibus inclusa. Quocirca nobilitatem tuam rogamus et hortamur in Domino, eam attencius deprecantes, quatinus cum in terris aliorum

fidelium talia gravamina prelatis et eorum subditis ac personis ecclesiasticis nullatenus irrogentur, pro nostra et apostolice sedis reverencia et eciam tue salutis intuitu premissa gravamina cum satisfactione debita revoces et revocari facias et a similibus et eciam a quibuscunque aliis prefato episcopo et ejus subditis in antea inferendis abstineas et predictas gentes tuas abstinere facias, in premissis taliter te habendo, quod omnipotentem Dominum tibi constituas propicium nec oporteat per nos super hoc aliud remedium adhiberi. Nam cum ex injuncte nobis desuper apostolice servitutis officio de anima tua illi, qui magnum judicat sicut parvum et apud quem personarum acceptio non existit, simus racionem in extremo judicio reddituri ac jura ecclesiarum defendere teneamur, pro mensura excessuum abhibere medelam salubrem curaremus nec id dissimulare possemus ulterius nec salva conscientia preterire. Dat. Avinione, VI Kl. Decembris, anno tercio.

Regesta Vaticana T. 269, *f.* 237.

2158. *1373, Decembris 13, Avenionis.*

Ade Grenfeld ejusque uxori Catherinae Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, Id. Decembris, anno tertio.

Reg. Av. T. 16, *f.* 302v.

2159. *1373, Decembris 23, Avenionis.*

Reynerio de Drynen [1]) *clerico Traj. dioec., Guillermi S. Angeli diaconi Cardinalis familiari, reservatur perpetua vicaria S.S. Johannis Baptistae et Laurentii in ecclesia Zutphaniensi, quae vacatura speratur, quamprimum Gerardus natus Johannis de Borclo* [2]) *beneficium a decano et capitulo ecclesiae S. Petri Middelburgensis conferendum, quod vigore literarum apostolicarum exspectat, pacifice fuerit assecutus. — Deputantur executores.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, X Kl. Januarii, anno tertio.

Reg. Av. T. 17, *f.* 345v.

1) Dryne in Twentia vel Drunen prope Heusden. Codex habet: de Dryner.
2) Borculo, pagus in Gelria.

2160. *1374, Januarii 10, Avenionis.*

Swedero de Vyanen nobili militi Traj. dioec. conceditur licentia habendi altare portatile.

Sincere devotionis.... Dat. Avinione, IIII Id. Januarii, anno quarto.

Reg. Av. T. 20, *f.* 133.

2161—2162. *1374, Januarii 14, Avenionis.*

A. *Hermanno de Brandenborch confertur altare S. Nicolai situm in ecclesia Traj., quod cum Johanne Braxatoris per Theodericum de Oy ejusdem ecclesiae canonicum tamquam suum in hac causa procuratorem pro altari b. Mariae Virginis sito in parochiali ecclesia de Rotterdamme putavit permutandum.*

B. *Johanni Braxatoris dictum altare b. Mariae Rotterodamense assignatur. — Pro utroque deputantur executores.*

Apostolice sede.... Non obstantibus .... quod parrochialem ecclesiam de Tserhenneskynder [1]) dicte diocesis nosceris [2]) obtinere.... Dat. Avinione, XVIIII Kl. Februarii, anno quarto.

Reg. Av. A *T.* 20, *f.* 509; B *T.* 22, *f.* 353.

1) 's Heer-Hendrikskinderen, pagus in Sut-Bevelandia. 2) Scilicet praefatus Hermannus.

2163. *1374, Januarii 14, Avenionis.*

Henrico Heezel clerico Traj. dioec., Raynaldi S. Adriani diaconi Cardinalis servitori, reservatur beneficium non curatum in ecclesia Traj., 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, XVIIII Kl. Februarii, anno quarto.

Reg. Av. T. 20, *f.* 615.

2164. *1374, Januarii 24, Avenionis.*

Wilhelmo de Zyle confirmatur decanatus ecclesiae S. Petri Traj., non obstante quod alio quam in literis collationis [1]) *expressum est modo vacaverit.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, VIIII Kl. Februarii, anno quarto.

Reg. Av. T. 20, *f.* 160.

1) Supra num. 2156.

2165. *1374, Januarii 23, Avenionis.*

Magistro Guillermo Guitardi, causarum palatii apostolici auditori, mandatur, ut Theoderico de Oy canonico ecclesiae S. Petri Traj., licentiato in legibus et in artibus magistro, parochialem ecclesiam Aggeris S. Martini [1]) *Traj. dioec. assignare procuret. Hanc enim ecclesiam, cum per resignationem Alberti de Merten, parochialem ecclesiam de Tienhoven pacifice assecuti, vacasset, ipse Theodericus a decano et capitulo S. Salvatoris Traj., qui veri ejusdem patroni esse praetenduntur, Hugo vero Voilp a Francone de Bersalia milite, qui etiam ejusdem ecclesiae patronus esse praetenditur, acceptavit; quapropter primum coram archidiacono Traj. et deinde, appellatione ab hujus sententia per Theodericum interposita, in curia diu litigarunt.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, X Kl. Februarii, anno quarto.

Reg. Av. T. 22, f. 274.

1) Sint-Maartensdijk, pagus in Zelandia.

2166. *1374, Februarii 6, Avenionis.*

Petro Voet confertur parochialis ecclesia b. Mariae Daventriensis, pro qua canonicatum, praebendam et supplementum S. Lebuini Daventriensis cum Everardo de Hese [1]) putavit permutanda. — Deputantur executores.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, VIII Id. Februarii, anno quarto.

Reg. Av. T. 20, f. 533.

1) Heeze, pagus prope Eindhoven.

2167—2173. *1374, Martii 1, Avenionis.*

A. *Jacobo quondam Jacobi dicti magistri Jacob nato, laico*
B. *Mauricio quandam Danielis Theodrici nato, presbytero*
C. *Johannae Diec dominae loci de* „Dortoghe"
D. *Hermanno Kempinch ejusque uxori Juttae*
E. *Gerardo Potter laico*
F. *Mattiae Roedrager laico*
G. *Danieli de Meruede militi ejusque uxori Margaretae nobilibus*
} *Traj. dioec.*

conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, Kl. Marcii, anno quarto.

Reg. Av. T. 21, f. 599—600.

2174. *1374, Martii 2, Avenionis.*

Capella collegiata in Haga ab ordinaria jurisdictione eximitur et sub apostolicae sedis protectione suscipitur.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Etsi universa orbis.... Sane dudum ad dilecti filii nobilis viri Alberti ducis et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Margaret *(sic)* [1]) ejus uxoris ducisse Bavarie supplicationem capellam in precipuo habitationis sue loco in Haga partium Hollandie Trajectensis diocesis consistentem in collegiatam ereximus, quatuordecim prebendas per ipsos ducem et ducissam sufficienter dotatas, quarum decanus dicte capelle pro tempore existens duas habet, et quatuor perpetuas capellanias ibidem instituendo, prout in nostris inde confectis litteris [2]) plenius

continetur. Hinc est, quod nos dictorum ducis et ducisse supplicationibus inclinati predictam capellam ejusque decanum, canonicos et personas in jus et proprietatem beati Petri et predicte sedis apostolice suscipimus, eos ab omni jurisdictione, potestate et dominio loci diocesani et metropolitani et aliorum quorumcunque judicum ordinariorum totaliter et perpetuo eximentes, ita quod nec diocesanus sive metropolitanus aut alius quicunque ordinarius ipsos decanum, capitulum et personas ac eorum capellam utpote prorsus exemptos interdicere, suspendere vel excommunicare valeat seu quocunque alio modo in eos potestatem, jurisdictionem sive dominium aliqua exercere, et si secus actum fuerit, id irritum sit et inane. Per hoc autem jurisdictioni, quam dictus decanus in ipsos capitulum, canonicos et alias personas dicte capelle ex concessione nostra [3]) seu alias habere dinoscitur, non intendimus in aliquo derogare. Nulli ergo *etc.*.... Dat. Avinione, VI Non. Marcii, pontificatus nostri anno quarto.

Autographum in archivo Status Hagae Comitano, cum sigillo plumbeo, filis sericis rubri flavique coloris appenso; latere sinistro subscriptum est: C P. Ganaldani; *in plica inferiori extra:* P. Volmanerie; *a tergo:* Ghiselbertus Boc. *Apographum saec. XV ibidem in chartul. capellae curialis fol.* 16r; *in archivo civitatis Leydensis exstat Vidimus per officialem curiae Traj., Ghiselbertum de Andel praepositum monasterii Campiregis, Hugonem Scout in Naeldwyc, Hugonem dictum van der Hout S. Pancratii in Leyden ecclesiarum decanos datum Hagis, feria* 2a *Januarii an.* 1376, — *in charta membranea cum quattuor sigillis cereis.*

Reg. Av. T. 21, *f.* 272v.

De Riemer Beschrijving van 's Gravenhage I. I. 200; *Rammelman Elsevier Inventaris I.* 175*.

1) Reg. Av. habent: Mergarite. 2) Supra num. 1987. 3) Cfr. supra num. 2095.

2175. *1374, Martii 2, Avenionis.*

Statuitur, quod decanum capellae in Haga, quem capitulum elegerit, abbas monasterii Middelburgensis pro tempore existens possit et debeat confirmare.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Eximie devotionis sinceritas.... Cum autem, sicut exhibita nobis pro parte dictorum ducis et ducisse petitio continebat, difficile esset, cum quis ad decanatum ejusdem capelle per ipsos capitulum electus fuerit, ad sedem apostolicam accedere pro confirmatione hujusmodi electionis obtinenda, pro parte dictorum ducis et ducisse nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere in premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, hujusmodi supplicationibus inclinati, volumus et apostolica auctoritate tenore presentium statuimus et etiam ordinamus, quod cum in antea hujusmodi electio decani dicte capelle fuerit celebrata, abbas monasterii Middelburgensis Premonstratensis ordinis, dicte diocesis, pro tempore existens, electionem hujusmodi possit et debeat auctoritate apostolica secundum canonicas sanctiones confirmare, ita quod per hoc nullum aliud jus sibi in dicta capella acquiratur nec in aliquo premisse exemptioni derogetur. Nulli ergo *etc.*.... Dat. Avinione, VI Non. Martii, pontificatus nostri anno quarto.

Ibidem autographum, quod propter pallorem atramenti partim legi vix potest, cum simili sigillo; latere sinistro subscriptum est: 1 / P. Ganaldini; *in plica inferiori extra:* Armandus; *a tergo:* Ghiselbertus Boc, *et paullo infra:* R. *Insuper apographum l. c. fol.* 15v; *Reg. Av. T.* 21, *f.* 272v; *apographum an.* 1552 *in arch. prov. Middelburgensi, in folio chartaceo.*
Van Visvliet Inventaris III. n° 1093*, ubi perperam refertur ad an. 1410.

2176. *1374, Martii 2, Avenionis.*

(Arnoldo) episcopo Traj. committitur, ut Alberto duci et ducissae Bavariae concedat, quod decanus capellae in Haga pro tempore existens ipsorum ducis et ducissae necnon successorum atque familiarium suorum curam inantea exercere valeat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri .. episcopo Trajectensi salutem et apostolicam benedictionem.

Sincere devotionis affectus.... Cum autem, sicut exhibita nobis pro parte dictorum ducis et ducisse petitio continebat, ipsi dictam capellam honorificentius extollere et ampliori modo decorare proponant et intendant ac cupiant, quod cura animarum ipsorum et successorum suorum in dominio hujusmodi partium Hollandie in dicto loco in Haga ac familiarium suorum per decanum dicte capelle, qui erit pro tempore, inantea regatur et etiam exerceatur, nos volentes ipsos ducem et ducissam favoribus prosequi gratiosis, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus facta compensatione sufficienti rectori parrochialis ecclesie, infra cujus parrochiam dicta capella consistit, super quo tuam conscientiam oneramus, eisdem duci et ducisse auctoritate apostolica concedas, quod hujusmodi cura ipsorum ducis et ducisse et successorum suorum hujusmodi partium Hollandie in dicto loco in Haga ac familiarium suorum, continuorum commensalium, per decanum dicte capelle, qui erit pro tempore, inantea regatur et etiam exerceatur, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non || possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. || Dat. Avinione, VI Non. Martii, pontificatus nostri anno quarto.

Ibidem autographum, in quo atramentum nonnihil expalluit, cum sigillo plumbeo, chordulis cannabinis appenso; latere sinistro subscriptum est: × × ×; *in plica inferiori extra:* Rta Gs / Jo. Revordelli; *a tergo:* Ghiselbertus Boc, *et paullo infra:* R. *Insuper apographum l. c. fol.* 11v; *Reg. Av. T.* 21, *f.* 306.

2177. *1374, Martii 2, Avenionis.*

Mauritio Danielis rectori parochialis ecclesiae de Ridderkerk 1) *Traj. dioec., in artibus magistro, reservatur beneficium non curatum in ecclesia Traj., 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Non obstantibus .... quod parrochialem ecclesiam de Riderkerke Trajectensis diocesis, cujus fructus, redditus et proventus propter aquarum inundationes, ut asseritur, modici valoris existunt, nosceris obtinere.... Dat. Avinione, VI Non. Martii, anno quarto.

Reg. Av. T. 20, *f.* 624.

1) Codex habet in inscriptione: Brederkerke.

2178. *1374, Martii 16, ap. Villamnovam.*

Henrico Henrici Scholten de „Depeldoren",[1] *clerico Traj. dioec., reservatur beneficium sine cura in ecclesia Traj., 18 marcarum argenti valorem annuum non excedens; cassatur autem alia reservatio, nuper eidem facta de beneficio non curato, ad collationem duorum rectorum ecclesiae b. Mariae civilis Traj. spectante. — Deputantur executores.*

Probitatis et virtutum.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, XVII Kl. Aprilis, anno quarto.

Reg. Av. T. 20, *f.* 62ᵛ.

1) Legendum videtur: Aepeldoren = Apeldoorn, pagus in Velavia.

2179. *1374, Aprilis 3, Avenionis.*

Gherardo Thenkippe de Dosborch,[1] *clerico Traj. dioec., confertur tabellionatus officium.*

Ne contractuum.... Dat. Avinione, III Non. Aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Reg. Av. T. 21, *f.* 573.

1) Doesburg.

2180. *1374, Aprilis 7, Avenionis.*

Coloniensi, Trevirensi et Moguntinensi archiepiscopis eorumque suffraganeis aliisque archiepiscopis et episcopis per Alamanniam, Brabantiam et Flandriam constitutis committitur, ut ipsorum quilibet suis in civitate et dioecesi de vita et conversatione nonnullarum personarum utriusque sexus, quae in paupertate et castitate vivunt, diligenter inquirat et dominum Papam informet; quas culpabiles repererit, secundum canonicas puniat sanctiones, quas autem innocentes, efficaciter protegat.

Ex injuncto nobis.... Dat. Avinione, VII Id. Aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Mosheim De Beghardis p. 304 *Fredericq Corpus docum. I.* 230. n° 220.

2181. *1374, Aprilis 8, Avenionis.*

Henrico Braem abbati monasterii b. Mariae Middelburgensis Praemonstr. ordinis conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis.

Provenit ex.... Dat. Avinione, VI Id. Aprilis, anno quarto.

Reg. Av. T. 21, *f.* 604.

2182—2183. *1374, Aprilis 12, Avenionis.*

A. *Tannae de More mulieri Traj. dioec. conceditur idem privilegium.*
B. *Item Theoderico Schelp nobili domicello Traj. dioec.*

Provenit ex.... Dat. Avinione, II Id. Aprilis, anno quarto.

Reg. Av. T. 24, *f.* 528v.

2184. *1374, Aprilis 21, ap. Villamnovam.*

Johanni (de) Pierwez [1]) *conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia S. Petri Traj. vacantes per obitum Egidii de Pierwez, apud curiam defuncti. — Deputantur executores.*

Vite ac morum.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, XI Kl. Maji, anno quarto.

Reg. Av. T. 22, *f.* 356.

1) Perwez, pagus in provincia Namurcensi.

2185. *1374, Aprilis 26, ap. Villamnovam.*

Infrascriptis mandatur, ut Henrico de Bilant canonico ecclesiae Zeflicensis conferant canonicatum et praebendam cum ferculo ecclesiae Xanctensis [1]) *Colon. dioec.; haec enim beneficia qui retineat, Mys Petri, ex eo quod* „iniquo seductus spiritu condam Johannem Calthohf canonicum dicte ecclesie in ambitu ipsius ecclesie temeritate propria .... interfecerat, se plane reddidit indignum."

Venerabili fratri episcopo Trajectensi ac dilectis filiis Westfrisie Trajectensis ac Zeflicensis Coloniensis diocesium ecclesiarum prepositis salutem *etc.*

Apostolice sedis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, VI Kl. Maji, pontificatus nostri anno quarto.

Reg. Av. T. 22, *f.* 706.

1) Codex habet: Sanctensis.

2186. *1374, Aprilis 28, ap. Villamnovam.*

Theobaldo de Herwen [1]) *confertur personatus seu simplex officium in* „Oderkerken" [2]) *Traj. dioec., vacans per obitum Ottonis de Omeren, apud curiam defuncti. — Deputantur executores.*

Laudabilia probitatis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, IIII Kl. Maji, anno quarto.

Reg. Av. T. 20, *f.* 509v.

1) Codex habet: Horwen. 2) Ouderkerk.

2187. *1373, Maji 1, ap. Villamnovam.*

Jacobo Johannis dicto Stoc presbytero, qui de presbytero genitus et soluta dispensationem super defectu natalium et deinde capellaniam in parochiali ecclesia de Abbenbroec [1]) *eaque dimissa parochialem ecclesiam de* „Moerdrech" [2]) *Traj. dioec. assecutus est, indulgetur, quod insuper duo alia beneficia, quorum alterutrum etiam curatum existat, licite obtinere valeat.*

Laudabilia probitatis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, Kl. Maji, anno quarto.

Reg. Av. T. 20, *f.* 248v.

1) Abbenbroek. 2) Moordrecht; uterque pagus in Hollandia meridionali.

2188. *1374, Maji 3, ap. Villamnovam.*

Symoni de Bourich [1]) *licentiato in legibus conferuntur canonicatus et praebenda in ecclesia b. Mariae Traj. vacantia per obitum Nicholai de Maersen, apud curiam defuncti. — Deputantur executores.*

Litterarum scientia.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, V Non. Maji, anno quarto.

Reg. Av. T. 22, *f.* 235v.

1) Burich vel Buderich, pagus in provincia Rhenana.

2189—2190. *1374, Maji 28, Salonae.*

A. *Friderico dicto Capellaen confertur parochialis ecclesia in Moerdrecht, quam cum Jacobo Johannis dicto Stoc pro infrascriptis beneficiis putavit permutandam.*

B. *Jacobo Johannis dicto Stoc conferuntur parochialis ecclesia in* „Marsen" [1]) *et perpetuum quoddam beneficium in ecclesia S. Salvatoris Traj. — Pro utroque deputantur executores, inter quos Everardus Foec canonicus Traj.*

Apostolice sedis.... Dat. Salone Arelatensis diocesis, V Kl. Junii, anno quarto.

Reg. Av. T. 22, *f.* 536ᵛ—537.

1) Maarssen.

2191. *1374, Junii 19, Salonae.*

Jacobo S. Georgii ad Velum Aureum diacono Cardinali conferuntur canonicatus, praebenda et thesauraria cum supplemento, in ecclesia Traj. vacantia per obitum Raynaldi S. Adriani diaconi Cardinalis.

Dum ad personam.... Dat. Salone Arelatensis diocesis, XIII Kl. Julii, anno quarto.

Reg. Av. T. 22, *f.* 157.

2192. *1374, Julii 7, ap. Ongonum.*

Johanni de Pierwez [1]) *conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae Traj., vacantes ex eo quod Johannes tit. S. Laurentii in Lucina, qui beneficia per obitum Guillermi* „de Yselhstien" [2]) *vacantia vigore literarum apostolicarum obtinuerat, ante pacificam ipsorum assecutionem in curia decessit. — Deputantur executores.*

Laudabilia probitatis.... Dat. apud Ongonum Avinionensis diocesis, Non. Julii, pontificatus nostri anno quarto.

Reg. Av. T. 22, *f.* 599.

1) Codex habet: de Pierrinez. 2) Ysselstein.

2193. *1374, Augusti 18, Novis.*

Infrascriptis mandatur, ut Bernardo Johannis de Goch clerico Traj. dioec. conferant perpetuam vicariam ecclesiae S. Lebuini Daventriensis, ultra 4 marcas argenti annuatim non valentem et vacantem ex eo quod Fredericus Kummer canonicatum et praebendam ejusdem ecclesiae obtinuit.

Venerabili fratri archiepiscopo Acherontensi et dilectis filiis sancte Walburgis Zutphaniensis et sancti Martini Embricensis Trajectensis diocesis ecclesiarum decanis salutem *etc.*

Probitatis et virtutum.... Dat. Novis Avinionensis diocesis, XV Kl. Septembris, anno quarto.

Reg. Av. T. 20, *f.* 575.

2194. *1374, Septembris 12, ap. Pontem Sorgiae.*

Pro Symone episcopo Praenestino 1) *ad tuenda bona juraque, ipsi ratione praepositurae et archidiaconatus ecclesiae Daventriensis competentia, infrascripti ad quinquennium deputantur conservatores.*

Dilectis filiis Trajectensis et Leodiensis decanis ac preposito beate Marie Brugensis Tornacencis diocesis (ecclesiarum) salutem *etc.*

Ad regendum universalis.... Dat. apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis, II Id. Septembris, anno quarto.

Reg. Av. T. 22, *f.* 52v.

1) Codex habet: Penetrino.

2195. *1374, Octobris 1, ap. Villamnovam.*

Wenemaro Tengoye in artibus magistro confirmantur canonicatus et praebenda ecclesiae S. Johannis Traj., quas per obitum Riquini Oppenoerde vacantes acceptavit vigore gratiae exspectativae a sede apostolica impetratae. 1)

Litterarum scientia.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, Kl. Octobris, anno quarto.

Reg. Av. T. 20, *f.* 182v.

1) Cfr. supra num. 1970.

2196. *1374, Novembris 14, Avenionis.*

Pro decano et capitulo capellae b. Mariae in „Hagha" *Traj. dioec. infrascripti ad triennium deputantur conservatores.*

Dilectis filiis .. Egmondensis et .. sancti Bavonis in Gandavo Trajectensis et Tornacensis diocesium monasteriorum abbatibus ac .. decano ecclesie Cameracensis salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. Avinione, XVIII Kl. Decembris, pontificatus nostri anno quarto.

Autographum, quod ob pallorem atramenti partim legi nequit, in archivo Status Hagae-Comitano, cum sigillo plumbeo chordulis cannabinis appenso; latere sinistro subscriptum est:

×
×
× ; *in plica inferiori extra:* Jo. Barilleti; *a tergo:* Ghiselbertus Boc, *et paullo*

B. Maynardi

infra: R.

Reg. Av. T. 22, *f.* 55v.

2197. *1374, Novembris 22, Avenionis.*

Goswino de Herderwyc clerico, cui dominus Papa dudum beneficium spectans ad dispositionem capituli b. Mariae Traj. reservavit, indulgetur, quod hujusmodi literae non exspirent, etiamsi ipsum interim alterum beneficium canonice obtinere contigerit.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, X Kl Decembris, anno quarto.
Reg. Av. T. 20, 304r.

2198. *1374, Decembris 4, Avenionis.*

Officiali Traj. mandatur, ut Henrico de „Boltholdia" [1]) *monacho monasterii S. Pauli Traj., qui prioratum dicti monasterii per resignationem Leonii de* „Nucia" [2]) *vacantem, monachis dicti monasterii conferri consuetum et ultra 12 florenos auri annuatim non valentem, a Johanne (de Eem) abbate obtinuit, eundem prioratum confirmet, non obstante quod ipsius collatio ad sedem apostolicam fuisset devoluta.*

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, II Non. Decembris, pontificatus nostri anno quarto.
Reg. Av. T. 20, *f.* 251.

1) Intelligendum videtur: Boekholt, cujus nominis in patria nostra varii exstant loci, vel Bochold in Westfalia. 2) Neuss in provincia Rhenana.

2199. *1374, Decembris 4, Avenionis.*

Pro abbatissa et capitulo saecularis ecclesiae in Elten Traj. dioec. infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis .. sancte Crucis Leodiensis et .. beate Marie ad Gradus Coloniensis ac .. beate Marie Trajectensis ecclesiarum decanis salutem *etc.*

Militanti ecclesie.... Dat. Avinione, II Non. Decembris, anno quarto.
Reg. Av. T. 22, *f.* 57v.

2200. *1374, Decembris 24, Avenionis.*

Confirmatur decretum [1]) *Caroli imperatoris (IV), quo scilicet abrogata est antiqua consuetudo, quod cives et vassalli Traj. a criminibus quibuscumque per solum ipsorum juramentum se expurgare valerent.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Hiis, que equitatem sapiunt et salutem respiciunt animarum, ut illibata consistant, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane peticio pro

parte venerabilis fratris nostri Arnoldi episcopi Trajectensis nobis nuper exhibita continebat, quod olim carissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum imperator semper augustus attendens, quod in civitate et diocesi Trajectensibus ab antiquo fuerat observatum, quod cives Trajectenses et vasalli et ministeriales beati Martini et ecclesie Trajectensis super causis debiti vel aliis civilibus aut criminalibus quibuscunque, eciam homicidiis et ceteris delictis, de quibus coram episcopo seu ejus officiariis vel commissariis conveniebantur, eciam si per plures testes impeticiones hujusmodi sufficienter possent probari vel quacunque notoria et publica seu manifesta existerent, possent se per solum eorum proprium juramentum expurgare, et per hec daretur multis materia dejerandi ac omnia [2]) remanerent incorrecta ac delicta et homicidia occasione hujusmodi facilius pluries perpetrarentur in divine majestatis offensam ac grave periculum animarum, ac cupiens hujusmodi consuetudinibus causisque iniquis obviare, ne homines ad perpetracionem delictorum quorumlibet tali occasione pretensa levius prolaberentur, animo deliberato ac sano, principum, comitum et baronum et nobilium suorum et Romani imperii fidelium accedente consilio, de imperialis potestatis plenitudine ex sua certa scientia decrevit et declaravit, dictam consuetudinem tamquam juri communi contrariam non valere. Quare pro parte ipsius Arnoldi episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut decreto et declaracioni hujusmodi per dictum Carolum imperatorem, ut prefertur, factis robur confirmacionis adicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, hujusmodi supplicacionibus inclinati, decretum ac declaracionem predicta rata habentes atque grata, illa ex certa scientia auctoritate apostolica tenore presencium confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *etc.* nostre confirmacionis et communicionis infringere *etc.* Dat. Avinione, VIIII Kl. Januarii, pontificatus nostri anno quarto.

Reg. Av. T. 20, *f.* 328v; *apographum saec. XVII in archivo civitatis Ultraj. chartul. G. fol.* 56.

1) Quod die 26 Junii an. 1364 editum legi potest apud Matthaeum De jure gladii 470 et Van Mieris Charterboek III. 164. 2) In chartulario G.: crimina.

2201. *1374, Decembris 24, Avenionis.*

Confirmatur privilegium, Arnoldo (de Hoorn) a Carolo imperatore IV die 26 Junii an. 1364 in perpetuum concessum, scilicet quod episcopi Traj., qui pro tempore existerent, de quolibet dolio sive tonello usualis cerevisiae, infra dominium ipsorum „cum quadam herba, que humulus alias oppa vocatur", *fermentandae, unum grossum argenteum Turonensem levare valeant.*

Hiis, que pro.... Dat. Avinione, VIIII Kl. Januarii, pontificatus nostri anno quarto.

Reg. Av. T. 20, *f.* 329; *apographum saec. XVII in archivo civitatis Ultraj. G. fol.* 94. *Matthaeus Analecta III.* 260—262, ubi erronee refertur ad diem sequentem et diploma Caroli imperatoris ad III Kal. Julii.

2202. *1374, Decembris 24, Avenionis.*

Confirmantur literae Caroli imperatoris IV d.d. 26 Junii an. 1364, quibus episcopis Traj. conceditur, quod monetam auream et argenteam facere seu cudere aliasque monetas principum, comitum, nobilium, universitatum infra limites districtuum episcopo Traj. specialiter subjectorum taxare valeant.

Ad perpetuam rei memoriam.

Hiis, que pro ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum utililitate provide facta sunt, ut illibata consistant, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane peticio pro parte venerabilis fratris nostri Arnoldi episcopi Trajectensis nobis nuper exhibita continebat, quod olim carissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum imperator semper augustus episcopo Trajectensi, qui tunc erat, et successoribus suis ex imperialis potestatis plenitudine ex certa scientia imperpetuum concessit et eciam indulsit, quod episcopus Trajectensis, qui esset pro tempore, auream seu argenteam monetam facere seu cudere valeret equalis valoris monete Romanorum imperatorum ipsius Caroli predecessorum absque requisicione seu consensu prelatorum et cleri ecclesiarum civitatis Trajectensis, vasallorum vel quorumcumque aliorum, infra districtus terrarum ipsius episcopi commorancium, in eadem civitate Trajectensi vel in alio loco terrarum suarum, ut sibi melius videretur expedire; quodque alias omnes monetas principum, comitum, nobilium, universitatum quorumlibet, ipsius Caroli et aliorum imperatorum et regum Romanorum pro tempore existencium dumtaxat exceptis, moderare et taxare valeret secundum valorem auri puri, quod post probacionem seu examinacionem sufficientem in igne factam remaneret ex eisdem, infra limites dumtaxat districtuum episcopo Trajectensi specialiter subjectorum, prout in litteris auttenticis ipsius Caroli imperatoris sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dicti Arnoldi episcopi nobis extitit humiliter supplicatum, ut concessioni et indulto hujusmodi per dictum imperatorem, ut prefertur, factis robur confirmacionis adicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, hujusmodi supplicacionibus inclinati, concessionem et indultum predicta, non obstantibus nonnullis verbis in eisdem litteris insertis, videlicet ecclesiarum principalium sacrosancto Romano imperio subjectarum, que in litteris ipsis inseri minime debuntur *(sic)*, rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica ex certa scientia tenore presencium confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor vero dictarum litterarum talis est:

In nomine sancte et individue Trinitatis feliciter Amen. Karolus quartus, divina favente clemencia Romanorum imperator semper augustus et Boemie rex, ad perpetuam rei memoriam.

Divine retribucionis meritum ac temporalis prosperitatis augmentum nobis infallibiliter provenire non ambigimus, dum principalium ecclesiarum sacrosancto Romano subjectarum imperio et personarum ecclesiasticarum honorem et commoda rite pretendimus et liberabilibus imperialis munificientie graciis graciosius adaugemus. Sane ad devotam supplicacionis instanciam venerabilis Johannis episcopi ecclesie Leodiensis principis et consanguinei nostri carissimi, de hoc per ipsum humiliter nobis factam, necnon ad honorem Dei omnipotentis et beatissime Virginis Marie matris ipsius necnon sancti Martini patroni ecclesie

Trajectensis, et ut sub felici nostro regimine ipsa Trajectensis ecclesia se consolatam inveniat et ex hoc cultus divinus in eadem crebrius augeatur, dicto episcopo Trajectensi et successoribus suis imperpetuum de speciali nostra gracia et imperialis nostre potestatis plenitudine necnon ex certa nostra scientia concedimus graciosius et largimur, quod episcopus ecclesie Trajectensis, qui pro tempore fuerit, auream aut argenteam monetam facere seu cudere valeat equalis valoris monete divorum imperatorum et regum Romanorum predecessorum nostrorum absque requisicione seu assensu prelatorum et cleri ecclesiarum Trajectensis civitatis, vasallorum vel quorumcunque aliorum infra districtus terrarum episcopi Trajectensis commorancium, in civitate Trajectensi vel alio loco terrarum suarum, ut sibi melius videbitur expedire, quodque alias omnes monetas principum, comitum, nobilium seu universitatum quorumlibet, nostris ac dictorum imperatorum et regum Romanorum dumtaxat exceptis, moderare et taxare valeat secundum valorem auri puri vel argenti, quod post probacionem seu examinacionem sufficientem in igne factam remanet ex eisdem, [1]) infra limites dumtaxat districtuum episcopo Trajectensi specialiter subjectorum, volentes et mandantes universis et singulis subditis dicti episcopi ac ecclesie sue Trajectensis firmiter et districte, quatinus monetam hujusmodi per episcopum Trajectensem faciendam seu cudendam sine contradictione recipiant necnon moderacionem seu taxacionem aliarum monetarum omnino sustineant, ut prefertur. Nulli ergo omnino homini liceat hanc nostre concessionis et largitionis graciam infringere vel ei ausu temerario quomodolibet contraire. Si quis autem contrarium attemptare presumserit, gravem nostre indignacionis penam et quinquaginta marcharum puri auri, tociens quociens confractum fuerit, se noverit incursurum, quarum medietatem imperialis nostri fisci sive erarii, residuam vero partem dicti episcopi et sue ecclesie Trajectensis injuriam passorum usibus irremissibiliter volumus applicari. Signum serenissimi principis et domini domini Karoli quarti Romanorum imperatoris invictissimi et gloriosissimi, Boemie regis. Testes hujus rei sunt venerabiles Bertoldus Eystetensis, Johannes Olomucensis, Theodericus Wormacensis, Albertus Swerinensis et Lampertus Spirensis ecclesiarum episcopi, illustres Rudolphus dux Saxonie, sacri Romani imperii archimarescallus et princeps elector, Rudolphus Austrie, Styrie et Karintie, Bolko Swidicensis, Henricus Lignicensis duces, Johannes Moravie et Rudolphus de Baden marchiones spectabiles, Fridericus Nuemburgensis, [2]) Burghardus Magdeburgensis burggravii, Johannes lantgravius Luchembergensis et Henricus comes de Swartzpurg, nobiles Petrus, Judocus, Ulricus et Johannes fratres de Rosemberg et alii quam plurimi et imperii sacri principes nobiles et fideles presencium sub nostre imperialis majestatis sigillo testimonio litterarum. Dat. Budwoys anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quarto, indictione secunda, VI Kl. Julii, regnorum nostrorum anno decimo octavo, imperii vero decimo. Per dominum imperatorem Johannes Eystetensis, Johannes Saxo.

Nulli ergo nostre confirmacionis et communicionis infringere *etc.* Dat. Avinione, VIIII Kl. Januarii, pontificatus nostri anno quarto.

Reg. Av. T. 20, *f.* 330; *apographum saec. XVII in archivo civitatis Ultraject. chartul. G. fol.* 92.

Ibidem fol. 96 aliud legitur privilegium, a Carolo IV eodem die ad instantiam Joannis (de Arkel) episcopi concessum, scil. quod episcopus Traj. vel officiati ipsius homicidia publica et mutilationes membrorum in districtu suo, etiam si parti laesae ad evitandam

episcopi jurisdictionem fuerit satisfactum atque episcopus occisi corpus vel cadaver in sua praesentia non habeat, per omnia veluti ad partis esset instantiam punire valeat.

Neerlandice apud Dumbar Analecta II. 303, *et in Kerkel. Historie en Outheden (Beschrijving der bisschoppel. munten en zegelen door F. van Mieris) VI.* 53, sed utrobique erronee relata ad diem 25 Decembris; diploma Caroli neerlandice in libris laudatis l. c. et apud van Mieris Charterboek III. 163, sub die 25 Junii.

1) Hic locus, incipiendo a: „quod episcopus" etc. etiam legitur apud Matth. Anal. I. 662.
2) In apographo Ultrajectino: Nuremburgensis.

2203. *1374, Decembris 24, Avenionis.*

Confirmatur privilegium, quod a Carolo IV imperatore Johannes (de Arkel) episcopus Leodiensis die 26 Junii an. 1364 obtinuit, scil. quod episcopi Traj. in subsidium defensionis castrorum suorum de omnibus bonis, quae per districtus sibi temporaliter subjectos inducuntur vel abducuntur, theloneum levare valeant.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Hiis, que pro ecclesiasticarum personarum utilitate provide facta sunt, ut illibata consistant, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane petitio pro parte venerabilis fratris nostri Arnoldi episcopi Trajectensis nobis nuper exhibita continebat, quod olim carissimus in Christo filius Carolus Romanorum imperator semper augustus attendens, quod fructus et proventus ad mensam episcopalem Trajectensem pertinentes adeo erant attenuati, quod idem episcopus propter expensarum defectum non valebat terras suas et ecclesie sue ac marcatores *(sic)* et alios homines per illas transeuntes a spoliatoribus, predonibus ac aliis hostilibus incursibus defensare et quod pro defensione hujusmodi Vredelant, Eymbruke [1]), Erkelstein et Herdenberg castra Trajectensis diocesis constructa extiterant, que de bonis ad eadem castra pertinentibus non poterant congrue sustentari, dicto episcopo et suis successoribus ex sua certa scientia imperpetuum concessit et etiam indulxit *(sic)*, ut in subsidium defensionis et supportationis predictorum ab omnibus bonis, que inducerentur vel abducerentur per temporales districtus ac terras vel aquas ad mensam episcopalem Trajectensem pleno jure spectantes, in quibus episcopus Trajectensis jurisdictionem obtinebat temporalem, totiens quotiens ibidem transveherentur, theloneum tante quantitatis, prout vicini sui principes aut comites in terris eorum recipiebant et recipere consueverant, recipere valerent et levare et quod incole parcium earumdem etiam hujusmodi theloneum de bonis suis sicut extranei [2]) solvere tenerentur, et non dantes vel solvere recusantes theloneum hujusmodi pena viginti marcharum auri, totiens quotiens talia solvere negligerent seu recusarent, compellere valerent et mulctare, prout in litteris autenticis inde confectis, ipsius imperatoris sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dicti Arnoldi episcopi nobis extitit humiliter supplicatum, ut concessioni et indulto hujusmodi per dictum Karolum imperatorem, ut prefertur, factis confirmationis robur adicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, hujusmodi supplicationibus inclinati, concessionem et indultum predicta, que ad clericos seu personas ecclesiasticas declaramus aliquatenus non extendi, non obstantibus nonnullis verbis in eisdem

litteris insertis, videlicet ecclesiarum principalium sacrosancto Romano subjectarum imperio, que in litteris ipsis inseri minime debuerunt, rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica ex certa scientia tenore presentium confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor vero dictarum litterarum talis est:

In nomine sancte et individue Trinitatis feliciter Amen. Karolus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus et Boemie rex ad perpetuam rei memoriam.

Divine retributionis .... *ut supra usque:* adaugemus. Sane constitutus in nostre magestatis *(sic)* presentia venerabilis Johannes episcopus ecclesie Leodiensis, princeps et consanguineus noster carissimus, qui pridem viginti annis et ultra regimini pontificali ecclesie Trajectensis feliciter prefuisse dinoscitur, nobis exposuit, quod licet ab olim divi Romanorum imperatores et reges predecessores nostri mensam episcopalem ecclesie Trajectensis, que sacri imperii principale membrum sive principatus existit, sic de bonis temporalibus dotaverint, quod sufficere poterat ad onera rei publice supportandum, modernis tamen temporibus fructus et proventus hujusmodi variis eventibus in tantum extenuati dicuntur, quod episcopus Trajectensis propter defectum expensarum nequaquam sufficiat terras suas et ecclesie sue ac mercatores et alios homines per illas transeuntes a spoliatoribus, predonibus ac aliis hostilibus incursibus [3]) defensare, pro quarum defensione quatuor castra videlicet Vredelant, Eymbruke, Erkelstein et Herdenberg erecta seu constructa consistunt, ad que tamen castra nulla talia bona pertinent, quibus possint congrue sustentari. Nos igitur ad devotam supplicationis instantiam dicti Johannis Leodiensis episcopi, principis et consanguinei nostri, de hoc per ipsum nobis factam humiliter, necnon ad honorem Dei omnipotentis et beatissime virginis Marie matris ipsius necnon sancti Martini patroni ejusdem ecclesie, et ut (sub) felici nostro regimine ipsa Trajectensis ecclesia se consolatam inveniat et ex hoc cultus divinus in eadem crebrius augeatur, dicto episcopo Trajectensi et suis successoribus imperpetuum de speciali nostra gracia necnon imperialis potestatis plenitudine et ex certa nostra scientia concedimus et gratiosius elargimur, ut in subsidium defensionis et supportationis predictorum ab omnibus bonis, que inducuntur vel abducuntur per temporales districtus et terras vel etiam aquas, ad mensam episcopalem dicte Trajectensis ecclesie pleno jure spectantes, in quibus episcopus Trajectensis jurisdictionem obtinet temporalem, totiens quotiens ibidem transvehuntur, theloneum tante quantitatis, prout vicini sui principes aut comites in terris eorum de presenti recipiunt et hactenus recipere consueverunt, ex [4]) concessione nostra imperiali predicta recipere valeant et levare, quodque incole partium earundem etiam hujusmodi theloneum de bonis suis sicut et extranei [2]) solvere teneantur, et non dantes vel solvere recusantes theloneum hujusmodi pena viginti marcharum puri auri, totiens quotiens talia solvere neglexerint seu recusaverint, auctoritate nostra imperiali viis et remediis oportunis compellere valea(n)t et mulctare, nostris et imperii sacri juribus semper salvis. Signum serenissimi .... *verbotenus ut supra usque:* de Rosemberg, Tihimo de Kolditz, Hasto de Zweretitz, Wilhelmus de Hasemburg et Pocho de Czastolowitz, necnon alii quamplures nostri et imperii sacri principes, nobiles et fideles, presentium sub imperialis nostre majestatis sigillo testimonio litterarum. Datum

Budwoys, anno Domini millesimo tricentesimo sexagesimo quarto, indictione secunda, VI Kl. Julii, regnorum nostrorum anno decimo octavo, imperii vero decimo.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Avinione, VIIII Kl. Januarii, pontificatus nostri anno quarto.

Sic scriptum super plicam: Jo. de Castris.

Apographum saec. XVII in archivo civitatis Ultrajectinae, Chartul. G. fol 88r.
Matthaeus de Nobilitate II. 221, ubi erronee refertur ad diem sequentem.

1) Eembrugge, nunc pagus prope Amersfurtum. 2) Codex habet: metranei.
3) In codice: valeat defensare. 4) Codex habet: et.

2204. *1374, Januarii 8, Avenionis.*

Magistro Petro de Croseto, causarum palatii apostolici auditori, coram quo Geraldus de Zyl canonicus ecclesiae Traj. cum clericis infra dicendis super parochiali ecclesia in Oudekerke 1) *diu in curia litigavit, mandatur, ut eundem Geraldum, qui praefatam ecclesiam possidere se asserit, surroget in omne jus Wilhelmo de Amersfoerdia et Ottoni de Oemeren interea defunctis quomodolibet competens.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, VI Id. Januarii, anno quinto.
Reg. Av. T. 25, *f.* 136.

1) Ouderkerk, pagus ad Amstelum. Cfr. supra num. 2047.

2205. *1375, Januarii 16, Avenionis.*

Johanni Mowe confertur perpetua vicaria S.S. Apostolorum Petri et Pauli ecclesiae Traj. ultra 30 florenos auri annuatim non valens et vacans per obitum Michaelis Moliart, apud curiam defuncti. — Deputantur executores.

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, XVII Kl. Februarii, anno quinto.
Reg. Av. T. 24, *f.* 55v.

2206. *1375, Januarii 18, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Bernardo Johannis de Goch clerico Traj. dioec., „dummodo sciat loqui ydeoma, quod loquuntur gentes civitatis Trajectensis", *conferat perpetuam vicariam altaris S.S. Johannis et Jacobi siti in parochiali ecclesia b. Mariae Traj., ultra 20 florenos auri annuatim non valentem et per resignationem Henrici* „de Tyeneren" *vacantem.*

Venerabili fratri .. episcopo Marsican*(o)* et dilectis filiis sancte Marie et sancti Petri Trajectensium ecclesiarum decanis salutem *etc*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, XV Kl. Februarii, anno quinto.

Reg. Av. T. 24, *f.* 63.

2207. *1375, Januarii 18, Avenionis.*

Iisdem executoribus mandatur, ut Everardo Riquini clerico Traj. dioec., dummodo idioma Daventriae usitatum intelligat, conferant perpetuam vicariam altaris S. Petri siti in ecclesia S. Lebuini Daventriensi, ultra 20 florenos auri annuatim non valentem et per resignationem Werneri de Puteo rectoris parochialis ecclesiae Arnhemensis vacantem.

Laudabilia probitatis.... Volumus autem, quod idem Everardus, quamprimum presentes litteras habuerit expeditas vel per eum steterit, quominus fuerint expedite, de Romana curia recedat.... Dat. Avinione, XV Kl. Februarii, anno quinto.

Reg. Av. T. 24, *f.* 181v.

2208. *1375, Januarii 27, Avenionis.*

Alemano Bastardo Hannoniae militi ejusque uxori Machtild Traj. dioec. conceditur licentia habendi altare portatile.

Sincere devotionis.... Dat. Avinione, VI Kl Februarii, anno quinto.

Reg. Av. T. 23, *f.* 294.

2209. *1375, Januarii 31, Avenionis.*

(Petro van de Velde) praeposito ecclesiae S. Johannis Traj. mandatur, ut Jacobo dicto Bonte presbytero, rectori parochialis ecclesiae in Oesterwyc 1) *Traj. dioec. conferat canonicatum et praebendam, in ecclesia Traj. vacantes per obitum Alberti de Merten.*

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, II Kl. Februarii, anno quinto.

Reg. Av. T. 26, *f.* 201.

1) Oosterwijk, pagus prope Gorcomium.

2210. *1375, Januarii 31, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Theoderico Riquini clerico Traj. dioec., Petri S. Mariae in Via Lata diaconi Cardinalis familiari, conferant canonicatum et praebendam, in ecclesia Arnhemensi vacantes per obitum Gherlaci de Batham. 1)

Dilectis filiis .. preposito Embricensis Trajectensis diocesis et Johanni de Lautario canonico Conseranensis ecclesiarum ac .. officiali Trajectensi salutem *etc.*

Laudabilia probitatis.... Non obstantibus .... quod idem Theodericus super parrochiali ecclesia in Wye [2]) dicte diocesis in palatio apostolico se asserit litigare.... Dat. Avinione, II Kl. Februarii, pontificatus nostri anno quinto.

Reg. Av. T. 26, *f.* 283*v*.

1) Bakkum in Hollandia septentrionali, cui olim etiam nomen Bathem vel Bacchum.
2) Cfr. supra num. 1815.

2211. *1375, Martii 2, Avenionis.*

Jacobo S. Georgii ad Velum Aureum diacono Cardinali indulgetur, quod canonicatus, praebendae et supplementi, quae in ecclesia Traj. obtinet, integros fructus percipere valeat, non obstante quod in dicta ecclesia residentiam non fecerit nec epistolam legerit.

Dilecto filio Jacobo Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono Cardinali salutem *etc.*

Tue devotionis sinceritas, quam ad nos et Romanam ecclesiam, cujus honorabile membrum existis, gerere dignosceris, merito nos inducit, ut in hiis, que digne possunt fieri, tibi simus opportunitate temporis graciosi. Sane nuper pro parte tua nobis fuit expositum, quod licet tibi de canonicatu et prebenda cum supplemento ecclesie Trajectensis tunc vacantibus et in antea disposicioni apostolice reservatis per nos fuerit canonice provisum [1]), tamen tibi de omnibus redditibus canonicatus et prebende ac supplementi predictorum pro eo non respondetur, quod in ecclesia ipsa residenciam consuetam non fecisti et eciam epistolam non legisti. Nos igitur attendentes, quod instancia cotidiana venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium et omnium ecclesiarum, monasteriorum et locorum ecclesiasticorum sollicitudo continua, et quod ipsi pro eorundem ecclesiarum, monasteriorum et locorum ecclesiasticorum quiete ac defensione et conservacione bonorum et jurium ipsorum, illorum precipue, in quibus seu quorum dignitates, personatus aut alia beneficia obtinent, indesinenter impendunt studia et labores, propter que cum justicia, racione et equitate suadentibus in eisdem ecclesiis, monasteriis atque locis, in quibus seu quorum canonicatus et prebendas, dignitates, personatus seu alia beneficia optinent, ut prefertur, presentes profecto dici et censeri debent non absentes, et propterea tibi in premissis providere volentes, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, volumus et tibi auctoritate apostolica concedimus, quod premissis necnon quibuscunque aliis statutis et consuetudinibus ejusdem Trajectensis ecclesie contrariis, juramento, confirmacione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis nequaquam obstantibus, fructus, redditus et proventus hujusmodi canonicatus et prebende ac supplementi perinde percipere possis et debeas, ac si hujusmodi residenciam consuetam fecisses et epistolam legisses in ecclesia Trajectensi predicta. Nulli ergo *etc.* nostre voluntatis et concessionis infringere *etc.* Dat. Avinione, VI Non. Martii, pontificatus nostri anno quinto.

Reg. Av. T. 25, *f.* 399.

1) Cfr. supra num. 2191.

2212. *1375, Martii 2, Avenionis.*

Eidem Cardinali indulgetur, quod secundum consuetudinem ecclesiae Traj. per certum tempus exspectare non teneatur, antequam suorum in eadem ecclesia beneficiorum fructus percipiat.

Eidem salutem *etc.*

Quanto Romanam ecclesiam, cujus honorabile membrum existis, honoras plenius tuorum magnitudine meritorum, tanto per eam attolli mereris favoris gracia [1]) pocioris. Sane nuper pro parte tua fuit expositum, quod dilecti filii capitulum ecclesie Trajectensis de fructibus, redditibus et proventibus canonicatus et prebende ac supplementi ejusdem ecclesie, de quibus tunc vacantibus et in antea disposicioni apostolice reservatis tibi dudum providimus, respondere nolunt, pretendentes te secundum statuta et consuetudines ipsius ecclesie per certum tempus expectare debere, antequàm fructus, redditus et proventus percipias supradictos. Nos igitur intendentes te favoribus prosequi graciosis, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, volumus et tibi auctoritate apostolica concedimus, quod hujusmodi fructus, redditus et proventus dictorum canonicatus et prebende ac supplementi, dum tamen ad certos usus juste et racionabiliter non debeant applicari, eciam si per dictos capitulum percipi et in eorum proprios usus converti deberent, ex nunc in antea percipere possis nec hujusmodi annos expectare tenearis; predictis statutis et consuetudinibus ejusdem ecclesie Trajectensis, juramento confirmatis apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo *etc.* nostre voluntatis et concessionis infringere *etc.* Dat. Avinione, VI Non. Martii, pontificatus nostri anno quinto.

Reg. Av. T. 25, *f.* 399r.

1) Codex habet: gracie.

2213. *1375, Martii 5, Avenionis.*

Eidem Cardinali indulgetur, quod fructus unius anni thesaurariae et praebendae, quas quondam Raynaldus S. Adriani diaconus Cardinalis in ecclesia Traj. obtinebat, tamquam testamenti executor percipere possit et debeat, quamvis idem Raynaldus personalem residentiam non fecerit nec epistolam legerit atque in ecclesia Traj. immemorabilis sit consuetudo, „quod post decessum cujuslibet optinentis in ecclesia ipsa dignitatem seu prebendam, heredes seu executor testamenti sic decedentis, dummodo tamen tempore, quo vixit, in eadem ecclesia residenciam fecerit et epistolam lexerit, fructus unius anni, qui quidem annus annus gratie ibidem appellatur .... habent et percipiunt."

Sincere devotionis.... Dat. Avinione, III Non. Martii, anno quinto.

Reg. Av. T. 25 *f.* 399r.

2214. *1375, Martii 14, Avenionis.*

Everardo nato nobilis militis Petri de Blehen [1]) *conferuntur canonicatus et praebenda, in ecclesia Traj. vacantes per obitum Reneri de Braemt* [2]), *Petri S. Mariae in Via Lata diaconi Cardinali familiaris, apud curiam defuncti. — Deputantur executores.*

Nobilitas generis.... Dat. Avinione, II Id. Martii, anno quinto.
Reg. Av. T. 26, *f.* 174r.

1) Pagus in territorio Leodiensi. 2) Codex habet: de Braent.

2215. *1375, Martii 14, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Johanni de Pierwez [1]) *canonico ecclesiae Traj. conferant supplementum in eadem vacans per obitum Guillermi* „de Yselhstien." [2])

Venerabili fratri episcopo Lingonensi et dilectis filiis cantori ecclesie Bajocensis ac officiali Trajectensi salutem *etc.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, II Id. Martii, anno quinto.
Reg. Av. T. 27, *f.* 135v.

1) Codex habet: de Pierimez. 2) Cfr. supra num. 2192.

2216. *1375, Martii 16, Avenionis.*

Magistro Nicolao de Cremona, causarum palatii apostolici auditori, committitur, ut vel Andreae Johannis de Lederdamme perpetuo vicario in ecclesia parochiali de Beverwic, vel Henrico de Montjoye clerico Leod. dioec., alterutri scilicet, quem post diligentem examinationem ad hoc sufficientiorem repererit, conferat canonicatum et praebendam ecclesiae b. Mariae Traj.; super quibus beneficiis, cum per obitum Johannis dicti Vaelt vacassent, inter dictum Andream et quondam Amelium de Wolde clericum, in cujus jure praefatus Henricus ex dispositione domini Papae successit, per quattuor annos in curia est litigatum.

Romani pontificis.... Dat. Avinione, XVII Kl. Aprilis, anno quinto.
Reg. Av. T. 27, *f.* 195v.

2217. *1375, Martii 19, Avenionis.*

Wilhelmo de Sanctamargareta [1]) *conferuntur canonicatus et praebenda ecclesiae b. Mariae Traj., die 25 Nov. an. 1374 dispositioni sedis apostolicae reservatae et nunc per obitum Gerardi de Veno vacantes. — Deputantur executores.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, XIIII Kl. Aprilis, anno quinto.

Reg. Av. T. 27, *f.* 100v.

1) St. Margariete-polder vel St. Margriete in Zelandia.

2218. *1375, Martii 23, Avenionis.*

Theoderico de Oy[1]) *licentiato in legibus conferuntur canonicatus, praebenda, supplementum ecclesiae Trajectensis necnon praepositura et archidiaconatus Arnhemenses, die 25 Nov. an. 1374 dispositioni sedis apostolicae reservati et nunc vacantes per obitum Gerardi de Veno, nuper in partibus illis defuncti; quae tamen beneficia cum obtinuerit, ecclesiam parochialem Aggeris S. Martini*[2]) *Traj. dioec., super qua in curia litigat*[3]), *omnino dimittat.*

Litterarum scientia.... Dat. Avinione, X Kl. Aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

Reg. Av. T. 27, *f.* 84.

1) Oyen pagus in Gelria. 2) Sint-Maartensdijk in Zelandia. 3) Cfr. supra num. 2165.

2219. *1375, Aprilis 9, Avenionis.*

Robertus abbatiae Bernensi praeficitur in abbatem. — Cujus nominationis conventus et (Arnoldus) episcopus Traj. certiores redduntur.

Dilecto filio Roberto abbati monasterii Bernensis Premonstratensis ordinis, Trajectensis diocesis, salutem *etc.*

Apostolice solicitudinis studium circa diversa, que agenda nostris incumbunt humeris, est illud potissimum, ut circa ecclesiarum et monasteriorum omnium statum et illorum maxime, que sunt pastorum regimine destituta, sic solicita diligencia intendamus, quod ecclesie et monasteria eadem nostre operacionis studio, superni favoris auxilio suffragante, preserventur a noxiis et prosperitatis votive successibus gratulentur. Dudum siquidem monasterio Bernensi Premonstratensis ordinis Trajectensis diocesis per obitum quondam Conradi ipsius monasterii abbatis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, nos de persona quondam Conradi abbatis dicti monasterii ipsi monasterio sic vacanti, cujus provisio antea per nos erat disposicioni apostolice reservata, auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo eum eidem monasterio in abbatem, et deinde, dicto Conrado adhuc in humanis agente, cupientes eidem monasterio, cum illud vacare contingeret, utilem et ydoneam per apostolice sedis providenciam preesse personam, provisionem dicti monasterii disposicioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quospiam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attemptatum. Postmodum vero prefato monasterio per obitum dicti Conradi abbatis, qui litteris apostolicis super provisione hujusmodi non confectis, extra eandem curiam decessit, vacante, dilectus filius Wilhelmus

abbas Insule sancte Marie, ordinis et diocesis predictorum, pater abbas dicti Bernensis monasteriorum et ad quem, ut credebat, secundum dicti ordinis instituta per sedem apostolicam approbata providendi ea vice dicto monasterio Bernensi de abbate erat devoluta potestas et sentencia(?), concessionis et decreti predictorum forsan ignarus, de te monacho ipsius monasterii Bernensis, ordinem ipsum expresse professo et in sacerdocio constituto, eidem monasterio Bernensi providit teque illi prefecit in abbatem licet de facto, tuque hujusmodi reservacionis et decreti similiter inscius provisioni et prefectioni hujusmodi de te factis consensisti, et deinde reservacione et decreto predictis ad tuam deductis noticiam, premissa omnia proponi fecisti in consistorio coram nobis; nos provisionem et prefectionem predictas et omnia inde secuta, utpote post et contra reservacionem et decretum predicta attemptata, prout erant, irrita et inania imputantes ac ad provisionem ipsius monasterii Bernensis celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest reservacione et decreto obstantibus supradictis, ne monasterium ipsum longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo ipsi Bernensi monasterio personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, cui de religionis zelo, litterarum scientia, vite mundicia aliisque multiplicium virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis; quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua eidem monasterio Bernensi de eorundem fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in abbatem, curam et administracionem ipsius monasterii Bernensis tibi in spiritualibus et corporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod dextera Domini tibi assistente propicia prefatum monasterium per tue circumspectionis industriam prosperiter dirigetur et salubria dante Domino suscipiet incrementa. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus onus regiminis ipsius monasterii Bernensis suscipiens reverenter, sic te in eo exercendo fidelem exhibeas et solertem, quod idem monasterium Bernense per tue laudabile diligentie studium gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque preter eterne retribucionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et graciam exinde valeas uberius promereri. Dat. Avinione, V Id. Aprilis, anno quinto.

In e. m. dilectis filiis conventui monasterii Bernensis *etc.*

In e. m. venerabili fratri episcopo Trajectensi, *cujus favori et protectioni Robertus abbas commendatur.*

Reg. Av. T. 26, *f.* 41.

2220—2221. *1375, Aprilis 29, Avenionis.*

A. *Suedero borgravio de Montfoerd* [1]) *ejusque uxori* „Methildi" *nobilibus Traj. dioec. conceditur licentia habendi altare portatile.*

B. *Henrico Roever de Montfoerd nobili militi Traj. dioec. idem privilegium.*

Sincere devotionis.... Dat. Avinione, III Kl. Maji, anno quinto.

Reg. Av. A *T.* 24, *f.* 516v; B *T.* 25, *f.* 87v.

1) Montfoort.

2222. *1375, Maji 14, ap. Villamnovam.*

Nicolao nato Nicolai Schattere, magistro in artibus, confirmantur canonicatus et praebenda ecclesiae S. Johannis Traj., quas per obitum Johannis de Ambreuile vacantes vigore reservationis apostolicae acceptavit.

Vite ac morum.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, II Id. Maji, anno quinto.

Reg. Av. T. 25, *f.* 98.

2223. *1375, Maji 24, ap. Villamnovam.*

Herberno de Donc confertur thesauraria, in ecclesia b. Mariae Traj. vacans per obitum Gerardi de Veno et die 25 Nov. an. 1374 dispositioni sedis apostolicae reservata. — Deputantur executores.

Vite ac morum.... Non obstantibus .... quod in eadem et beati Lebuini Daventriensi Trajectensis diocesis ecclesiis canonicatus et prebendas nosceris obtinere.... Dat. apud Villamnovam *etc*, VIIII Kl. Junii, anno quinto.

Reg. Av. T. 27, *f.* 137.

2224. *1375, Maji 27, ap. Villamnovam.*

Herberno de Donc ecclesiae Daventriensis canonico praebendato confirmatur thesauraria ecclesiae b. Mariae Traj., nuperrime ipsi, cum per obitum Gerardi de Veno vacasset, ab apostolica sede collata, non obstante, quod in literis collationis expressum non fuerit, de thesauraria praefata Gerardum de Veno et Gerardum Wi(t)te presbyterum Traj. dioec. in curia litigasse.

Laudabilia probitatis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, VI Kl. Junii, anno quinto.

Reg. Av. T. 23, *f.* 374v.

2225. *1375, Junii 1, ap. Villamnovam.*

Decano ecclesiae S. Petri Middelburgensis mandatur, ut Johanni Hoec magistro in artibus et in facultate decretorum studenti provideri faciat de beneficio conferendo ab abbate et conventu monasterii S. Petri Middelburgensis

et cum cura 120, sine cura vero 30 librarum Turon. parvorum annuum valorem non excedente; quod autem cum idem Johannes obtinuerit, in ecclesia de Dordraco canonicatum et praebendam atque in b. Mariae unam, in b. Petri Middelburgensibus aliam, in de Gapinge parochialibus ecclesiis tertiam capellanias omnino dimittat.

Dignum arbitramur.... Dat. apud Villamnovam, *etc.*, Kl. Junii, anno quinto.

Reg. Av. T. 24, f. 321.

2226. *1375, Junii 1, ap. Villamnovam.*

Infrascriptis mandatur, ut Arnoldo (de Hoorn) episcopo, capitulo et communitati Traj. pro decenti recompensatione assignent quaedam praedia prope muros Traj. ad personas ecclesiasticas spectantia et opportuna, in quibus infra quinquennium monasterium ordinis Carthusiensis fundetur.

Dilectis filiis sancti Pauli Trajectensis et sancti Laurencii in Orsebrect *(sic)* [1]) extra muros Trajectenses monasteriorum abbatibus salutem *etc.*

Piis votis fidelium libenter annuimus et hiis, que divini cultus et religionis augmentum et animarum salutem respiciunt, favorem benivolum impertimur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte venerabilis fratris nostri Arnoldi episcopi et dilectorum filiorum capituli Trajectensium ac communitatis civitatis Trajectensis peticio continebat, quod ipsi, habentes ad ordinem Cartusiensem specialis devocionis affectum, desiderant pro divini cultus et religionis augmento ac suarum et progenitorum suorum animarum salute unum monasterium dicti ordinis prope muros civitatis ejusdem fundare ac illud de bonis eis a Deo collatis edificare et sufficienter dotare proponunt et quod ipsi non repperiunt, qui eis predia prope muros hujusmodi consistencia, pro edificacione et fundacione ipsius monasterii necessaria ac bene cedentia seu eciam oportuna, vendere velint. Quare pro parte episcopi et capituli ac communitatis predictorum nobis extitit humiliter supplicatum, ut, cum nonnulle persone ecclesiastice exempte et eciam non exempte habeant nonnulla predia prope muros predictos pro edificacione et fundacione hujusmodi necessaria, ceterum magis apta et eciam oportuna, ipsique parati existant eisdem personis pro predictis prediis in possessionibus vel redditibus annuis recompensacionem facere utilem et eciam condecentem, providere eis super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur, eorumdem pium propositum plurimum in Domino commendantes, hujusmodi supplicacionibus inclinati, discrecioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus tot ex prediis hujusmodi prope dictos muros consistentibus ac pro edificacione et fundacione hujusmodi magis aptis et eciam oportunis, quot fuerint necessaria pro edificacione et fundacione predictis, facta primitus eisdem personis ac monasteriis seu aliis locis, ad que ipsa predia pertinere noscuntur, in bonis et utilibus possessionibus seu redditibus annuis, eisdem monasteriis sive locis bene cedentibus, recompensacione utili et eciam condecenti, prout vobis secundum Deum visum fuerit expedire, super quibus vestras consciencias onera-

mus, eisdem episcopo et capitulo ac communitati pro edificacione et fundacione prefatis auctoritate apostolica assignetis ac easdem religiosas personas, cujuscunque status, ordinis vel condicionis existant, si necesse fuerit, ad dimittendum et realiter assignandum hujusmodi predia pro edificacione et fundacione predictis necessaria, facta eis primitus hujusmodi recompensacione utili et decenti, ut prefertur, per censuram ecclesiasticam eadem auctoritate compellatis, proviso quod infra quinquennium a data presencium computandum hujusmodi monasterium edificetur; alioquin lapso dicto quinquennium predicta predia ad easdem religiosas personas, quarum sunt de presenti, revertantur; non obstante, si eisdem personis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sede sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mencionem. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Kl. Junii, anno quinto.

Reg. Av. T. 25, *f.* 133v.

1) Oostbroek.

2227. *1375, Junii 11, ap. Villamnovam.*

Theoderico de Oy licentiato in legibus et in artibus magistro confertur canonicatus reservanturque praebenda et supplementum in ecclesia S. Petri Traj. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, III Id. Junii, anno quinto.

Reg. Av. T. 23, *f.* 87v.

2228. *1375, Junii 11, ap. Villamnovam.*

Henrico de Arena 1) *licentiato in legibus et in jure canonico baccalaureo, cui dominus Papa dudum in ecclesia Traj. canonicatum contulit necnon praebendam, supplementum et dignitatem reservavit* 2)*, gratia haec exspectativa etiam extenditur ad dignitatem extra dictam ecclesiam, dummodo talis dignitas a canonicis ipsius ecclesiae gubernari consueverit.*

Vite ac morum.... Dat. apud Villamnovam, *etc.*, III Id. Junii, anno quinto.

Reg. Av. T. 25, *f.* 217v.

1) Het Zand, cujus nominis in nostra patria varii exstant loci. 2) Cfr. supra num. 2041.

2229. *1375, Junii 11, ap. Villamnovam.*

Ludolpho de Middelwijc 1) *conferuntur canonicatus et praebenda cum supplemento, in ecclesia Traj. vacantes per resignationem Theoderici de Oy. — Deputantur executores.*

Nobilitas generis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, III Id. Junii, anno quinto.

Reg. Av. T. 27, *f.* 167.

1) Middelwijk in provincia Ultrajectina.

2230. *1375, Junii 21, ap. Villamnovam.*

Magistro Galhardo de Novaecclesia [1]*, causarum palatii apostolici auditori, mandatur, ut Petro de Velde canonico Traj., decretorum doctori, assignet praeposituram et archidiaconatum ecclesiae S. Johannis Traj., super quibus beneficiis, cum per obitum Henrici de Reno vacassent, inter dictum Petrum et Hermannum Ellinck de Vreden diu in curia lis est agitata;* [2] *sed idem Hermannus, cui de decanatu, canonicatu et praebenda ecclesiae Xanctensis hodie provisum est, jus suum sponte nunc resignavit.*

Litterarum scientia.... Dat apud Villamnovam *etc.*, XI Kl. Julii, anno quinto.

Reg. Av. T. 27, *f.* 550v.

1) Nijkerk in Gelria. 2) Cfr. supra num. 2031.

2231. *1375, Junii 27, ap. Villamnovam.*

Decano ecclesiae S. Ludgeri Monasteriensis mandatur, ut procedat contra Arnoldum (de Hoorn) episcopum Traj., qui curtes et mansos monasterii Assindensis indebite tenet occupata.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio .. decano ecclesie sancti Ludgeri Monasteriensis salutem et apostolicam benedictionem.

Exhibita nobis *etc. verbotenus fere, sed mutatis mutandis ut supra num. 2075 usque p. 221:* eciam diversas excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias continentes; quodque postmodum prefatus episcopus premissis ligatus sententiis, quas per plures annos sustinuerat animo indurato et etiam excommunicatus publice nunciatus, extitit vita functus et ejus corpus per nonnullos in ecclesia Trajectensi traditum fuit ecclesiastice sepulture, propter quod ipsa ecclesia juxta canonicas sanctiones est ecclesiastico supposita interdicto quodque Arnoldus episcopus Trajectensis, de cujus persona post ejusdem Johannis episcopi obitum eidem ecclesie Trajectensi per sedem apostolicam provisum exstitit, eidem Johanni episcopo scienter succedens in vicium, non obstantibus premissis diffinitivis sententiis, curtes, mansos, mancipia, servos, jura et pertinentias supradicta occupavit, propter quod contra eundem Arnoldum episcopum auctoritate nostra processum extitit; quodque, licet idem Arnoldus episcopus, qui propterea legitime excommunicatus extitit, in partibus illis fuerit excommunicatus publice nuntiatus, tamen ab occupatione premissorum non cessat,

quinimo curtes et bona alia predicta plerisque personis laicalibus donat atque dissipat et distrahit, ac etiam possessoribus et incolis dictorum bonorum impositiones et tallias graves et inconsuetas imponit sub pretenso nomine advocati, quamvis super hujusmodi advocatia quo ad possessorium judicium per dictas tres diffinitivas sententias silentium impositum fuerit quondam Johanni episcopo supradicto. Quare pro parte dictarum abbatisse et capituli, que, ut asserunt, longe litis dispendiis, que viginti annis, ut asserunt, duravit, bonorumque predictorum carentia, cum fere fuit tertia pars reddituum ecclesie Assindensis predicte, adeo sunt consumpte et depauperate, quod respirare nequeunt, nisi per nos eis de deffensionis auxilio consulatur, quatinus consideratis omnibus supradictis et ne etiam nervus ecclesiastice censure contempnatur et ne culpabiles de sua malitia glorientur, contra sepelientes eundem Johannem episcopum procedi eosque declarari propterea penas juris incidisse dictamque ecclesiam, in qua dictus Johannes episcopus sepultus extitit, ecclesiastico interdicto fore suppositam et alias contra prefatum Arnoldum episcopum et quoscunque alios occupatores, detentores curtium et aliorum bonorum predictorum, donec rei judicate realiter cum effectu paritum fuerit, etiam procedi et alias eis in premissis provideri de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, hujusmodi supplicacionibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis quod justum fuerit auctoritate nostra, appellatione remota, decernas faciens quod decreveris auctoritate predicta firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Ceterum si forsan Arnoldi episcopi et aliorum prefatum quondam Johannem episcopum sepelientium presentia pro monitione seu citatione de ipsis faciendis secure vel commode haberi nequiret, tibi monitiones et citationes quaslibet per edicta publica in locis circumvicinis affigenda publicis, de quibus sit verisimilis conjectura, quod ad notitiam citatorum et monitorum hujusmodi pervenire valeant, faciendi plenam concedimus tenore presentium potestatem et volumus, quod perinde ipsos citatos et monitos, ut premittitur, artent ac si eis facte et insinuate presentialiter et personaliter extitissent; non obstantibus constitutionibus apostolicis de personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis et aliis contrariis quibuscumque; seu si eisdem Arnoldo episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, V Kl. Julii, pontificatus nostri anno quinto.

Autographum nonnihil corruptum in archivo Status Dusseldorpiano; sigillum et ligatura desunt; in plica inferiori ad dext.: Registrata etc. Jo. Grassi etc.; *ad sinistrum:* X X V, Maynardi; *a tergo:* Tricus de Lunenbourg, *et paullo inferius:* R. Bull. et pro tantis Jo. de Kruzwilre(?)

Fragmentum apud Niclas Kindlinger Geschichte der deutschen Hörigkeit (*Berlin* 1819) 483. *n°* 129, *secundum autographum.*

2232. *1375, Julii 11, ap. Villamnovam.*

Magistro Roberto de Stratton, causarum palatii apostolici auditori, coram quo Geraldus de Zyl canonicus Traj. et Theobaldus de Herwen presbyter super parochiali ecclesia de Oudekerke vacante ex eo, quod Johannes de Dryel ultimus rector infra debitum tempus se non fecerit in presbyterum promoveri, diu in curia litigarunt, mandatur, ut eundem Geraldum subroget in omne jus dicto Theobaldo, qui lite adhuc pendente defunctus est, quomodolibet competens. 1)

Laudabilia probitatis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, V Id. Julii, anno quinto.

Reg. Av. T. 25, *f.* 135v.

1) Cfr. supra numm. 2047 et 2202.

2233. *1375, Julii 18, ap. Villamnovam.*

Bernardo Henrici de Daventria clerico Traj. dioec. confertur tabellionatus officium.

Ne contractuum.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, XV Kl. Augusti, anno quinto.

Reg. Av. T. 24, *f.* 510.

2234. *1375, Julii 25, ap. Villamnovam.*

Herberno de Donc confirmatur thesauraria ecclesiae b. Mariae Traj., a domino Papa nuper ipsi collata, non obstante quod in literis provisionis de supplemento, quod in ecclesia Daventriensi obtinet, nulla sit mentio facta. 1)

Laudabilia probitatis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, VIII Kl. Augusti, anno quinto.

Reg. Av. T. 25, *f.* 181.

1) Cfr. supra numm. 2223—2224.

2235. *1375, Augusti 12, ap. Villamnovam.*

Decano ecclesiae S. Petri Middelburgensis mandatur, ut Godefrido Heelt clerico Cameracensis dioec. conferat canonicatum et praebendam cum supplemento, in ecclesia S. Petri Traj. vacantes per obitum Petri de Compostell(a), apud curiam defuncti.

Dignum arbitramur.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, II Id. Augusti, anno quinto.

Reg. Av. T. 26, *f.* 237v.

2236. *1375, Septembris 2, ap. Villamnovam.*

Infrascriptis mandatur, ut Goswino Cremer perpetuo vicario vicariae b. Mariae institutae in parochiali ecclesia de Hagha, dummodo loci idioma loqui sciat, conferant perpetuam vicariam b. Mariae, in parochiali ecclesia Desgrevenzande [1]) *Traj. dioec. institutam et per obitum Michaelis dicti Elizabethenricigoetmans vacantem.*

Dilectis filiis sancte Marie et sancti Johannis Trajectensium prepositis ac thesaurario Osnaburgensis ecclesiarum salutem *etc.*

Laudabilia probitatis.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, IIII Non. Septembris, pontificatus nostri anno quinto.

Reg. Av. T. 27, *f.* 546v.

1) 's Gravesande pagus prope Hagam-Comitis.

2237. *1375, Septembris 12, ap. Pontem Sorgiae.*

Roberto abbati monasterii Bernensis Praemonstr. ordinis Traj. dioec. indulgetur, quod a quocumque maluerit Catholico antistite munus benedictionis recipere valeat.

Cum nos pridem.... Dat. apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis, II Id. Septembris, anno quinto.

Reg. Av. T. 23, *f.* 314v.

2238. *1375, Septembris 25, ap. Pontem Sorgiae..*

Henrico electo Wigorniensi [1]) *mandatur, ut resignet archidiaconatum Cantuariensem, quippe quo Adamaro de Ruppe praeposito ecclesiae S. Salvatoris Traj., nepoti domini Papae, provideri faciat.*

Cum nuper dilecto ... Dat. apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis, VII Kl. Octobris, anno quinto.

Reg. Av. T. f. 271.

1) Worcester.

2239. *1375, Octobris 16, Avenionis.*

(Petro de Velde) praeposito ecclesiae S. Johannis Traj. committitur, ut Arnoldo de Campo presbytero, rectori parochialis ecclesiae de Epe Traj. dioec., conferat canonicatum, praebendam et supplementum, quae Gerardus Foec senior per Theodericum de Ede canonicum ecclesiae b. Mariae Traj., procuratorem suum, legitime resignavit; quae tamen beneficia cum idem Arnoldus obtinuerit, dictam parochialem ecclesiam omnino dimittat.

Dignum arbitramur.... Non obstantibus .... quod .... capellam beate Marie in Wiltenborch [1]) ac altare beate Marie Magdalene situm in ecclesia in Oesbroch [2]) Trajectensis diocesis noscitur obtinere.... Dat. Avinione, XVII Kl. Novembris, anno quinto.

Reg. Av. T. 96, f. 242r.

1) Cujus nominis olim arx existebat prope Ultrajectum. 2) Oostbroek.

2240. *1375, Octobris 20, Avenionis.*

Ottoni Ottonis de Doseborch [1]) clerico Traj. dioec. conferendum reservatur beneficium in ecclesia Traj., quod cum cura ultra 20, sine cura vero ultra 15 marcas argenti annuatim non valeat.

Vite ac morum.... Dat. Avinione, XIII Kl. Novembris, anno quinto.

Reg. Av. T. 24, f. 318r.

1) Doesburg.

2241. *1375, Novembris 8, Avenionis.*

(Johanni de Arkel) episcopo Leodiensi committitur, ut inter Arnoldum (de Hoorn) episcopum Traj. et Swederum Uterloe archidiaconum Traj. litem super jurisdictione ecclesiastica alterutri ipsorum competenti decernat. [1])

Venerabili fratri episcopo Leodiensi salutem *etc.*

Romani pontificis providencia circumspecta ad ea ex apostolice servitutis officio libenter intendit, per que prelatorum et aliarum personarum ecclesiasticarum status pacificus procuretur. Sane dudum inter venerabilem fratrem nostrum Arnoldum episcopum Trajectensem et dilectum filium Swederum Uterloe archidiaconum ecclesie Trajectensis super eo, quod archidiaconus, ab antiquissimo tempore et de cujus contrarii memoria non existit ad solum archidiaconum Trajectensem pro tempore existentem cognicionem, inquisicionem et correctionem de omnibus et singulis criminibus et excessibus subditorum dicti archidiaconi existencium infra fines et limites sui archidiaconatus necnon visitacionem eorumdem et synodi observacionem ac eciam institucionem ac distitucionem beneficiorum ecclesiasticorum infra dictos limites existencium aliaque omnia, que

jurisdicionis existunt, et omnimodam jurisdicionem saltem immediate ad forum ecclesiasticum pertinentem, salvo quod ab ipso archidiacono ad episcopum Trajectensem pro tempore existentem appellari poterat et quod episcopus ipse negligenciam dicti archidiaconi, previe tamen per ipsum requisiti, supplere poterat, et eciam salvo jure prevencionis super querelis (et) injuriis dictorum subditorum spectasse sicque per longissima tempora inter episcopum et archidiaconum Trajectensem, qui tunc erant, salvis infrascriptis, observatum fuisse et quod, quamvis super jurisdicione et jure premissis olim inter episcopum et archidiaconum Trajectensem, qui tunc erat, diverse fuissent questiones et dissenciones suborte, tamen contra illas sic fuit prudencium virorum consiliis et tractatibus ac amicabilibus composicionibus et alias salubriter provisum, quod predicti episcopus et archidiaconus et eorum subditi pace gaudebant et suis juribus mutuo contenti quieta concordia fovebant, prout de contractibus et composicionibus hujusmodi constare potest per legitima documenta, quodque prefatum Arnoldum episcopum hujusmodi tractatibus et composicionibus, quos dictus archidiaconus paratus est observare, indebite se opposuisse easque multipliciter inpugnasse et inpugnare ac hujusmodi totam jurisdicionem dicti archidiaconi visum fuisse usurpare et occupare in gravissimum ipsius archidiaconi dampnum, prejudicium et jacturam ac archidiaconatus predicti perpetuam intollerabilem lesionem, episcopus vero predicti, premissa non esse vera dictamque jurisdicionem ad se pertinere asserant, et nonnullis aliis articulis materia questionis exorta, nos causam ipsam dilecto filio nostro Petro tituli Sancti Eustacii diacono Cardinali audiendam commisimus et fine debito terminandam, qui ad nonnullos actus in causa ipsa, cujus statum haberi volumus presentibus pro expresso, inter partes ipsas dicitur processisse. Cum autem dictum Cardinalem sancti Eustacii ad partes Italie pro nonnullis titulis Romane ecclesie subjectis regendis ac eciam gubernandis in brevi destinare volumus et, sicut accepimus, de premissis in partibus Alamannie melius et citius sciri possit, nos attendentes, te ecclesie Trajectensi longis prefuisse temporibus, propter quod tanquam de merito negocii plenius informatus ipsam causam, que longe fuit in curia protracta, dilacionibus salvis, facilius poteris terminare, ac de circumspecione tua in hiis et aliis plurimum in Domino confidentes, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus de premissis omnibus et singulis, vocatis qui fuerint evocandi, diligentius te informes et, si fieri poterit, partes ipsas ad concordiam reducas, alias, auditis hinc inde propositis ac observantiis consuetis inspectis, quod justum fuerit, appellacione remota, decernas, faciens quod decernis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellacione cessante, compellas veritati testimonium perhibere; non obstante, si eisdem episcopo et archidiacono vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mencionem. Dat. Avinione, VI. Id. Novembris, anno quinto.

Reg. Av. T. 24, 37r.

1) Cfr. supra num. 2115.

2242. *1375, Decembris 3, Avenionis.*

Giselberto Uustinc canonico Traj. mandatur, ut Henrico de Lembergia confirmet perpetuam vicariam ecclesiae b. Mariae Traj. ordinaria auctoritate ipsi collatam, non obstante quod collatio hujusmodi ad sedem apostolicam fuisset devoluta.

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, III Non. Decembris, pontificatus nostri anno quinto.

Reg. Av. T. 23, *f.* 544.

2243. *1375, Decembris 21, Avenionis.*

Pro Swedero Uterloe praeposito Traj. infrascripti ad triennium deputantur conservatores.

Dilectis filiis .. sancti Trudonis et .. Middelburgensis Leodiensis et Trajectensis diocesium monasteriorum abbatibus ac decano ecclesie sancti Andree Coloniensis salutem.

Militanti ecclesie.... Dat. Avinione, XII Kl. Januarii, anno quinto.

Reg. Av. T. 23, *f.* 329v.

Hic inserere lubet sequentem annotationem:

„Anno 1372 et die XII mensis Aprilis pontificatus domini Gregorii XI fuit receptus in capellanum honoris dominus Swederus Uterlos (*sic*), praepositus et archidiaconus ecclesiae Trajectensis et fuit commissum juramentum abbati monasterii Magdeburgensis (*sic*) ordinis Praemonstratensis Trajectensis dioecesis."

Ita legitur in indice bullarum Clementis VII antipapae (sub litera T), qui depromptus est ex Reg. Av. ejusdem Pontificis Tom. 34, f. 261.

2244. *1376, Januarii 28, Avenionis.*

Infrascriptis committitur executio sententiae, post tres instantias in curia definitive prolatae, qua Petrus de Velde praepositus S. Johannis Traj, ut Ulrico de Dypenhem canonico blada ipsi debita integre restituat et litis expensas ad summam 74 florenorum auri de Florentia solvat, condemnatus est.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis .. beate Marie ad Gradus Coloniensis et .. sancti Agricoli Avinionensis ac .. sancti Martini Leodiensis ecclesiarum decanis salutem et apostolicam benedictionem.

Petitio dilecti filii Ulrici de Dypenhem canonici ecclesie sancti Johannis Trajectensis nobis exhibita continebat, quod licet de antiqua et approbata || et hactenus pacifice observata consuetudine in eadem ecclesia sit obtentum, quod prepositus ejusdem ecclesie pro tempore existens pro singulis prebendis ipsius ecclesie capitulo dicte ecclesie novem tritici et novem siliginis ac triginta avene modios majores et claustrales mensure Trajectensis per eosdem capitulum illis

ex canonicis ejusdem ecclesie, quibus secundum || laudabilem consuetudinem dicte ecclesie administrari debent, et alias administrandos dare et assignare annis singulis teneatur, singulique canonici hujusmodi, qui secundum consuetudinem ipsam fructus prebendarum suarum percipere possunt et debent, singulis quatuor annorum, postquam hujusmodi prebendas pacifice assecuti fuerint, immediate sequentium medietatem hujusmodi novem tritici, novem siliginis et triginta avene modiorum, reliqua medietate aliis usibus applicanda, singulis vero aliis annis subsequentibus dictos modios integre percipere debeant et habere idque fuerit in eadem ecclesia observatum a tempore, cujus contrarii memoria non existit, ac Petrus de Velde prepositus dicte ecclesie hujusmodi novem tritici et novem siliginis et triginta avene modios pro prebenda ipsius Ulrici, quam tunc idem Ulricus noviter in dicta ecclesia canonice assecutus fuerat et tunc pacifice possidebat, pro secundo anno assecutionem hujusmodi immediate sequente eisdem capitulo dedisset et etiam assignasset ac idem Ulricus medietatem hujusmodi bladorum pro dicto anno sibi debitam percepisset et habuisset pacifice et quiete, tamen postmodum prefatus Petrus blada ipsa pro anno tunc immediate sequente absque rationabili causa eidem Ulrico subtraxit et retinuit ac ea dictis capitulo pro hujusmodi prebenda ipsius Ulrici, qui fructus dicte sue prebenda secundum consuetudinem predictam percipere poterat et debebat, tradere et assignare denegavit, ortaque propterea inter Ulricum et Petrum predictos super premissis et eorum occasione materia questionis [1).... Dat. Avinione, V Kl. Februarii, pontificatus nostri anno sexto.

Autographum in archivo prov. Ultraj. J. 193, *cum sigillo plumbeo chordulis cannabinis appenso; latere sinistro subscriptum est:* ✕✕✕✕ P. Ganaldini; *super plica inferiori ad dext.:* Jo. Wilde; *a tergo:* Everardus de Reys.

1) Sequitur litis in curia agitatae tortuosa et prolixa narratio; Petri procuratores erant vicissim Wilhelmus de Amersfordia et magister Bernardus de Bugneto, Ulrici autem magister Hermannus de Vreden et magister Theodericus de Reys. In tertia instantia, cum pro parte Petri semel atque iterum appellatum esset, tandem definitiva est prolata sententia.

2245. *1376, Januarii 28, Avenionis.*

Arnaldo Snoye de militari genere procreato conferuntur canonicatus in Trajectensi et archidiaconatus in Aldenzalensi ecclesiis vacantes per liberam resignationem Guillermi de Lacu, tunc apostolicae sedis nuncii, cui de dictis beneficiis per obitum Florentii de Jutfaes olim vacantibus dominus Papa provideri fecit. [1] — *Deputantur executores.*

Nobilitas generis.... Dat. Avinione, V Kl. Februarii, anno sexto.

Reg. Vatic. T. 290, *f.* 165.

1) Cfr. supra num. 2044.

2246. *1376, Februarii 19, Avenionis.*

Ghiselberto Houscilt clerico Traj. dioec., Francisci tit. S. Sabinae presbyteri Cardinalis domestico, reservatur beneficium conferendum ab abbate et conventu monasterii b. Mariae Middelburgensis et cum cura 20, sine cura vero 15 marcarum argenti valorem annuum non excedens. — Deputantur executores, inter quos Wilhelmus Buzer canonicus Traj.

Vite ac morum.... Dat. Avinione, XII Kl. Martii, anno sexto.

Reg. Av. T. 28, *f.* 13v.

2247. *1376, Martii 1, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Bernardo Henrici de Daventria clerico Traj. dioec., „qui, ut asseritur, per nonnulla tempora coram certo Andricone causarum palatii apostolici auditore notarius fuit," *conferant canonicatum, praebendam et supplementum, in ecclesia S. Lebuini Daventriensis vacantia per obitum Johannis Ysselstein, quippe qui pro his beneficiis thesaurariam, canonicatum et praebendam ecclesiae b. Mariae Traj. cum Gerardo Witte, licentia super hoc a sede apostolica obtenta, olim permutavit.*

Dilectis filiis preposito Arnhemensis Trajectensis diocesis et thesaurario sancti Salvatoris Trajectensis ac cantori Coronensis ecclesiarum salutem *etc.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, Kl. Martii, anno sexto.

Reg. Vatic. T. 290, *f.* 353v.

2248. *1376, Martii 6, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Adulpho quondam Henrici dicti Vridach militis nato, Johannis episcopi Sabinensis familiari et notario, confirment canonicatum, praebendam et supplementum ecclesiae S. Salvatoris Traj., quae per obitum Ghiselberti de Broechusen vacantia vigore gratiae exspectativae a domino Papa impetratae [1]) *acceptavit.*

Dilectis filiis sancti Petri Trajectensis et sancti Petri Avinionensis decanis et archipresbytero sancti Desiderii Avinionensis ecclesiarum salutem *etc.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, II Non. Marcii, anno sexto.

Reg. Vatic. T. 290, *f.* 282v.

1) Cfr. supra num. 1903.

2249. *1376, Martii 27, Avenionis.*

Officiali Trajectensi committitur, ut Arnoldo Gruter clerico Traj. dioec. de canonicatu et praebenda, in ecclesia S. Petri Traj. per resignationem Johannis Pierwez [1]) *vacantibus, provideri faciat.*

Dignum arbitramur.... Dat. Avinione, VI Kl. Aprilis, anno sexto.

Regesta Vaticana T. 289, *f.* 164v.

1) Codex habet: Pierimez.

2250. *1376, Aprilis 17, Avenionis.*

Joffrido Johannis perpetuo capellano perpetuae capellaniae S. Crucis in parochiali ecclesia „de Zuutkerke" [1]) *Traj. dioec. reservatur parochialis ecclesia de Epe vacatura, quamprimum Arnoldus de Campo canonicatum et praebendam ecclesiae Traj. pacifice fuerit assecutus* [2]). — *Deputantur executores.*

Vite ac morum.... Dat. Avinione, XV Kl. Maji, anno sexto.

Reg. Av. T. 28, *f.* 186v.

1) Zuidkerke, pagus olim existens in insula Schouwen. 2) Cfr. supra num. 2239.

2251. *1376, Maji 14, Avenionis.*

Johanni (de Arkel) episcopo Leodiensi datur facultas recipiendi permutationem, quam Wilhelmus de Sanctamargareta de canonicatu et praebenda ecclesiae b. Mariae Traj. et Baldricus Theodorici de perpetua vicaria S.S. Petri et Mathiae in parochiali ecclesia de Arkel Traj. dioec. inter se facere proponunt.

Apostolice sedis.... Dat. Avinione, II Id. Maji, anno sexto.

Regesta Vaticana T. 289, *f.* 205v.

2252. *1376, Maji 23, (Avenionis).*

Arnoldo de Tricht canonico ecclesiae b. Mariae Traj., baccalaureo in utroque jure, confirmatur praebenda, quam in eadem ecclesia per obitum Symonis de Binchorst vacantem vigore gratiae exspectativae a domino Papa impetratae acceptavit. [1])

Litterarum scientiam.... Dat. X Kl. Junii, pontificatus nostri anno sexto.

Reg. Vat. T. 288, *f.* 141v.

1) Cfr. supra num. 1955.

2253. *1376, Junii 13, Avenionis.*

Infrascriptis mandatur, ut Johanni Wit nato Wermboldi Wilhelmi, clerico Traj. dioec., conferant perpetuam capellaniam ad altare S.S. Nicolai et Catherinae sitam in parochiali ecclesia de Tsgravensande Traj. dioec., vacantem per obitum Jacobi Macedoren.

Dilectis filiis preposito Arnhemensi et decano sancti Pancracii Leydensis Trajectensis diocesis ac Roberto de Stratton canonico Eboracensis ecclesiarum salutem *etc.*

Laudabilia probitatis.... Dat. Avinione, Id. Junii, anno sexto.

Reg. Av. T. 28, *f.* 100r.

2254. *1376, Augusti 7, ap. Villamnovam.*

Theoderico de Oy licentiato in legibus et in artibus magistro conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum, in ecclesia Traj. vacantia ex eo quod Guillermus de Lacu decanatum ruralem de Albona Gebennensis dioec. pacifice obtinuit. — Deputantur executores.

Litterarum scientia.... Non obstantibus .... quod in dicta Trajectensi prepposituram et archidiaconatum Arnhemensem invicem canonice unitos et in sancti Petri Trajectensi ecclesiis canonicatum et prebendam nosceris obtinere.... Dat. apud Villamnovam *etc.*, VII Id. Augusti, anno sexto.

Regesta Vaticana T. 289, *f.* 291.

2255. *1376, Septembris 29, Massiliae.*

Johanni Pot de Arnhem clerico Traj. dioec. confertur tabellionatus officium.

Ne contractuum.... Dat. Massilie, III Kl. Octobris, anno sexto.

Reg. Vat. T. 288, *f.* 423r.

2256. *1376, Novembris 8, Livornae.*

Ghiselberto Hey in decretis baccalaureo confirmantur canonicatus et praebenda ecclesiae S. Salvatoris Traj., quas olim per obitum Johannis de Ameronghen vacantes vigore gratiae exspectativae a domino Papae ipsi factae acceptavit. 1)

Vite ac morum.... Dat. Livorne Pisane diocesis, VI Id. Novembris, anno sexto.

Reg. Vat. T. 288, *f.* 101.

1) Cfr. supra num. 1958.

2257. *1377, Januarii 24, Romae ap. S. Petrum.*

Omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad reparationem hospitalis pauperum S. Spiritus in Heukelom adjuverint, ad decem annos conceditur indulgentia 100 dierum.

Universis Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem *etc.* Quoniam, sicut ait apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi, prout in corpore gessimus sive bonum sive malum, et ob hoc oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus prevenire et eternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in celis, firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parce seminat parce et metet et qui seminat in benedictionibus metet vitam eternam. Cum itaque, sicut accepimus, hospitale pauperum sancti Spiritus in Hockelem Trajectensis diocesis non modica reparacione indigeat, ad cujus repparacionem et eciam ad infirmorum et pauperum inibi confluencium sustentacionem Christi fidelium helemosine *(sic)* sunt plurimum opportune, nos cupientes, ut hospitale predictum celeriter reparetur ac pauperes et infirmi predicti sustententur, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, vobis in remissionem vestrorum peccaminum injungentes, quatinus de bonis vobis a Deo collatis ad ipsius hospitalis repparacionem et fabricam et dictorum pauperum sustentacionem pias elemosinas et grata caritatis subsidia erogetis, ut per subvencionem vestram hujusmodi dictum hospitale continue reparari et pauperes ipsi ibidem valeant sustentari et vos per hec et alia bona, que Deo inspirante feceritis, possitis ad eterne beatitudinis gaudia pervenire; nos enim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui manus ad hoc porrexerint adjutrices, centum dies de injunctis eis penitenciis nunc relaxamus; presentibus post decem annos minime valituris, quas mitti per questuarios districtius inhibemus, eas si secus actum fuerit, carere viribus decernentes. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIIII Kl. Februarii, anno septimo.

Reg. Av. T. 29, *f.* 23.

2258. *1377, Januarii 25, Romae ap. S. Petrum.*

Wilhelmo de Sanctamargarita canonico ecclesiae b. Mariae Traj. indulgetur, quod literae apostolicae,[1] *quibus Johanni (de Arkel) episcopo Leodiensi facultas est commissa recipiendi quorundam beneficiorum permutationem, omnino valeant, quamvis in dictis literis de canonicatu et praebenda ecclesiae Lossensis Leod. dioec. ab eodem Wilhelmo obtentis nulla fuerit mentio facta.*

Probitatis et virtutis.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII Kl. Februarii, anno septimo.

Reg. Av. T. 29, *f.* 32.

1) Supra num. 2251.

2259. *1377, Februarii 6, Romae ap. S. Petrum.*

Raynaldo de Drinen perpetuo capellano capellae S. S. Johannis Baptistae et Laurentii in ecclesia Zutphaniensi confirmatur parochialis ecclesia de Swolle, quam per obitum Hesseli Heyinch[1] *vacantem vigore gratiae exspectativae a sede apostolica impetratae acceptavit.*[2]

Laudabilia probitatis.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII Id. Februarii, anno septimo.

Reg. Av. T. 29, *f.* 69.

1) Codex habet: Heynich. 2) Cfr. supra num. 1907.

2260. *1377, Junii 22, Anagniae.*

(Arnoldo) episcopo Traj. committitur, ut scabinis et proconsulibus oppidi Oldenzalensis licentiam concedat fundandi unam capellam cum altari in hospitali pauperum dicti oppidi.

Venerabili fratri episcopo Trajectensi salutem *etc.*

Piis desideriis devotorum et hiis maxime, que divini cultus augmentum et salutem animarum respiciunt, libenter annuimus et eciam eis favorem benivolum impartimur. Exhibita siquidem nobis pro parte dilectorum filiorum scabinorum et preconsulum *(sic)* ac universitatis opidi Aldenzalensis tue diocesis petitio continebat, quod ipsi pie devocionis fervore accensi, de propria salute cogitantes ac cupientes terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutare, ad Spiritus sancti et gloriose Virginis Marie laudem et gloriam et pro divini cultus augmento et pro suarum et progenitorum suorum animarum remedio et salute in hospitali pauperum dicti opidi unam capellam cum altari construere et fundare ac ipsam de vigintiquinque florenis auri annui et perpetui redditus et ultra, si expediat, de bonis a Deo sibi collatis pro uno perpetuo capellano inibi Domino servituro dotare proponunt. Quare pro parte ipsorum scabinorum et preconsulum ac universitatis fuit nobis humiliter supplicatum, ut eis premissa

faciendi licentiam concedere dignaremur. Nos igitur, hujusmodi laudabile propositum multipliciter in Domino commendantes ac volentes illud favoribus prosequi graciosis, hujusmodi supplicacionibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eisdem scabinis et preconsulibus et universitati, postquam sufficientem dotem juxta tue discretionis arbitrium moderandum pro sustentatione ipsius capellani, inibi perpetuo Altissimo servituri, eidem capelle assignaverint, prefatam capellam cum eodem altari construendi et fundandi in eodem hospitali, statutis provincialibus et sinodalibus non obstantibus quibuscunque, jure parrochialis ecclesie et cujuslibet alterius in omnibus semper salvo, plenam et liberam auctoritate apostolica licentiam largiaris; jure ejusdem capelle eisdem scabinis et preconsulibus ac universitati eadem auctoritate imperpetuum reservato. Dat. Anagnie, X Kl. Julii, anno septimo.

Reg. Av. T. 29, *f.* 213r.

2261. *1377, Junii 27, Anagniae.*

Guidoni tit. S. Crucis in Jerusalem presbytero Cardinali conferuntur canonicatus, praebenda et supplementum, in ecclesia Traj. vacantia per obitum Wilhelmi dicti Cardinael et die 27 Januarii proxime elapso collationi sedis apostolicae reservata. — Deputantur executores.

Dum exquisitam.... Dat. Anagnie, V Kl. Julii, anno septimo.

Reg. Av. T. 31, *f.* 90r.

2262. *1377, Junii 27, Anagniae.*

Infrascriptis mandatur, ut Johanni dicto Tricht de Doseborch [1]) *conferant altare S. Petri situm in ecclesia S. Salvatoris Traj., vacans per obitum Theoderici Hulspape.*

Dilectis filiis Arnhemensis et Embricensis Trajectensis diocesis prepositis ac decano sancti Andree Coloniensis ecclesiarum salutem *etc.*

Vite ac morum.... Dat. Anagnie, V Kl. Julii, anno septimo.

Reg. Av. T. 31, *f.* 244.

1) Doesburg.

2263. *1377, Augusti 21, Anagniae.*

Martino Martini de Delf(t) presbytero Traj. dioec. conceditur privilegium absolutionis plenariae in articulo mortis, dummodo per tres annos a tempore, quo haec gratia ad ipsius pervenerit notitiam, singulis feriis sextis, vel si tunc non potuerit aut ex praecepto ecclesiae jam obligatus fuerit, alia die singularum septimanarum jejunet.

Provenit ex.... Dat. Anagnie, XII Kl. Septembris, anno septimo.
Reg. Av. T. 30, *f.* 487r.

2264. *1377, Septembris 18, Anagniae.*

Hermannus sacerdos monasterio S. Laurentii in Oostbroek praeficitur in abbatem. — Cujus nominationis diversi, quorum interest, certiores redduntur.

Dilecto filio Hermanno abbati monasterii sancti Laurencii in Oesbroec extra muros Trajectenses ordinis sancti Benedicti salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolice solicitudinis studium circa diversa, que agenda nostris incumbunt humeris, est illud potissimum, ut circa ecclesiarum et monasteriorum omnium statum et illorum maxime, que sunt pastorum regiminibus destituta, sic solicita diligencia intendamus, quod ecclesie et monasteria eadem nostre operacionis studio, superni favoris auxilio suffragante, preserventur a noxiis et prosperitatis votive successibus gratulentur. Dudum siquidem quondam Jacobo abbate monasterii sancti Laurencii in Oesbroec extra muros Trajectenses ordinis sancti Benedicti regimini ejusdem monasterii presidente, nos cupientes ipsi monasterio, cum illud vacare contingeret, utilem et ydoneam per apostolice sedis providenciam preesse personam, provisionem dicti monasterii ordinacioni et disposicioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefato monasterio per obitum dicti Jacobi abbatis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, dilecti filii conventus dicti monasterii reservacionis et decreti predictorum forsan ignari, te monachum ejusdem monasterii ordinem ipsum expresse professum et in sacerdocio constitutum in eorum et dicti monasterii abbatem per viam compromissi, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque reservacionis et decreti predictorum similiter inscius, electioni hujusmodi, illius tibi presentato decreto, consensisti eciam de facto et deinde, reservacione et decreto predictis ad tuam noticiam deductis, electionis prefate negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur, electionem ipsam et omnia inde secuta, utpote post et contra reservacionem et decretum predicta attemptata, irrita prout erant et inania reputantes ac ad provisionem ejusdem monasterii celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsum monasterium longe vacacionis subjaceat incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem monasterio personam utilem et eciam fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad te, cui de religionis zelo, litterarum sciencia, honestate morum et vite, spiritualium providencia et temporalium circumspectione et aliis multiplicium virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis; quibus omnibus necnon dictorum conventus et eligencium concordi voluntate attenta meditacione pensatis, de persona tua prefato monasterio de dictorum fratrum

consilio auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in abbatem, curam et administracionem ipsius monasterii tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod dextera Domini tibi assistente propicia, prefatum monasterium sub regiminis tui cura grata auctore Domino suscipiet incrementa. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum tibi a Domino onus regiminis dicti monasterii prompta devocione suscipiens, curam et administracionem predictas sic geras prudenter et solicite prosequaris, quod prefatum monasterium gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque proinde premium eterne retribucionis acquiras et apostolice sedis ac nostre gracie benedictionis augmentum consequi merearis. Dat. Anagnie, XIIII Kl. Octobris, pontificatus nostri anno septimo.

In e. m. dilectis filiis conventui monasterii sancti Laurencii in Oesbroec *etc.*

In e. m. universis vassallis monasterii sancti Laurencii *etc.*

In e. m. venerabili fratri .. episcopo Trajectensi *etc.*

Reg. Av. T. 30, *f.* 72r.

2265. *1377, Septembris 20, Anagniae.*

Hermanno abbati monasterii S. Laurentii „de Oesbroec" *indulgetur, quod a quocumque maluerit Catholico antistite munus benedictionis recipere valeat.*

Cum nos pridem.... Dat. Anagnie, XII Kl. Octobris, anno septimo.

Reg. Av. T. 29, *f.* 389.

2266. *1377, Octobris 15, Anagniae.*

Guillermo tit. S. Vitalis presbytero Cardinali ad petitionem Hermanni abbatis monasterii S. Laurentii in Oostbroek committitur, ut quae in dicto monasterio tam in capite quam in membris reformatione indigere repererit, auctoritate apostolica corrigat.

Dilecto filio Guillermo tituli Sancti Vitalis presbytero Cardinali Avinione commoranti salutem *etc.*

Ad ea ex apostolice servitutis officio libenter intendimus, per que ecclesie et monasteria, que reformacione indigent, salubriter reformentur. Sane peticio pro parte dilecti filii Hermanni abbatis monasterii de Oesbroec extra muros Trajectenses ordinis sancti Benedicti nobis nuper exhibita continebat, quod in dicto monasterio sunt nonnulli monachi discoli, qui quondam Jacobo abbati ejusdem monasterii, immediato predecessori ipsius Hermanni, de cujus persona eidem monasterio nuper vacanti per obitum dicti Jacobi abbatis duximus providendum, rebelles et inobedientes fuerunt et esse consueverunt ac eidem Jacobo abbati, dum vixit, diversas lites et discordias moverunt atque fecerunt,

et quod, licet olim per te ex commissione nostra in eodem monasterio nonnulla salubria statuta et ordinaciones circa dormiciones et commestiones monachorum et personarum ejusdem monasterii facta fuerint, tamen propter inobedienciam dictorum monachorum rebellium statuta et ordinaciones hujusmodi in eodem monasterio minime observantur, quodque tam propter premissa quam eciam alias monasterium ipsum magna reformacione noscitur indigere. Nos igitur cupientes, quod monasterium ipsum salubriter reformetur, circumspectioni tue, de qua in hiis et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus habens pre oculis solum Deum, per te vel alium seu alios de premissis te diligenter informes et ea ac alia omnia, que in dicto monasterio tam in capite quam in membris correctione ac reformacione noveris indigere, auctoritate nostra corrigere ac reformare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo; non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad judicium evocetur, seu ne judices a sede apostolica deputati aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorumdem trahere presumant et de duabus dietis (edita) in concilio generali quam aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu si prefatis abbati et conventui vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Anagnie, Id. Octobris, anno septimo.

Reg. Av. T. 29, *f.* 240.

2267. *1377, Decembris 3, Romae ap. S. Petrum.*

Coloniensi, Treverensi, Moguntinensi aliisque archiepiscopis et eorum suffraganeis per Alamanniam, Brabantiam et Flandriam constitutis mandatur, ut ipsorum quilibet suis in civitate et dioecesi devotas utriusque sexus personas, quae in paupertate et castitate vivunt, occasione vestium per inquisitores haereticae pravitatis injuste perturbari vel a Sacramentis arceri nequaquam permittant.

Ad audientiam nostram.... Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III Non. Decembris, pontificatus nostri anno septimo.

Mosheim De Beghardis p. 401; *Fredericq Corpus docum. I.* 238. n° 225, ubi sub die 2 Decembris.

2268. *1378, Februarii 22, Romae ap. S. Petrum.*

Amelio de Mynden[1]) *presbytero Traj. dioec. conceditur privilegium plenariae peccatorum remissionis in articulo mortis, dummodo per tres annos proxime sequentes, scilicet per annos duos singulis feriis sextis et per tertium singulis diebus sabbati jejunet.*

Dilecto filio Amelio de Mynden presbytero Trajectensis diocesis salutem *etc.*

Provenit ex tue devocionis affectu, quo nos et Romanam ecclesiam revereris, ut peticiones tuas, illas presertim, que anime tue salutem respiciunt, ad exaudicionis graciam admittamus. Hinc est, quod nos tuis supplicacionibus inclinati, ut confessor tuus, quem duxeris eligendum, omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contritus et ore confessus fueris, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem tibi in sinceritate fidei, in unitate sancte Romane ecclesie ac obediencia et devocione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrancium persistenti, auctoritate apostolica, in quantum Deo gratum extiterit, concedere valeat, devocioni tue tenore presencium indulgemus; sic tamen, quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, tam tibi per te, si supervixeris, vel per heredes tuos, si forte tunc transieris, faciendam injungat, quam tu vel illi facere teneamini, ut prefertur. Et ne, quod absit, propter hujusmodi graciam reddaris proclivior ad illicita imposterum committenda, volumus, quod si ex confidencia remissionis hujusmodi aliqua forte committeris, quo ad illa predicta remissio tibi nullatenus suffragetur. Et insuper volumus, quod per tres annos a tempore, quo hujusmodi nostra concessio ad tuam noticiam pervenerit, computandos, primis duobus videlicet singulis sextis feriis et tercio annis hujusmodi singulis diebus sabbati, legitimo impedimento cessante, jejunes; quod si predictis feriis et diebus sabbati ex precepto ecclesie, regulari observancia, injuncta penitencia, voto vel alias jejunare tenearis, una alia die singularum septimanarum ejusdem triennii, qua ad jejunandum, ut premittitur, non sis astristus, jejunes et si dicto triennio vel aliqua ejus parte esses legitime impeditus, anno sequenti vel alias quamprimum poteris modo simili supplere hujusmodi jejunium tenearis; alioquin hujusmodi nostra presens concessio quo ad premissa non servantem nullius sit roboris vel momenti. Nulli ergo *etc.* nostre concessionis et voluntatis infringere *etc.* Dat. Rome apud Sanctum Petrum, VIII Kl. Marcii, anno octavo.

Reg. Av. T. 32, *f.* 178v.

1) Mijnden vicus in provincia Ultrajectina.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Continentur hic literae papales vel interim a me repertae vel, ut nunc mihi videtur, non solum in excerpto, sed etiam cum textu integro exhibendae; laudantur auctores, qui insuper in libris vel jam antea vel una cum Bullario impressis alicujus documenti fecerunt mentionem; referuntur menda typographica.

(2) Ad observationes: *Colmjon Register n°* 14*.
(6) Ad obs.: *Colmjon Register n°* 21*.

2269. (12bis) *1107, Maji 24, Trecis.*

Hugoni abbati monasterii S. Amandi, quod Elnonense dicitur, idem monasterium suis in bonis et privilegiis confirmatur.

Ad hoc nos disponente.... Super fluvium Rhenum terras de Sula [1]) et de Bobarga. In Frisia terras censuales apud Dechenchas [2]) et Stouras [3])…. Datum Trecis per manum Johannis sanctae Romanae ecclesiae diaconi Cardinalis ac bibliothecarii, IX Kal. Junii, indictione XV *(sic)*, anno dominicae Incarnationis MCVII, pontificatus autem domini Paschalis II papae VIII.

Miraeus Opera diplom. II. 1151; *Sloet Oorkondenboek van Gelre I.* 211 *n°* 212; *Colmjon Register n°* 26*; *Jaffé-Loewenfeld* 6137.

1) Zuilen? 2) Dokkum. 3) Stavoren.

(13) Ad obs.: *Ulysse Robert Bullaire du pape Calixte II Tom. I.* 120 *n°* 82; *melior editio S. Muller Oudste Cartularium p.* 121.
(14) Ad obs.: *Codex Leydensis saec. XV fol. LII. Muller Oudste Cartularium p.* 230.

2270. (14bis) † *1119—1124, Martii 9, Laterani.*

Willigiso Moguntinensi, Hartmanno Coloniensi, Addelberoni Trevirensi, Addelberto Salzburgensi archiepiscopis et suffraganeis eorum caeterisque principibus Alamanniae intimatur, donationem, quam Otto rex ecclesiae Wormatiensi fecisse asseritur, a domino Papa confirmari.

Donationem carissimi.... Datum Laterani, VII Idus Martii, anno dominice Incarnationis MXXXIII *(sic)*, indictione X, feliciter. Amen.

Robert Bullaire II. 252 n° 440; *Jaffé-Loewenfeld* 7104.

2271. (14ter) *1124.*

Clero per Galliam et Germaniam constituto intimatur, Wilhelmum episcopum Praenestinum illas in partes mitti nuncium papalem.

Kalistus episcopus, servus servorum Dei, carissimis nobis in Christo fratribus archiepiscopis ceterisque ecclesiasticis ordinibus per Galliam, Germaniam et Franciam constitutis salutem et apostolicam benedictionem.

Mittimus ad vos fratrem nostrum Willehelmum Prenestinum episcopum, dantes ei cum vestra caritate licenciam, ut si qui sint in vobis episcopi non consecrati consecret, et si qua sunt alia hujusmodi ecclesiasticorum negociorum minus perfecta, in omnibus inoffensa caritate consummet. Pax vobis.

Robert Bullaire II. 332 n° 505; *Jaffé-Loewenfeld* 7163.

---

(17) Ad obs.: *neerlandice apud van Nidek-le Long Kabinet II.* 188, sub an. 1139.

(19) Ad obs.: *Colmjon Register* n° 48*.

(21) Ad obs.: *Muller Oudste Cartularium p.* 230 *secundum apographum saec. XIV in archivo Hannoverano*, sub an. 1146.

(25) Ad obs.: *Colmjon Register* n° 36*.

(26) Ad obs.: *Colmjon Register* n° 38*.

(27) Addatur †, cum sit spuria.

(28) Ad obs.: *Saint Genois Monumens anciens I.* 432* *secundum autographum in archivo Montis Hannoniae; Oorkondenboek v. Groningen en Drente* n° 35*.

---

(32) Victor episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Galtero abbati beatae Mariae in insula Walacriensi ejusque fratribus [canonicam vitam] professis.

Ad apostolicae sedis spectat clementiam religiosorum votis libenter annuere, ut piae intentionis postulatio facilem [consequatur effectum.] Dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus benignum praebentes assensum, ad exemplar praedecessorum nostrorum felicis memoriae Eugenii [1]) et Anastasii Romanorum Pontificum praedictam ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem ecclesia in praesentiarum juste et canonice possidet aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant.

In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis:

Ecclesiam in Sutburch [2]) cum pertinentiis suis; quidquid habetis in ecclesia S. Pauli in Wes .... onter [3]) et in omnibus ejus pertinentiis; ecclesiam t Hoostcapellae [4]) cum pertinentiis suis; ecclesiam in Wella [5]) cum pertinentiis suis; [ecclesiam] in Westcapella cum pertinentiis suis; duos mansos terrae juxta Trajectum in curte de Vechten; in Wiltenbur [6]) oratorium b. Mariae et sepulturam ipsius loci pro fratribus et familia vestra, sicut vobis concessa est; praeterea duodecim jugera, dimidio minus, quos *(sic)* ab Alberone, filium *(sic)* Gisleberti emistis, et quartam unius mansi, quam emistis a Teodorico, qui dicitur Hagalsten; sepulturam quoque ejusdem loci et caetera, quae ab Andrea et Hartberto et Godefrido Trajectensis ecclesiae episcopis vobis canonice concessa sunt, nos quoque praesentis scripti pagina confirmamus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatum locum temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis [profutura, salva] sedis apostolicae auctoritate et diocesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove admonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corporis *(sic)* ac sanguinis *(sic)* Dei et Domini nostri Redemptoris Jhesu Christi aliena fiat atque [in] extremo examine districtae ultioni subjaceat. Cunctis [autem] eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hic fructum bonae actionis percipiant et apud dis[tric]tum judicem premia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen.

Inferius erat scriptus circulus, in cujus medio legebatur: Scs Petrus, Scs Paulus, *quae verba continebantur his aliis in gyro circumpositis:* Tu es gloria mea, tu es susceptor meus, tu exaltans caput meum, Domine.

Juxta hoc signum rotundum scriptum erat: † Ego Victor catholicae ecclesiae episcopus.

† Ego tt Ubaldus Terentinus episcopus.

Ab altera parte signi legebatur: † Ego Guido presbyter Cardinalis titulo Calixti.

† Ego Johannes presbyter Cardinalis titulo Pastoris.

Sub duobus primis nominibus sc. Victoris et Ubaldi signata erat figura nota continens litteras: benevale.

Juxta hanc figuram legebatur:

† Ego Laudus diaconus Cardinalis Sancti Angeli.

† Ego Gerardus diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum aureum.

Inferius erat scriptum: Datum Bisuntii per manum Johannis sanctae Romanae ecclesiae.

Secundum van den Elsen l. c.

1) Cfr. supra num. 24. 2) Souburg in Walachria.
3) Westmonster, ut conjicit van den Elsen. 4) Oostcapelle. 5) Welland.
6) Wiltenburg prope Trajectum.

(35) Ad obs.: *Muller Oudste Cartularium p.* 218; *Oorkondenboek v. Groningen n°* 38.
(46) Ad obs.: Probabilius hic agitur de Trajecto ad Mosam.
(48) Ad obs.: *Colmjon Register n°* 47*.
(57) In excerpto pro: archiepiscopi, legas: archiepiscopus.
(60) Ad obs.: *Muller Regesten n°* 14*; *Oorkondenboek v. Groningen n°* 58.
(65) Ad obs.: *neerlandice apud van Nidek-le Long Kabinet V.* 142.
(75—76) Ad obs.: *Wauters Table chronol. VII.* 513*.
(87—90) Ad obs.: *Wauters Table chronol. VII.* 521—522*.
(95) Ad obs.: *Wauters Table chronol. VII.* 533*.
(104) Ad obs.: *Colmjon Register n°* 51*; *Muller Oudste Cartularium p.* 190, *secundum apographum saec. XVI in archivo prov. Ultraj.*
(106—108) Ad obs.: *Oorkondenboek van Groningen n°* 72—74.
(118) Ad obs.: *Wauters Table chronol. VII.* 609*, ubi perperam sub die 26 Aprilis an. 1227; *Auvray Régistres* 31*.
(120) Ad obs.: *Auvray Régistres* 199*.

---

(122) .. Episcopo Trajectensi:

Illius locum tenentes in terris, qui cum dives esset, pro nobis factus est pauper, ut sua nos paupertate ditaret, cum de pauperum sumus provisione solliciti, officii nostri debitam prosequimur actionem. Inde est, quod dilecti filii Ciconis olim dicti Henrici pauperis clerici latoris presentium preces beniguo prosequentes favore, fraternitatem tuam rogandam duximus et monendam per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus in aliqua ecclesiarum civitatis vel diocesis tue, que nostrum non receperit super alterius provisione mandatum, ipsi alibi non recepto et parato residere in illa, in qua sibi duxeris providendum, dummodo aliquod rationabile non obsistat, ob reverentiam apostolice sedis et nostram auctoritate nostra in beneficio provideas competenti, ne paupertate coactus retro respicere compellatur, set potius insistere aratro, ad quod misisse noscitur manum suam. Dat. Perusii, IIII Id. Aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Auvray Régistres 331*.

(123 et 125) Ad obs.: *Auvray Régistres* 324* *et* 528*.
P. 47 in capite pro: Gregorius III, legas: Greg. IX.

---

(126) *In e. m. eidem (archiepiscopo Coloniensi) pro eodem.*

Cum pie recordationis *etc. ut supra usque:* debitum respectum habentes, L. titulo Sancte Crucis presbyteri Cardinalis, patrui dilecti filii T. nati nobilis viri O. Brancaleonis, apud nos viventis memoria non deciderit cum decedente, caritate, quam habuimus ad eundem, eos, qui sui esse noscuntur, ipsius diligimus interventu, eo habundantius ad personam ejusdem clerici extendentes

ipsius caritatis affectum, quo amplius patris sui hoc requirit sincera devotio, quam erga nos et Romanam ecclesiam gerere comprobatur. Hinc est, quod ad premissa debitum respectum habentes, Trajectensis ecclesie canonicatum et prebendam, que C. frater suus dinoscitur habuisse, necnon annuam pensionem decem marcarum, in quibus venerabilis frater noster .. Trajectensis episcopus tenebatur eidem *etc. ut supra usque:* pervenire ad liberam resignationem ipsius, dicto clerico de gratia duximus conferendas, quibus comodius studio insistere valeat et ad scientie bravium, effugatis ignorantie tenebris, pervenire. Ideoque mandamus, quatinus procuratori prefati clerici ejus nomine dicti canonicatus et prebende proventus necnon marcas ipsas facias integre assignari; contradictores *etc.*, non obstante *etc.* Dat. *ut supra.*

Auvray Régistres 555*.

---

(129) Ad obs.: *Auvray Régistres* 801*.
(134—137) Ad obs.: *Auvray Régistres* 1085*, 1141*, 1198, 1232*.

2272. (135bis) *1233, Februarii 26, Anagniae.*

Archiepiscopis et episcopis per Alamaniam constitutis mandatur, ut quilibet eorum in sua dioecesi haereticos metu mortis falso ad catholicam ecclesiam reversos et alios in haereticam pravitatem saepius relapsos in perpetuo carcere retrudat.

Ad capiendas vulpes.... Data Anagnie, IV Kl. Martii, anno sexto.

Monum. Germ. Epist. saec. XIII I. 413. n° 514; *Fredericq Corpus docum. I.* 89. n° 88.

2273. (138bis) *1233, Decembris 12, Laterani.*

Archiepiscopo Coloniensi ejusque suffraganeis et abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum praelatis per Coloniensem provinciam constitutis mandatur, ut omnes, qui abbatissae et sororibus Vallis S. Georgii Cisterciensis ordinis Leod. dioec. in ipsarum bonis vel personis injuriam affecerint, ad debitam satisfactionem per censuras ecclesiasticas compellant.

Non absque dolore.... Dat. Laterani, II Id. Decembris, pontificatus nostri anno septimo.

Analectes p. s. à l'histoire eccl. de la Belgique Tom. X, p. 447, *secundum autographum in archivo Status Namurcensi.*

1) Salzinnes prope Namurcum.

(147 et 152) Ad obs.: *Wauters Table chronol VII.* 681* *et* 1378*.
148) In excerpto lin. 1 pro: scolastico, legas: scholastico.

---

(159) Everardo preposito Thilensis ecclesie Trajectensis diocesis.

Specialis dono gratie illos digne prosequimur, quos morum et scientie juvari meritis intuemur, quia solet virtus tunc promptior ad augmenta consurgere, cum se debita perspexerit meritorum premia percepisse. Cum itaque pro tue probitatis meritis apud nos dignus favore precipuo videaris, nos devotionis tue precibus inclinati, ut cum prepositura Thilensi et decanatu tuis sancti Petri Trajectensis, habentibus curam animarum annexam, tres prebendas, quas obtines sine cura, licite retinere valeas, non obstante constitutione generali, tecum auctoritate apostolica dispensamus; ita tamen quod in decanatu ipso personaliter deservias et in aliis per vicarios idoneos facias deserviri. Nulli ergo *etc.* nostre concessionis *etc.* Si quis *etc.* Dat. Lugduni, XIIII Kl. Martii, anno secundo.

2274. **(161 bis)** *1245, Augusti 17, Lugduni.*

Abbati monasterii S. Odulphi in Stauria ejusque fratribus ord. S. Benedicti monasterium sub apostolica suscipitur protectione suisque in regulis, possessionibus, privilegiis confirmatur.

Religiosam vitam eligentibus.... In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinenciis suis, in Sutergho et in insula Fle 1) ecclesias cum omnibus pertinenciis eorundem *(sic)*, grangiam d'insula Urck, in Scerpensele 2), Gaesterdorp, juxta civitatem Trajectensem et in Wardeslo 3).... Datum Lugduni per manum magistri Martini sancte Romane ecclesie vicecancellarii, XVI Kl. Septembris, Incarnacionis dominice anno MCCXLV, indictione III, 1) pontificatus vero domini Innocencii pape IIII anno tercio.

Apographum saec. XV in archivo prov. Frisiae, chartul. praefati monasterii p. 5.
Colmjon Register n° 71*, ubi perperam sub die 16 Aug.; *fragmentum neerlandice redditum exhibet Proeliarius of Strijdboek betreffende de jongste oorlogen in Friesland in het jaar* 1518 (*Leeuwarden* 1855) *p.* 178.

1) Vlieland. 2) Scherpenzeel. 3) Weerselo? 4) Codex habet: in.

2275. **(161 ter)** *1245, Augusti 20, Lugduni.*

Abbati et conventui monasterii S. Odulphi in Stauria conceditur, quod omnes vere poenitentes et confessi, qui ecclesiam b. Odulphi ibidem devote visitaverint, indulgentiam 40 dierum singulis annis lucrentur.

Innocencius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et con-

ventui monasterii sancti || Odulphi in Stauria ordinis sancti Benedicti, Trajectensis dyocesis, salutem et apostolicam || benedictionem.

Loca sanctorum omnium pia sunt devocione fidelium veneranda, ut Dei honorantes amicos ipsi nos amabiles Deo reddant, ut illorum nobis quodammodo vindicantes patrocinium, apud ipsum quod merita nostra non optinent eorum mereamur intercessionibus optinere. Cupientes igitur ecclesiam vestram in honorem beati Odulphi dedicatam congruis honoribus frequentari et fideles Christi ad complacendum ei quasi quibusdam illectivis premiis, indulgenciis scilicet et remissionibus, invitare, omnibus vere penitentibus et || confessis, qui ad ecclesiam ipsam in die dedicationis ejusdem ac in festo ipsius sancti cum devocione accesserint, quadraginta dies de injuncta sibi penitencia misericorditer annis || singulis relaxamus. Datum Lugduni, XIII Kl. Septembris, pontificatus nostri anno 3.

Apographum saec. XV in archivo prov. Frisiae, chartul. praefati monasterii p. 28.
Colmjon Register n° 72*, ubi perperam sub die 19 Aug.

2276. (162bis) *1245, Augusti 29, Lugduni.*

Abbati monasterii S. Odulphi in Stauria ejusque fratribus ord. S. Benedicti monasterium sub apostolica suscipitur protectione suisque in regulis, possessionibus, privilegiis confirmatur.

Religiosam vitam eligentibus.... In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinenciis suis, beati Odulphi, beate Marie in Staurat *(sic)*, de Laxum [1]), de Werdesle [2]), de Karnewalt, de Murlinghe, de Harch [3]), de Hindelope, de Garsmere [4]), de Santforde [5]), de Heselum [6]), de Hoedewalt, de Aldekerke [7]), de Ypoldekerke [8]), de Wicke [9]), de Farlare, de Arthne, de Scerpensele [10]), de Ruthne [11]), de Sevenhusen [12]), de Sileham, de Marenesse, de Nagele, de Emelivert [13]), de Urch [14]), de Drenrijpe [15]) et de Oesterzee [16]) ecclesias et capellam beati Nycolai de Fle cum omnibus ipsarum possessionibus et pertinenciis Obboewald suis, de Karnewalt, de Scherpensele, de Urch, de Sudergo, de Fle et de Algodeldorp.... Datum Lugduni per manum magistri Martini, sancte Romane (ecclesie) vycecancellarii, IIII Kl. Septembris, indictione XIII *(sic)*, Incarnacionis dominice anno MCCXLV, pontificatus vero domini Innocencii pape IIII anno tercio.

Apographum saec. XV in archivo prov. Frisiae l. c. p. 4.
Colmjon Register n° 73*, ubi perperam sub die 28 Aug.

1) Laaksum. 2) Weerselo? 3) Harich. 4) Garrelsmeer? 5) Santfirde vel Zandvoort. 6) Hieslum vel Jeslum. 7) Oudekerk. 8) Ipekolsga. 9) Wijk. 10) Scherpenzeel. 11) Rottum? 12) Zevenhuizen. 13) Emmeloord. 14) Insula Urk. 15) Dronrijp. 16) Oosterzee.

---

(166) Magistro Henrico Daventriensi, canonico Trajectensis diocesis.

Tuis supplicationibus inclinati, volentes tibi gratiam facere specialem, devotioni tue, ut in susceptis ordinibus ministrare et ascendere ad majores ac aliud beneficium unicum et personatum seu dignitatem, etiam si curam habeant animarum annexam, si tibi canonice offerantur, licite recipere ac cum obtentis, quorum uni tantum, ut asseris, cura similis est annexa, libere retinere valeas, non obstantibus defectu natalium, quem pateris de subdiacono genitus et soluta, et constitutione concilii generalis, auctoritate presentium indulgemus; proviso ut beneficia ipsa et personatus vel dignitas debitis *etc. usque:* negligatur. Nulli ergo *etc.* nostre concessionis *etc.* Si quis *etc.* Dat. Lugduni, Non. Septembris, anno tertio.

---

(174) Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis .. decano et capitulo Trajectensibus || salutem et apostolicam benedictionem.

Intellecto, quod ecclesia vestra super receptione quorumdam sit auctoritate || nostra gravata, nos vestris precibus inclinati, ut per litteras a nobis seu legatis sedis apostolice decetero impetrandas non teneamini aliquem in ecclesia ipsa recipere, nisi de hac indulgentia plenam fecerint mentionem, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et || Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Lugduni, VIII Kl. Junii, || pontificatus nostri anno tertio.

(178—179, 181—183) Ad obs.: *Wauters Table chronol. VII.* 1390*.
(192—193) Ad obs.: *Wauters Table chronol. VII.* 1395*.
(195) Ad obs.: *Colmjon Register n°* 76*.
(197) Ad obs.: *Colmjon Register n°* 77*.
(206) Ad obs.: *Colmjon Register n°* 79*.
(207 et 214) Ad obs : *Wauters Table chronol. VII.* 1398* *et* 1400*.

---

(211) *In eundem modum* abbati Egmundensi, ordinis sancti Benedicti, Trajectensis diocesis.

Licet causa, que agitur contra F*(redericum)* quondam imperatorem ecclesiam Dei damnabiliter prosequentem, sit non tam nostra quam omnium Christi fidelium generalis et ob hoc universi et singuli ad resistendum ei suam suorumque potentiam deprimendam sine requisitione alterius debeant esse prompti, eos tamen ad id volumus specialibus indulgentiis quasi quibusdam illectivis muneribus invitare. Plenam itaque in Domino fiduciam de tua constantia et puritate gerentes mandamus, quatenus contra eundem F*(redericum)* et fautores ejus de

consilio carissimi in Christo filii nostri W*(illermi)* regis Romanorum illustris per regnum Alamanie crucem predices et per fratres tui ordinis ad hoc idoneos facias predicari, eam peccatorum veniam et illas immunitates assumentibus crucem hujusmodi concessurus, que transfretantibus in Terre sancte subsidium in generali concilio sunt concesse, non obstantibus aliquibus indulgentiis seu litteris a sede apostolica impetratis vel etiam impetrandis, per quas hujusmodi predicatio impediri vel differri valeat et de quibus specialem oporteat in nostris litteris fieri mentionem; contradictores *etc.* Ut autem ad audiendam predicationem ipsam populi facilius et libentius inducantur, tibi et fratribus, quibus hoc negotium duxeris committendum, omnibus, qui ad eandem predicationem accesserint, largiendi quadraginta dierum indulgentiam auctoritate presentium concedimus facultatem. Dat. *ut supra.*

Reg. Vat. T. 21 *A*, *f.* 89v, *cap.* 273.

---

(212) Ad obs.: *van den Bergh Register p.* 37*.
(216) In obs. annotetur, quod pro: de Kut, legendum videtur: de Kuc = Kuik.
(226) In excerpto pro: Henrico de Virneburch, lègas: de Vianden.
(234) Sit nota chronol.: Septembris 2.

---

(239) Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis praeposito et conventui monasterii Campi Regis Praemonstratensis ordinis, Trajectensis dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Devotionis vestrae precibus inclinati, ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia, exceptis feudalibus, quae liberas personas fratrum aut sororum vestrarum, qui de seculo fugientes in monasterio vestro habitum professionis assumunt, haereditario jure vel alio justo titulo contingerent in seculo remanendo, exceptis rebus feudalibus, exigere, recipere ac etiam retinere libere valeatis, authoritate vobis praesentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Perusii, X Kal. Octobris, pontificatus nostri anno X.

Secundum Hugo l. c.

---

(240) Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis praeposito et conventui monasterii Campi Regis, Praemonstratensis ordinis, Trajectensis dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Meritis vestrae religionis, contemplatione quoque dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Richildis domicellae de Hollandia, amitae charissimi in Christo

filii nostri Willelmi regis Romanorum illustris, quae monasterium vestrum de bonis propriis fundavit, sicut accipimus, et dotavit, inducimur, ut vos favoris praecipui gratia prosequamur. Hinc est, quod vestris et dictae nobilis postulationibus grato concurrentes assensu, ut de novalibus, quae propris sumptibus colitis et de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de hortis aut nutrimentis animalium vestrorum decimas nemini solvere teneamini, authoritate vobis praesentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Perusii, III Kal. Octobris, pontificatus nostri anno decimo.

Secundum Hugo l. c.

---

(254) Ad obs.: *Saint-Genois Monumens anciens I.* 255*, *secundum autographum in archivo Montis Hannoniae, et iterum II.* 579* *secundum apographum in archivo Insulano.*

2277. (262bis) *(1243—1254).*

Priorissae monasterii S. Nicolai de Hemelem 1) *ejusque sororibus regularem vitam professis monasterium sub apostolica suscipitur protectione et suis in regulis, possessionibus, privilegiis confirmatur.*

Religiosam vitam eligentibus.... In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est cum omnibus pertinenciis suis, ecclesiam de Osledewald cum omnibus pertinenciis suis, terras, domos et possessiones, quas habetis in villis Midlinghe 2), Mordum, Rughahusem 3), Grind, Baldaryp, Bonnyngbroeck, Haghekerka 4), Hogekerspel 5), Spekeldekerka *(sic)* 6), Sybekarspel 7), Aldenwerwe, Werwertshove 8), Litterabroeck 9), Grotebroeck, Oestewalde 10), Middewoude 11), Twisca 12 et Swage 13) vulgariter nominatis.... *Sine nota chronologica.*

Apographum saec. XV in archivo prov. Frisiae, chartul. monasterii S. Odulphi de Stauria p. 17.
Colmjon Register n° 69*.

1) Hodie dicitur: Hemelum. 2) Midlum. 3) Ruigehuizen. 4) Hoogkerk.
5) Hoogcarspel. 6) Legas: Ipeldekerka = Ipekolsga. 7) Zybecarspel.
8) Wervershoef. 9) Lierderbroek. 10) Oosterwoude. 11) Midwolde. 12) Twisk.
13) Zwaag. — Loci fere singuli sicut etiam num. 2276 in antiqua Frisia.

---

(275) Ad obs.: *Oorkondenboek van Groningen n°* 125.

2278. (276bis) *1257, Augusti 11, Viterbii.*

Decano Cameracensi mandatur, ut canonice procedat contra nonnullas personas, inter quos etiam laici Traj. dioec., qui priorissae et conventui monasterii de Bigardis 1) *injurias inferunt.*

Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio decano Cameracensi salutem || et apostolicam benedictionem.

Dilecte in Christo filie .. priorissa et conventus monasterii de || Bigardis ordinis sancti Benedicti nobis conquerendo monstrarunt, quod .. decanus christianitatis de Bruxella, Egidius dictus de Bosco laicus et quidam alii Cameracensis, Leodiensis et Trajectensis civitatum et diocesium super decimis, terris, quadam pecunie summa, redditibus, possessionibus et rebus aliis injuriantur eisdem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis audias causam et appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore sub||traxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. || Dat. Viterbii, III Id. Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Analectes pour servir à l'hist. eccl. de la Belgique Tom. XXIV. p. 17, *secundum autographum in archivo Namurcensi.*

1) „Grand-Bigard", prioratus et multo postea abbatia in dioecesi Cameracensi.

2279. (283bis) † *1260, Aprilis 26, Anagniae.*

Scholastico ecclesiae S. Petri Traj. committitur, ut inter Gossuinum de Erpe ejusque tutorem necnon priorissam et conventum monasterii de Bigardis Camerac. dioec. causam super quadam decima definitive decernat.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio .. scolastico ecclesie sancti Petri Trajectensis salutem et apostolicam benedictionem.

Sua nobis Gossuinus natus Gossuini de Erpe militis Cameracensis diocesis et ejus tutor petitione monstrarunt, quod cum inter ipsos ex una parte et .. priorissam et conventum de Bigardis ordinis sancti Benedicti predicte diocesis ex altera super quadam decima coram .. officiali Cameracensi non ex delegatione apostolica questio verteretur, idem officialis perperam in causa procedens contra dictum Gossuinum et ejus tutorem diffinitivam sententiam promulgavit, a qua ipsi ad curiam Remensem appellarunt; dicte vero curie Remensis .. officialis perperam in eadem causa procedens contra predictum Gossuinum et ejus tutorem iniquam interlocutoriam pronuntiavit, a qua etiam ipsi nostram audientiam appellarunt. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus legittime in appellationis causa procedens sententiam ipsam confirmare vel infirmare appellatione remota procures, sicut de jure fuerit faciendum. Dat. Anagnie, VI Kl. Maji, pontificatus nostri anno sexto.

Analectes l. c. p. 19, *secundum apographum insertum bullae genuinae, quae nunc sequitur.*

2280. (284bis) *1261, Januarii 11, Laterani.*

(Waltero) episcopo Tornacensi declaratur, bullam supra laudatam esse spuriam, eidemque mandatur, ut hujus fabricatorem ejusque complices canonice puniat.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri .. episcopo Tornacensi salutem et apostolicam benedictionem.

Inspecto transcripto litterarum, quas sub nomine nostro confectas || Gossuinus de Erpe laicus Cameracensis diocesis contra .. priorissam et conventum de Bigardis ordinis sancti Benedicti supra quadam decima ad .. scolasticum ec||clesie sancti Petri Trajectensis dicitur reportasse, si littere ipse transcripto concordant eidem, eas constat liquido esse falsas. Transcriptum quorum tale est:

Alexander episcopus *(etc. ut supra)*. . . .

Ne igitur falsariorum culpa remaneat impunita, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus litteras ipsas tibi faciens exhiberi, detentores ad exhibitionem earum, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo, si eas tales inveneris, quale est transcriptum predictum, easdem nunties esse falsas et revoces in irritum quic||quid est illarum occasione presumptum, fabricatorem autem earum et quoslibet, quos scienter illis usos esse constiterit, juxta constitutionem contra falsarios editam || appellatione remota castiges. Dat. Laterani, III Id. Januarii, pontificatus nostri anno septimo.

Analectes l. c., secundum autographum ibidem.

(289—291) Ad obs.: *Dorez-Guiraud Régistres* 180, 185, 186*.

(309) Lin. 5 pro: docet, legas: decet.

(311) Ad obs.: *Muller Regesten n°* 72*.

(312—313) Ad obs.: *Jordan Régistres* 76*—77*.

(314) Ad obs.: *van den Bergh Register p.* 62*.

(318) Ad obs.: *Diest Lorgion Geschiedk. Beschrijving der stad Groningen I.* 65; *Oorkondenboek van Groningen n°* 141.

(321) Ad obs.: *Jordan Régistres* 652.

(323) Ad obs.: *Guiraud Régistres* 79.

(324) Ad obs.: *Reg. Vat. T.* 37, *f.* 101v, *cap.* 4 *inter literas curiales; Guiraud Régistres* 307*.

2281. (326bis) *1274, Januarii 28, Lugduni.*

Praeposito ecclesiae S. Gertrudis Lovaniensis mandatur, ut clericos et laicos Traj. etiam dioec., qui monasterio de Bigardis debitum censum exhibere non curant, ad hoc faciendum per censuram ecclesiasticam compellat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio .. preposito ecclesie sancte Gertudis in Lovanio Leodiensis diocesis salutem et apostolicam || benedictionem.

Insinuarunt nobis dilecte in Christo filie .. priorissa et conventus monasterii de Bigardis ordinis sancti Benedicti, quod non||nulli clerici et laici Cameracensis, Leodiensis et Trajectensis civitatum et diocesium, qui terras, domos, possessiones et alia bona immobilia sub annuo censu vel redditu a monasterio ipso tenent, censum seu redditum ipsum dictis priorisse et conventui exhibere non curant, quamquam iidem clerici et laici terras, domos, possessiones et alia bona hujusmodi pacifice possideant et quiete ac fructus cum integritate percipiant eorundem; propter quod dictis priorisse et conventui ac monasterio imminet non modicum detrimentum. Quare eedem priorissa et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut de oportuno sibi super hoc remedio providere paterna diligentia curaremus. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, dictos clericos et laicos, quod censum seu redditum memoratum predictis priorisse et conventui exhibeant integre, ut tenentur, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, previa ratione compellas. Testes autem, qui fuerint nomi||nati, per censuram eandem, appellatione cessante, compellas veritati testimonium || perhibere. Dat. Lugduni, V Kl. Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Analectes p. s. à l'hist. eccl. de la Belgique Tom. XXIV, p. 21, *secundum autographum in archivo Namurcensi, erronee sub anno* 1273.

---

(328) Ad obs.: *van den Bergh Register p.* 76*.

---

(335) Johannes episcopus, servus servorum || Dei, dilecto filio .. abbati sancti Laurencii in Ostbruch Trajectensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem.

Significarunt || nobis dilecti filii .. decanus et capitulum ecclesie sancti Salvatoris Trajectensis, quod nonnulli clerici tam religiosi quam seculares, barones, nobiles, milites et alii laici Trajectensium, Tornacensium et Leodiensium civitatis et dyocesis, qui domos, vineas, villas, grangias, prata, nemora, molendina, pascua, terras, possessiones, jura, jurisdictiones et nonnulla alia bona immobilia sub annuo censu seu reditu ab ecclesia ipsa tenent, censum sive reditum hujusmodi dictis decano et capitulo exhibere non curant, quamquam idem .. clerici, barones, nobiles et alii terras, domos, vineas, villas, possessiones et alia bona predicta pacifice possideant et quiete ac fructus cum integritate percipiant earumdem; propter quod dictis .. decano et capitulo ac ecclesie non modicum imminet detrimentum. Cum autem pro parte dictorum decani et capituli super hiis ad nos habitus sit recursus, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, dictos clericos, barones et nobiles, milites et alios, quod censum seu reditum memoratum prelibatis decano et capitulo exhibeant integre, ut tenentur, monitione premissa per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, justitia mediante compellas; proviso ne in terras dictorum baronum et nobilium excommunicationis sententiam vel inter-

dicti proferas, nisi a nobis super hoc receperis mandatum speciale. Testes autem, qui fuerint nomina||ti, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compellas veritati || testimonium perhibere. Datum Viterbii, VI Idus Octobris, pontificatus nostri anno primo.

---

(349) Ad obs.: *Saint-Genois Monumens anciens I.* 434*, *secundum Vidimus coaevum in archivo Montis Hannoniae.*

P. 142 pro: num. 250, legas: 350.

(363) Ad obs.: *Prou Régistres* 902*.

(369) Ad obs.: *Saint-Genois Monumens anciens II.* 753*, *secundum autographum in archivo Insulano.*

(370) Ad obs.: *Saint-Genois l. c. II.* 743*, *secundum autographum in archivo Insulano*, perperam sub an. 1286, *et iterum II.* 743* *secundum apographum ibid.* Donatio, de qua agitur, facta est mense Januario an. 1285, cfr. Saint-Genois II. 733*.

(375) Ad obs.: *Saint-Genois Monumens anciens II.* 833*, *ubi insuper duae Coelestini papae V de eodem argumento epistolae, d.d.* 1 *Decembris an.* 1294, *secundum autographa in archivo Insulano.*

(379 et 380) Ad obs.: *Langlois Régistres* 3524* *et* 3700*.

(381) Lin. 22 pro: Sēpporgh, legas: Lempporgh. Ad obs.: *Langlois Régistres* 4057*—4058*.

(382) Ad obs.: *Langlois Régistres* 3948*, qui pro: Eddo, rectius habet: Eclo.

(384—387) Ad obs.: *Langlois Régistres* 3899*, 4000*—4006*, 4090*, 4517*.

(385) In obs. p. 166 lin. 4 pro: 392, legas: 391 etc.

(387) Lin. 2 pro: Trajectensium, legas: Trajectensibus.

(388 et 389) Ad obs.: *Langlois Régistres* 4572 *et* 4573 *fragmentum.*

(390—409) Ad obs.: *Langlois Régistres* 5580*, 4987*, 5582*, 5840*—5852*, 5827*, 5853*, 5850*, 5851*, 5953*, 5846*, 6284*.

(412) Ad obs.: *Langlois Régistres* 6540*.

(433) Ad obs.: *Faucon-Thomas-Digard Régistres* 2869*.

(435) Ad obs.: *Oorkondenboek van Groningen n°* 203; *cfr. etiam* 211 *et* 213.

(436) Ad obs.: *Faucon-Thomas-Digard Régistres* 3185*.

(444) P. 200, lin. 30 pro: gravari, legas: generari.

(474) In excerpto lin. 2 post: Salzeburgensi, legas: archiepiscopis.

(477) Ad obs.: *Saint-Genois Monumens anciens I.* 299*, *secundum autographum in archivo Montis Hannoniae;* perperam sub an. 1306.

(482) In excerpto lin. 2 legas: Terrae.

(515) Ad obs.: *Saint-Genois Monumens anciens I.* 438*, *secundum apographum coaevum in archivo Montis Hannoniae.*

(529) Ad obs.: *Riezler Vatikanische Akten* 5. *n°* 9.

(531) Ad obs.: *Riezler* 5. *n°* 8*.

(540) Ad obs.: *Riezler* 45. *n°* 58*.

2282. (540bis) *1317, Junii 5, Avenionis.*

Abbati et conventui monasterii S. Odulphi de Stauria confirmatur jus patronatus in ecclesia S. Mariae ejusdem loci.

Johannes episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii sancti || Odulphi de Stauria ordinis sancti Benedicti Trajectensis dyocesis salutem et apostolicam || benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit racionis, ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane vestra peticio nobis exhibita continebat, quod universitas hominum ville de Stauria, cupientes terrena pro celestibus et transitoria pro eternis felici commercio commutare, jus patronatus, quod in ecclesia sancte Marie ejusdem loci de Stauria Trajectensis dyocesis obtinebant, vobis et monasterio vestro pia et provida deliberacione donarunt, ad id venerabilis fratris nostri episcopi Trajectensis accedente consensu, prout in patentibus litteris, ipsorum episcopi et universitatis sigillis munitis, plenius dicitur contineri. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eisdem episcopo et universitate pie et provide factum est, ratum et gratum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino homini || liceat hanc paginam nostre confirmacionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum || Avinione, Non. Junii, pontificatus nostri anno primo.

Apographum saec. XV in chartul. praefati monasterii, quod exstat in archivo prov. Frisiae, p. 12.
Colmjon Register n° 175*.

---

(545) Pro: Avinioni, legas: Avinione.

(569) *Transsumptum in literis Frederici de Blankenheim episcopi Traj., d.d.* 14 *Maji an.* 1423, *quibus suas in hac parte vices subdelegat „Frederico curato in Nova Terra"*; *Archiv. prov. Ultraj. B. A.* 82, *f.* 125.

P. 270 post num. 579 legas: 580.

(585) In obs. legas: num. 562.

(588) Ad obs.: *Wauters Table chronol. VIII.* 747*.

(591—593) Ad obs.: *Oorkondenboek van Groningen n°* 271, 269, 270; *Colmjon Register* 192*, 189*, 190*.

(596) Lin. 1 pro: Zellicensis, legas: Zeflicensis.

(695) In obs. Reg. Vat. laudentur: *T.* 81, *f.* 489ᵛ, *cap.* 2821.

(711) In excerpto lin. 1 legas: Bennoni dicto Creye etc.

---

(753) Dilectis filiis .. Xanctensis et .. Davantriensis ac .. Embricensis, Coloniensis et Trajectensis diocesium ecclesiarum decanis salutem.

Suffragancia dilecto filio Johanni de Doeusbrouc clerico Trajectensis diocesis merita probitatis, super quibus apud nos fidedignorum comendatur testimonio, attendentes, dignum duximus, ut ad personam suam liberalitatis apostolice dexteram extendamus. Sane pro parte ipsius Johannis nuper nobis exposito, quod ipse olim parrochialem ecclesiam de Meer Coloniensis diocesis alias canonice sibi collatam recipiens, eam per tresdecim annos vel circa tenuerat in presbyterum non promotus, dispensacione super hoc aliqua non obtenta, fructus percipiens ex eadem, et nichilominus medio tempore canonicatum et

prebendam ecclesie Sutphaniensis Trajectensis diocesis, ad presentacionem dilecti filii nobilis viri Raynaldi Ghelrensis comitis, ut asseritur, pertinentes, necnon capellam sancte Margarite in eadem Sutphaniensi ecclesia fuerat alias eciam canonice assecutus et fructus perceperat per annos aliquos ex eisdem, ac supplicato nobis humiliter, ut providere sibi super hiis de oportuno remedio dignaremur, nos volentes cum eo de benignitate sedis apostolice misericorditer agere in hac parte, ipsum Johannem auctoritate apostolica habilitavimus fructusque predictos per eum, ut prefertur, ex beneficiis eisdem perceptos remisimus et donavimus de gracia speciali, fructibus duorum annorum ex eis dumtaxat nostre Camere reservatis, quos infra Kalendas Octobris proximo futuras teneretur solvere Camere antedicte, alioquin haberetur hujusmodi gracia remissionis fructuum pro non facta, prout in litteris nostris super hiis confectis plenius continetur. Nos igitur volentes personam ipsius Johannis hujusmodi suorum meritorum intuitu gracia prosequi ampliori sibique de canonicatu et prebenda predictis, dummodo in eis tempore date presencium non sit alicui alteri specialiter jus quesitum, per apostolice sedis munificenciam provideri, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, dictos canonicatum et prebendam, dummodo in eis tempore dicte date non sit jus specialiter acquisitum alteri, ut prefertur, prefato Johanni vel procuratori suo ejus nomine cum plenitudine juris canonice ac omnibus juribus et pertinenciis suis auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum *etc.;* non obstantibus quibuscunque *etc.;* aut si venerabili fratri nostro .. episcopo Trajectensi et dilectis filiis capitulo et ecclesie Sutphaniensibus vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de canonicatibus et prebendis ejusdem ecclesie Sutphaniensis vel aliis beneficiis ad eorum collacionem, provisionem vel quamcunque aliam disposicionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri *etc.;* seu quod hodie prefato Johanni de parrochiali ecclesia predicta per eum hucusque sic de facto detenta per nostras certi tenoris litteras mandavimus provideri; volentes, quod dictam capellaniam, quam ut, premittitur, idem Johannes de facto tenuit, omnino dimittere teneretur. Nos enim exnunc, si in eisdem canonicatu et prebenda tempore dicte date non sit specialiter jus quesitum alicui alteri, ut prefertur, irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Dat. Avinione, VIII Id. Februarii, anno duodecimo.

---

(787) In excerpto lin. 5 pro: Stephanus, legas: Suederus de Voern.

(897—899) Vilremo *(sic)* archiepiscopo Coloniensi.

Non sine cordis amaritudine percepimus hiis diebus, hostem antiquum

humani generis, satorem discordie cunctorumque incentorem malorum inter dilectos filios nobilem virum Johannem ducem Brabancie ac scabinos et comunitatem ville Machliniensis Cameracensis diocesis ex parte una et venerabilem fratrem nostrum Adolphum episcopum Leodiensem ac dilectum filium nobilem virum Ludovicum comitem Flandrensem ratione ville predicte ex altera necnon et utriusque partis fautores et valitores adeo gravis dissensionis materiam suscitasse, quod per congressus bellicos et guerrarum fremitus ac invasionem et offensas mutuas jam processerunt periculose nimium et procedere periculosius, nisi provideatur aliter, se disponunt. Nos igitur, pacis commoda et dissensionis incommoda considerantes attente et nichilominus, quod si hec, quod absit, procederent, preter alia non facile numeranda discrimina posset generali Terre sancte passagio per nos jam indicto, sicut novit tua prudentia, impedimentum prestare non modicum, diligentius attendentes et propterea cupientes tantis malis et periculis salubriter obviare, venerabiles fratres nostros Hugonem Tricastrensem et Johannem Massiliensem episcopos apostolice sedis nuncios, viros utique providos et expertos ac nobis et fratribus nostris acceptos, ad predictorum ducis et comitis presentiam partesque illas providimus de dictorum fratrum consilio cum nostris certis litteris destinandos. Quia vero in hiis credimus tuum consilium utile plurimum et multipliciter oportunum, fraternitatem tuam rogamus et hortamur in Domino Jhesu Christo, quatinus divine remunerationis obtentu, ut que circa premissa desideranter appetimus celeriter assequamur, tue solicitudinis studium sic sedule interponas, quod negocio hujusmodi feliciter consummato, in retributione justorum ab eo, qui nullum bonum sine remuneratione relinquit, cum spe favoris apostolici tibi provide non immerito acquirendi mercedem condignam tam utilis cooperationis securus expectes. Dat. III Non. Marcii, anno decimo octavo.

In eundem modum mutatis mutandis: Johanni regi Bohemie.
In e. m. Reynoldo comiti Guelrensi.
In e. m. Guillermo comiti Hanonie.
In e. m. Willelmo comiti Juliacensi.
In e. m. comiti Namurcensi.
In e. m. Willelmo comiti Lossensi.
In e. m. Adolpho comiti de Marchia.
In e. m. Johanni de Hanonia comiti Bellimontis.
In e. m. Theodorico domino de Falquembuch [1]).
In e. m. Johanni episcopo Trajectensi.
In e. m. Ludovico episcopo Monasteriensi.
In e. m. Bernardo epissopo Padeburnensi *(et nonnullis aliis principibus.)*

1) Valkenburg.

---

(927) In obs. lin. 3 legas: autographum.

---

(977) *In eundem modum* dilectis filiis capitulo ecclesie Trajectensis salutem *etc.*

Celestis dispositione consilii *etc. usque:* suscipiet comodi et honoris. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem electo tanquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes et exhibentes sibi obedienciam et reverenciam debitam et devotam, ejus salubria monita et mandata suscipiatis devote et efficaciter adimplere curetis, ita quod mutuo inter vos et ipsum spirituale possit habundare gaudium et prosperitatis optate consurgere incrementum. Alioquin sententiam, quam idem electus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Dat. *ut supra.*

In e. m. dilectis filiis clero civitatis et diocesis Trajectensis salutem *etc.* Celestis *etc. usque:* observari. Dat. *ut supra.*

In e. m. dilectis filiis populo civitatis et diocesis Trajectensis salutem *etc.*

Celestis dispositione consilii *etc. usque:* comodi et honoris. Quocirca universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus eundem electum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum suscipientes devote ac debita honorificentia prosequentes, ipsius salubribus monitis et mandatis humiliter intendatis, ita quod ipse in vobis devotionis filios et vos subsequenter in eo patrem invenisse benivolum gaudeatis. Dat. *ut supra.*

In e. m. dilectis filiis universis vassallis ecclesie Trajectensis salutem *etc.*

Celestis dispositione *etc. usque:* comodi et honoris. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem electum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum pro apostolice sedis et nostra reverencia debito prosequentes honore ac ipsius mandatis et monitis efficaciter intendentes et fidelitatem solitam necnon consueta servicia et jura a vobis sibi debita exhibere integre studeatis. Alioquin sententiam sive penam, quam idem electus spiritualiter et temporaliter rite tulerit seu statuerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Dat. *ut supra.*

---

(978) *In e. m.* venerabili fratri .. archiepiscopo Coloniensi salutem *etc.* Ad cumulum tue sedit *(sic)* salutis et fame, si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas oportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Olim siquidem ecclesia Trajectensis per obitum bone memorie Johannis episcopi *etc. usque:* suscipiet comodi et honoris. Cum igitur eidem electo in commissa sibi ecclesie predicte cura, ut facilius proficere valeat, tuus favor sibi esse noscatur plurimum oportunus, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus eundem electum et commissam sibi ecclesiam habens pro nostra et apostolice sedis reverencia commendatos, in ampliandis et conservandis juribus suis sic eum tui favoris auxilio prosequaris, quod ipse per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi ejusdem ecclesie regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam et dicte sedis benivolenciam valeas uberius promereri. Dat. *ut supra.*

(1000) In obs. erronee repetitur: legendum videtur.
(1034) In obs. legas: Reg. Av.
(1000) P. 438 lin. 6 pro: Cistenciensis, legas: Cisterciensis.
(1165—1166) Ad obs.: *Werunsky Excerpta n°* 99*.
(1183) Legas: Constitutus in.
(1184) In excerpto pro: praeposito, legas: decano.

2283. **(1184bis)** *1346, Junii 22, apud Villamnovam.*

(Johanni) regi Bohemiae ut nuncius destinatur Johannes de Pistorio decanus S. Salvatoris Traj., idemque rogatur, ut praefato Johanni in explicandis per ipsum fidem adhibeat.

Ecce fili carissime.... Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, X Kl. Julii, anno quinto.

Reg. Vat. Tom. 140, *f.* 58, *cap.* 246.
Werunsky Excerpta n° 118*.

(1191) In excerpto lin. 1 legas: Gerardo.

2284. **(1212bis)** *1347, Aprilis 18, Avenionis.*

Carolo (IV) regi Romanorum notificatur, mitti sibi Johannem de Pistorio decanum S. Salvatoris Traj. super quibusdam negotiis oraculo vivae vocis explicandis.

Quia presentate nobis.... Dat. Avinione, XIIII Kl. Maji, anno quinto.

Reg. Vat. Tom. 140, *f.* 269, *cap.* 1204.
Werunsky Excerpta n° 147*.

(1301 et 1380) In obs. legas: Reg. Av.

2285. **(1528bis)** *1355, Maji 15, Avenionis.*

(Wilhelmo) archiepiscopo Coloniensi ejusque suffraganeis intimatur, in Coloniensi nonnullisque aliis provinciis ad recuperationem Ecclesiae terrarum decimam quorumcumque reddituum ecclesiasticorum per triennium continuum in festo Omnium Sanctorum proxime inchoandum esse solvendam. Iisdem mandatur, ut ad solvendam hanc decimam, si expediens fuerit, per censuram ecclesiasticam compellant.

Inter multiplices, quibus.... Dat. Avinione, Id. Maji, anno tertio.

Reg. Vat. Tom. 237, *f.* 132. In e. m. ac archiepiscopis Moguntinensi, Salzburgensi, Bremensi eorumque suffraganeis.
Werunsky Excerpta n° 337*.

(1549) In excerpto lin. 1 legas: ecclesiae.
(1555) p. 78 lin. 28 post: de Volde, addas: (sic), et legas potius: de Velde.

2286. (1561bis) *1356, Maji 16, Avenionis.*

(Wilhelmo) archiepiscopo Coloniensi ejusque suffraganeis scribitur, dominum Papam se mirari, quod ipsi literas super collectione decimae destinatas exequi distulerint. Iisdem mandatur, ut singuli suis in dioecesibus praedictas literas post dies quindecim a praesentium praesentatione exequi curent atque personas ecclesiasticas sub excommunicationis et interdicti sententiis ad decimam rite solvendam inducant.

Si necessitatum vehementium.... Dat. Avinione, XVII Kl. Junii, anno quarto.

Reg. Vat. Tom. 238, *f.* 66.
Werunsky Excerpta n° 361*; *cfr. etiam n°* 436* *et n°* 446*.

2287. (1561ter) *1356, Maji 16, Avenionis.*

Reynerus (III) dux Gelriae de superioribus literis certior redditur idemque monetur, ut archiepiscopum Coloniensem ejusque suffraganeos ad solutionem decimae efficaciter inducat.

Timens ex exactione.... Dat. Avinione, XVII Kl. Junii, anno quarto.

Reg. Vat. Tom. 238, *f.* 76. In e. m. ac Carolo (IV) imperatori, marchioni Juliacensi, comiti Lossensi, comiti de Marcka, duci Clevensi.
Werunsky Excerpta n° 262*.

(1565) Lin. 5 pro: te, legas: se.

2288. (1586bis) *1357, Julii 24, Avenionis.*

(Reynerus III) dux Gelriae rogatur, ut Philippum episcopum Cavallicensem tamquam nuncium Sedis Apostolicae in partes Alamanniae destinatum benigne recipiat eidemque de salvo conductu provideat.

.... Dat. Avinione, VIIII Kl. Augusti, anno quinto.

In e. m..... comiti Hanonie (*necnon aliis quibusdam principibus et praesulibus*).

Reg. Vat. Tom. 239, *f.* 164.

Werunsky Excerpta n° 451*. Initium in Registris archivi Vat. frustra quaesitum.

2289. (1591bis) *1357, Octobris 1, Avenionis.*

Philippus episcopus Cavallicensis apostolicae sedis nuncius destinatur ad Trevirenses, Moguntinenses, Colonienses, Bremenses, Magdeburgenses civitates, dioeceses et provincias, ut cathedrales ibi ecclesias earumque personas visitet et quae in iisdem reformanda repererit reformet.

Inter cetera, quibus.... Dat. Avinione, Kl. Octobris, anno quinto.

Reg. Vat. Tom. 239, *f.* 224.

Werunsky Excerpta n° 463*.

2290. (1591ter) *1357, Octobris 1, Avenionis.*

Trevirensis, Moguntinensis, Coloniensis, Bremensis, Magdeburgensis, Salzburgensis archiepiscopi eorumque suffraganei necnon personae ecclesiasticae praedictis in provinciis constitutae, quippe qui pridem subsidium, quod ad duas procurationes ascenderet, de redditibus suis domino Papae concedendum putaverant, ab omni procuratione Sedi Apostolicae solvenda usque ad biennium absolvuntur.

Cum pridem compatientes.... Dat. Avinione, Kl. Octobris, anno quinto.

Reg. Vat. Tom. 239, *f*, 226.

Werunsky Excerpta n° 464*.

2291. (969bis) *1339, Februarii 6, Avenionis.*

Abbati S. Pauli Traj. mandatur, ut quidquid de bonis ecclesiae majoris Traj. illicite alienatum invenerit vel distractum, ad jus et proprietatem ejusdem ecclesiae legitime revocare curet.

Ad audienciam nostram.... Datum Avinione, VIII Id. Februarii, pontificatus nostri anno quinto.

Apographum saec. XIV in chart. D. 267 *archivi prov. Ultraj., Vidimus d.d.* 1347 *Decembris* 15; *alterum saec. XV D.* 694, *f.* 1. Serius hoc diploma reperi, ut proprio suo loco collocari posset.

(1595) In obs. pro: ante quem, legas: post quem.
(1608) In excerpto pro: b. Mariae, legas: b. Martini.
(1616) In obs. lin. 2 legas: de Eltevil.
(1627) Ad obs.: *Werunsky Excerpta n°* 493*, *secundum Reg. Vat. Tom.* 241, *f.* 66, ubi sub die 5 Junii.
(1670) In excerpto lin. 1 legas: Petro de Sancto Michaele.

2292. **(1844bis)** *1367, Augusti 23, Avenionis (sic)* [1]).

Thesaurario S. Salvatoris Traj. mandatur, ut observari faciat definitivam sententiam, quam capitulum Traj. contra Fredericum de Eze, decimas in Emmer-mersche indebite detinentis, in tertia instantia reportavit.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio thesaurario ecclesie sancti Salvatoris Trajectensis salutem et apostolicam benedictionem.

Sua nobis dilecti filii decanus et capittulum ecclesie Trajectensis petitione monstrarunt, quod licet perceptio omnium decimarum provenientium ex fructibus excrescentibus infra limites parochie ecclesie de Dalvessem [2]) Trajectensis diocesis ad eosdem decanum et capittulum de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertineret, et tam iidem decanus et capittulum quam predecessores eorum fuissent in pacifica possessione vel quasi juris *(sic)* percipiendi hujusmodi decimas a tempore, cujus contrarii memoria non existit, quia tamen nobilis vir Fredericus de Eza, dominus loci in Rechteren ejusdem diocesis, omnes decimas provenientes ex fructibus excrescentibus in loco dicto Emermersche infra dictos limites consistente occupabat et detinebat indebite occupatas, prefati decanus et capittulum eundem nobilem super hoc, petendo ipsum condempnari et compelli ad dimittendum sibi decimas hujusmodi, coram officiali Trajectensi, non ex delegatione apostolica, traxerunt in causam; idemque officialis, cognitis hujusmodi cause meritis et juris ordine observato, pro dictis decano et capittulo diffinitivam sentenciam promulgavit, a qua prefatus nobilis ad Coloniensem curiam loci metropoliticam appellavit dictosque decanum et capittulum fecit in causa appellationis hujusmodi coram officiali dicte curie ad judicium evocari; idemque officialis dicte curie, cognitis hujusmodi cause meritis et juris ordine observato, prefatam diffinitivam sentenciam confirmavit; propter quod prefatus nobilis ad sedem apostolicam appellavit, falso pretendens, quod progenitores sui, quorum heres existebat, ante et post generale concilium, tenuerant in feudum a dicta ecclesia Trajectensi decimas provenientes ex fructibus excrescentibus in dicto loco, et quod tam ipse nobilis quam dicti progenitores sui fuerant a tempore supradicto et cujus contrarii memoria non extabat, in pacifica possessione vel quasi (jure) percipiendi decimas supradictas, super appellatione sua hujusmodi apostolicas ad sancti Martini et sancti Johannis ac sancte Crucis Leodiensium ecclesiarum decanos sub certa forma litteras [3]) impetravit dictosque decanum et capittulum ecclesie Trajectensis fecit in causa appellationis hujusmodi coram dicto decano ecclesie sancti Martini, cui sancti Johannis ac sancte Crucis ecclesiarum decani predicti super premissis commiserant totaliter vices suas, hujusmodi litterarum et commissionis vigore ad judicium

evocari; idemque decanus ecclesie sancti Martini, cognitis hujusmodi cause appellationis meritis et juris ordine observato, prefatam diffinitivam sentenciam confirmavit. Quare predicti decanus et capittulum ecclesie Trajectensis nobis humiliter supplicarunt, ut hujusmodi sentencias robur faceremus firmitatis debitum obtinere. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus sentencias ipsas, sicut juste sunt, facias auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, firmiter observari. Datum Avinione, X Kl. Septembris, pontificatus nostri anno quinto.

Sic subscriptum supra plicam: N. Frederici.

Apographum saec. XV in chartul. archivi prov. Ultraj. D. 694.

1) Urbanus papa V tunc Viterbii morabatur. Porro hic error, nisi apographi nostri scriptori imputandus sit, suspicionem de fide bullae movere potest. 2) Dalfsen.

3) Innocentii papae VI, sicut in aliis diplomatis hanc ad causam spectantibus asseritur.

(1849) In excerpto lin. 2 legas: cujus.

(2059) Lin. 2 post: ecclesiarum, addas: decanis.

(2075) P. 220 lin. 3 pro: exhibite, legas: exhibita, et lin. 28 pro: salvo, legas: solus.

(2117) In excerpto lin. 1 legas: Adae.

(2136) In excerpto lin. 1 post: confessis, ne legas: quae, sed: qui.

(2161—2162) Lin. 1 legas: Apostolice sedis.

(2192) In excerpto lin. 2 post: in Lucina, legas: diaconus Cardinalis.

(2200—2203) Ad obs. singulorum: *Apographum coaevum in archivo prov. Ultraj. B. A. 64.*

(2222) In excerpto pro: Ambrevile, legas: Ambrevilla.

(2225) In excerpto pro: monasterio S. Petri, legas: monasterio b. Mariae Middelburgensis.

APPENDIX.

Non alienum esse videtur, in modum appendicis hic adjici nonnulla diplomata fortuito passim collecta, quippe quae, etiamsi ultra proprios collectionis nostrae limites cadunt, dioeceseos Traj. cum papali curia relationem magis dilucidant atque in Introductione nostra usui erunt.

I. *1311, Aprilis 9, Avenionis.*

(In margine): *Quietancia communis servicii episcopi Trajectensis, an. 1311.*

Facta est quittacio pro venerabili patre domino Guidone episcopo Trajectensi de sexcentis florenis auri solutis, pro complemento communis servicii domini Guillelmi predecessoris sui, et de centum florenis auri solutis pro uno servicio familiarium Domini nostri .. clericis Camere per manus discretorum virorum Johannis de Marvefia *(sic)* canonici ecclesie sancti Johannis Trajectensis et Thylmani de Torgis [1]) canonici ecclesie Eyquensis Leodiensis diocesis procuratorum suorum, statutis loco et termino. Dat. Avinione, die IX mensis Aprilis, anno et pontificatu ut supra (anno sexto.)

Archiv. Vat. Obligationum Solutiones Tom. 314, *n°* 2, *fol.* 116.

1) Legas: de Tongris.

II. *1324, Februarii 1, Avenionis.*

Gasbertus Camerarius papalis a Johanne (de Diest) episcopo Traj. acceptas testatur pro parte ejus communis servitii summas 1150 et 184 florenorum auri; eundem episcopum absolvit a censuris, quas ob pecuniam hanc debito tempore non persolutam incurrerat.

Universis presentes litteras inspecturis Gasbertus permissione divina Arelatensis archiepiscopus, domini Pape camerarius, salutem in Domino.

Ad universitatis vestre noticiam presentium tenore deducimus, quod venerabilis pater dominus Johannes episcopus Trajectensis pro parte sui communis servicii, in quo est Camere domini nostri Summi Pontificis obligatus, mille centum et quinquaginta florenos auri prefate Camere et pro parte quatuor serviciorum familiarium et officialium ejusdem domini nostri centum octuaginta-quatuor florenos auri, clericis Camere supradicte pro eisdem familiaribus et officialibus recipientibus, per manus magistri Johannis de Fumone, domini Pape scriptoris, procuratoris sui, solvi fecit, de quibus sic solutis dictum episcopum, ecclesiam et successores suos absolvimus et quitamus. Ceterum eundem episcopum ab excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis ac reatu perjurii, quas quodve pro eo incurrisse dinoscitur, quod predictam pecuniam in

statuto sibi termino non persolvit, misericorditer duximus absolvendum, has sibi litteras sigillo camerariatus nostri munitas in testimonium concedentes. Datum Avinione, die prima Februarii, anno Domini millesimo CCC. XXIIII, indictione VII, pontificatus sanctissimi patris et domini nostri, domini Johannis divina providentia pape XXII, anno octavo.

Bibliotheca Barberiniana Tom. XXX: 11, f. 92r.

III. *1324, Februarii 5, Avenionis.*

Wilhelmus S. Cyriaci in Termis presbyter Cardinalis, S. Collegii Cardinalium camerarius, a Johanne (de Diest) episcopo Traj. acceptas testatur summas 1050 et 46 florenorum auri; eundem a censuris absolvit ut supra.

Nos Guillermus, miseratione divina tituli Sancti Ciriaci in Termis presbyter Cardinalis, sacri collegii reverendorum patrum dominorum sancte Romane ecclesie Cardinalium camerarius, tenore presencium recognoscimus et fatemur, quod venerabilis pater dominus Johannes electus in episcopum Trajectensem pro parte sui communis servicii, in quo prefato collegio tenebatur, mille centum quinquaginta florenos auri et pro parte servitii familiarium dominorum Cardinalium predictorum quadraginta sex florenos auri per manus magistri Johannis de Fumone domini Pape scriptoris, procuratoris sui, nobis pro ipso collegio recipientibus, solvi fecit, de quibus sic solutis ipsum electum, ecclesiam et successores suos et eorum bona prefati collegii nomine absolvimus et quitamus. Insuper ipsum episcopum electum a suspensionis et excommunicationis sententiis ac reatu perjurii, quod et quos incurrit propter solutionem predicti per eum promissi servicii non factam termino constituto, auctoritate qua fungimur, duximus absolvendum. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri fecimus et sigilli nostri appensione muniri. Datum Avinione, die V mensis Februarii, anno Domini etc. ut supra usque in finem.

Ibidem.

IV. *1324, Februarii 8, Avenionis.*

Gaucelmus Cardinalis poenitentiarius confessario Johannis (de Diest) episcopi Traj. committit facultatem dispensandi eundem super irregularitate, quam ratione servitii communis tempore debito nondum persoluti incurrit.

Gaucelmus miseratione divina tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyter Cardinalis discreto viro .. confessori venerabilis fratris domini Johannis Dei gratia electi confirmati Trajectensis salutem in Domino.

Ex parte ipsius electi nobis exhibita petitio continebat, quod ipse olim pro eo, quod servitium Camere domini Pape et collegio reverendorum patrum dominorum Cardinalium sancte Romane ecclesie, in quo tenebatur eisdem, in sibi prefixo termino non persolvit, excommunicationis (et) suspensionis sen-

tentias et reatum perjurii noscitur incurrisse, in ipsum specialiter promulgatas, et sic ligatus, non tamen in contemptum clavium, in suis ministravit ordinibus et alias immiscuit se divinis. Verum cum a predictis sententiis et dicto perjurio rite sit, ut asseritur, absolutus, supplicari fecit humiliter sibi per sedem apostolicam misericorditer de dispensationis gratia provideri. Nos igitur auctoritate domini pape, cujus penitentiarie curam gerimus, tue discretioni committimus, quatinus, si est ita, injuncta sibi super predictis pro modo culpe penitentia salutari eoque ad tempus, prout expedire videris, a suorum ordinum executione suspenso, demum, suffragantibus ei meritis alioque non obstante, canonica super irregularitate dicto modo contracta dispenses misericorditer cum eodem. Dat. Avinione, VI Id. Februarii, pontificatus domini Johannis pape XXII anno octavo.

Ibidem.

V. *1325, Maji 26, Avenionis.*

Wilhelmus Cardinalis a dicto Johanne episcopo acceptam testatur summam 46 florenorum auri et eundem a censuris absolvit ut supra.

Nos Guillermus, miseratione divina Sancti Ciriaci in Termis presbyter Cardinalis, sacri collegii reverendorum patrum dominorum sancte Romane ecclesie Cardinalium camerarius, tenore presentium recognoscimus et fatemur, quod venerabilis pater dominus Johannes episcopus Trajectensis pro complemento servitii familiarium dominorum Cardinalium predictorum, in quo prefato collegio tenebatur, quadraginta sex florenos auri per manus discretorum virorum magistrorum Johannis de Fumone, domini pape scriptoris, et Franconis de Ruella procuratorum suorum nobis pro ipso collegio recipientibus solvi fecit, de quibus sic solutum ipsum episcopum, ecclesiam suam, successores suos et eorum bona prefati collegii nomine absolvimus et quitamus. Insuper ipsum episcopum a suspensionis et excommunicationis sententiis ac reatu perjurii, quod et quas incurrit propter solutionem predicti per eum promissi servitii non factam termino constituto, auctoritate qua fungimur, duximus absolvendum. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri fecimus et sigilli nostri appensione muniri. Datum Avinione, die vicesima sexta mensis Maji, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo quinto, indictione octava, pontificatus sanctissimi patris et domini nostri, domini Johannis pape XXII, anno nono.

Autographum in charta membranea, cum sigillo cereo Guillermi Card., Archiv. civit. Ultraj. n° 138.

VI. *1334, Februarii 7.*

Theodericus abbas Egmundensis solvit censum duorum annorum. [1])

Die VII Februarii (anni 1334) dominus Theodericus abbas monasterii Egmundensis diocesis Trajectensis pro censu duorum annorum in Kal. Junii

proxime futuri terminandorum assignavit Camere per manus magistri Namkini Jacobi VIII solidos Frisingenses in — XII denarios Turonenses grossos.

Reg. Av. T. 45, *f.* 632.

1) Cfr. supra num. 17.

VII. *1364, Junii 21.*

Johannes (de Virneburch) episcopus Traj. pro suo communi servitio promittit summam 4600 florenorum auri et quinque servitia consueta.

Anno 1364, die 21 Junii.

Dominus Johannes episcopus Trajectensis promisit pro suo communi servicio Camere apostolice et collegio $\overset{m}{\mathrm{IIII}}$. $\overset{c}{\mathrm{VI}}$. flor. et V servicia consueta, solvendo medietatem in festo Annunciationis beate Marie proxime venturo et aliam medietatem in festo Nativitatis Domini extunc proxime sequturo, Alioquin *etc.*

Archiv. Vatic. Oblig. Colleg. Tom. 589, *f.* 77v.

VIII. *1368, Aprilis 9, Romae ap. S. Petrum.*

Walhardus de Bostomridi capellanus et poenitentiarius papalis (Johanni de Virneburch) episcopo Traj. committit, ut Swederum borchgravum de Montfoort aliosque armigeros, qui clericum quendam conjugatum, non tonsuratum interfecerunt, propterea nullam excommunicationis sententiam incurrisse declaret.

Venerabili in Christo patri .. Dei gratia episcopo Trajectensi vel ejus penitenciario Walhardus de Bostomridi, cantor ecclesie Caturcensis, decretorum doctor, domini pape capellanus, salutem in Domino.

Ex parte nobilium Swederi borchgravi de Mondforde et Henrici dicti Rover de Mondforde ejus filii ac Huberti de Vianen militum ac Hinrici filii Souden de Damasco, Alfardi de Mondforde, Hermanni de Herwen ac Theoderici dicti Grunt armigerorum laycorum vestre dyoceseos nobis oblata peticio continebat, quod olim ipsi quendam clericum conjugatum, quem absque tonsura invenerint clericali, propter delicta clerici ipsius sepeliendo suffocarunt et interfecerunt; super quibus ad ora obloquencium emulorum suorum obstruenda supplicari fecerunt humiliter dicti milites et armigeri eis per sedem apostolicam misericorditer provideri. Nos igitur auctoritate domini pape, cujus penitenciarie curam ad presens regimus, circumspectioni vestre committimus, si est ita, super quibus vestram conscienciam oneramus, declareas *(sic)*, ipsos milites et armigeros nullam premissorum occasione excommunicacionis sentenciam incurrisse. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, V Id. Aprilis, pontificatus domini Urbani pape V anno sexto.

Autographum cum sigillo cereo in archivo prov. Ultraj.; cfr. R. Fruin Th. Az. Inventaris van het archief der Heeren van Montfoort n° 122*.

IX. *1368, Martii 29, Vliederbaci.*

Jacobus episcopus Croatensis declarat, se Johanni de Hilleghem abbati Egmundensi munus benedictionis rite impendisse. 1)

Nos Jacobus Dei et apostolice (sedis) gratia episcopus Croatensis, notum facimus universis, quod reverendo in Christo patri domino Johanni de Hilleghem, abbati monasterii Egmondensis .... juxta mandatum apostolicum nobis in hac parte directum munus benedictionis infra Missarum sollempnia contulimus cum omnibus et singulis sollempnitatibus ad hoc debitis et consuetis, harum nostrarum testimonio. Datum et actum in monasterio Vliederbacensi dicti ordinis Leodiensis diocesis, anno Domini MCCCLXVIII, Dominica, qua cantatur in ecclesia Dei: Letare Jherusalem.

Autographum in archiro Status Hagae-Comitano Coll. Egmund., cum sigillo cereo cervini coloris.

1) Cfr. supra num. 1851.

X. *1371, Julii 25.*

Arnoldus (de Hoorne) episcopus Traj. promittit servitia consueta.

Anno 1371, die 25 Julii.

Dominus Arnulphus episcopus Trajectensis promisit pro suo communi servicio IIII^{m}. V^{c}. *(sic)* flor. et V servicia consueta, solvendo ut supra de promisso. Alioquin etc.

Arch. Vat. Oblig. colleg. Tom. n° 589, *f.* 153.

XI. *1377, Februarii 17, Cameraci.*

Gerardus episcopus Cameracensis auctoritate sibi commissa dispensat cum Henrico Rover (de Montfoort) et domicella Oda super impedimento consanguinitatis in quarto gradu.

Universis litteras presentes inspecturis Gerardus Dei gratia Cameracensis episcopus salutem in Domino.

Noveritis quod, quia contenta in litteris domini penitenciarii domini nostri pape, quibus hee presentes nostre littere infinguntur, reperimus fore valere, habita super hiis prius informacione diligenti a pluribus fidedignis noticiam de ipsorum domini Henrici et domicelle Oede in predicta commissione nominatorum et eorum parentum et amicorum habentibus et in partibus ipsorum moram facientibus continuam, nos virtute ipsarum litterarum predictis domino Henrico Rover et domicelle Oede in ipsa commissione nominatis, ut invicem matrimonium contrahere valeant et possint et in eo licite remanere non obstante quarto gradu consanguinitatis, in quo invicem sunt conjuncti, super quo cum ipsis virtute ipsarum litterarum misericorditer dispensamus, damus per presentes licenciam atque facultatem, prolem ab ipsis exinde suscipiendam legitimam decernentes.

In quorum testimonium et robur has nostras presentes et patentes litteras fieri fecimus et eas sigilli nostri appensione muniri. Datum Cameraci, anno Domini MCCCLXX septimo, die decima septima mensis Februarii.

Autographum in archivo prov. Ultraj.; sigillum et literae olim transfixae desiderantur; cfr. R. Fruin Th. Az. Inventaris van het archief der Heeren van Montfoort n° 127.*

XII. *1379, Octobris 3, Avenionis.*

Clemens VII antipapa Arnoldo (de Hoorn) electo Traj. mandat, ut ab Heydenrico electo Monasteriensi exigat et recipiat summam 3000, quam ratione communis servitii, necnon summam 60 florenorum auri, quam pro expeditione bullae debet.

Dilecto filio Arnaldo electo Trajectensi salutem *etc.*

Nuper ecclesia Monasteriensi certo modo vacante, nos de persona dilecti filii Heydenrici electi Monasteriensis eidem ecclesie duximus auctoritate apostolica providendum, preficiendo ipsum dicte ecclesie in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris, quas tibi una cum presentibus transmittimus, plenius continetur. Set quia nullus est in Romana curia, qui pecuniam pro confectione et expedicione ac redempcione litterarum ipsarum solvere voluerit sive velit aut pro communi servicio nobis et collegio venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium debito obligare, idemque electus propter guerras, que in illis partibus vigent et viarum pericula, pecuniam aut procuratores ad premissa ausus non fuit destinare, earumdem litterarum expedicio hucusque extitit retardata. Nos igitur nolentes, quod propterea dicta Monasteriensis ecclesia patiatur in spiritualibus et temporalibus detrimenta, idemque electus in adipiscenda possessione sui episcopatus impediatur vel eciam perturbetur, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ab eodem electo de solvenda pecunia in Romana curia pro ipsarum litterarum expedicione, videlicet pro juribus notariorum sedis apostolice suorumque abreviatorum, scriptorum bulle nostre et Registri, videlicet sexaginta florenos auri de Camera necnon de solvendo Camere apostolice et eisdem Cardinalibus tria milia florenorum auri de Camera *etc. omissa.* Dat. Avinione, V Non. Octobris, pontificatus nostri anno secundo.

Reg. Vatic. (Clementis VII antip.) Tom. 292, *f.* 225.

XIII. *1386, Martii 19, Januae.*

Florentio (de Wevelinckhoven) episcopo Traj. terminus, quo servitia consueta solvere debet, usque ad diem 24 Junii prorogatur.

Nos Nicolaus *etc.*

Quod intellecta mole gravaminum pro parte reverendi in Christo patris domini Florencii Dei gracia episcopi Trajectensis coram nobis exposita, que ipsum ad solvendum id, in quo Camere et familiaribus et officialibus dicti collegii dictorum dominorum Cardinalium pro suo communi et uno minuto ser-

viciis consueto debito pro familiaribus et officialibus dicti collegii sub certis penis et sentenciis racione dicte sue ecclesie Trajectensis existit efficaciter obligatus, *etc.* usque ad festum Nativitatis sancti Johannis Baptiste proxime futurum prorogamus et de novo assignamus eidem; ita tamen *etc. etc.* Dat. Janue sub anno a Nativitate Domini MCCCLXXXVI, indictione nona, die XIX mensis Marcii, pontificatus anno octavo.

Archiv. Vatic. Solutiones Urbani VI et Bonifacii IX Tom. 572, *f.* 13. Ibidem fol. 19ʳ, pro eodem annotatur a° 1387 prorogatio usque ad festum Purificationis B. M. V. proxime sequens: „Dat. Avinione, anno IX, die XXI Junii."

XIV. *1386, Maji 11.*

Item abbati monasterii S. Adalberti Egmundensis Trajectensis diocesis prorogatur ut supra. Dat. die XI mensis Maji anno eodem.

Ibidem fol. 15ᵛ.

XV. *1389, Decembris 11, Avenionis.*

Pro Florentio (de Wevelinckhoven) dantur apochae necnon termini dilatio quoad pecuniam ratione servitii consueti solvendam.

A. Franciscus *etc.*

Quod reverendus in Christo pater dominus Florencius episcopus Trajectensis pro parte partis sui *etc.* ducentos decem et octo florenos auri de Camera, solidos triginta septem, denarios sex monete Romane per manus honorabilis viri magistri Jacobi Wilfen de Campen [1]) ecclesie sancti Johannis Trajectensis (canonici) die date presencium solvi fecit realiter et cum effectu, etiam pro parte partis unius minuti servicii .... *etc.* Verum intellecta mole *etc.* terminum faciende solucionis residui hujusmodi usque ad festum Omnium Sanctorum proxime futurum prorogamus *etc.* Datum Rome sub anno Domini M trecentesimo octuogesimo nono, indictione duodecima, die undecima mensis Decembris, pontificatus domini Bonifacii anno primo.

Ibidem f. 79ᵛ.

B. Franciscus *etc.*

Reverendus in Christo pater dominus Florencius Dei gracia episcopus Trajectensis pro parte sui communis servicii ducentos decem et octo florenos auri de Camera, solidos triginta septem *etc.* per manus magistri Jacobi Nisten *(sic)* de Campen [1]) canonici ecclesie sancti Johannis Trajectensis solvi fecit *etc. etc.* .... Sub anno domini MCCCLXXXVIIII, indictione XII, die XI mensis Decembris, pontificatus ut supra anno primo.

Ibidem Tom. 573, *f.* 11,

1) Supra num. 1916 audit: Jacobus de Wissem de Campen.

XVI. *1394, Junii 5.*

Fredericus (de Blankenheim) solvere promittit pecuniam ratione servitii communis debitam tam a seipso quam a praedecessoribus suis Florentio (de Wevelinckhoven) et Arnoldo (de Hoorne).

Anno 1394, die 5 Junii.

Anno indictione, pontificatu, loco, coram et presentibus quibus supra, die vero Veneris, quinta die mensis Junii, reverendus in Christo pater dominus Fredericus episcopus Trajectensis per magistrum Ghirardum Werth apostolicarum litterarum scriptorem, procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, promisit Camere et collegio pro suo communi servicio florenos quatuor milia sexcentos de Camera et quinque servicia consueta.

Item recognovit Camere et collegio pro communi servicio domini Florencii predecessoris sui duo milia quingenta sexaginta duos similes florenos, solidos viginti quinque monete Romane et quinque servicia consueta.

Item recognovit Camere tantummodo pro communi servicio domini Arnoldi antepredecessoris sui alios quatuor milia florenorum de Camera et quinque servicia consueta.

Solvendo medietatem promissi in festo Resurectionis Domini nostri Jhesu Christi proxime futuro, aliam medietatem in simili festo anno revoluto *etc.*

Arch. Vatic. Oblig. colleg. Tom. 590, *f.* 162 *et iterum Tom.* 591, *f.* 46.

XVII. *1397—1400.*

Pro Frederico (de Blankenheim) dantur apochae et termini dilationes quoad pecuniam ratione servitii consueti solvendam.

1397, Octobris 20.

Henricus *etc.*

Quod reverendus pater dominus Fredericus Dei gratia episcopus Trajectensis pro parte *etc.* solvi fecit per manus reverendi patris domini Petri episcopi Aquensis *etc.* Dat. die XX Octobris pontificatus anno octavo. — *Ibidem Tom.* 573, *f.* 80.

1398, Junii 7.

Idem solvit centum viginti septem florenos auri *etc.* per manus Theoderici Weyx *(sic) etc.* sub anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo octavo, die septima mensis Junii. — *Ibidem Tom.* 575, *f.* 28.

Idem solvit per manus Thederici Neier *(sic)* canonicum sancti Dionisii Leodiensis diocesis. Dat. ut supra, die septima mensis Junii, pontificatus anno nono. — *Ibidem Tom.* 573, *f.* 79r.

1399, Martii 26, Augusti 13, Octobris 31.

Eidem prorogatur terminus ad solvendum, die XXVI mensis Martii anno decimo.

Eidem dilatio ut supra, die XIII mensis Augusti anno decimo.

Item dilacio, die ultima Octobris anno X. — *Ibidem Tom.* 575, *f.* 54r, *f.* 69r, *f.* 75v.

1399, Decembris 23.

Conceditur eidem Frederico dilacio ut supra. Dat. XXIII mensis Decembris anno undecimo. — *Ibidem Tom.* 575, *f.* 95r.

1400, Martii 13.

Idem solvit per manus domini Alardi de Molendino prepositi beate Marie Trajectensis *etc.* Prorogatur terminus *etc.* Dat. ut supra, die XIII mensis Marcii, pontificatus anno undecimo. — *Ibidem Tom.* 573, *f.* 106r.

XVIII. *1406.*

Fredericus (de Blankenheim) episcopus Traj. Wilhelmo domino de Bronchorst ad annum concedit licentiam habendi altare portatile, privilegium immunitatis ab interdicto, literas confessionales.

Fredericus Dei gratia episcopus Trajectensis dilecto in Christo domino Wilhelmo domino de Bronchorst nostre diocesis salutem in Domino sempiternam.

Ut in quocunque loco nostre diocesis, in quo veneritis, et in domo habitacionis vestre loco decenti et ornato ac congrue adaptato super lapidem portatilem consecratum divina Missarum officia per quemcumque presbyterum idoneum facere celebrari possitis et ea cum familia vestra audire una cum decem personis per vos eligendis, interdictis et excommunicatis exclusis, jure parrochialis ecclesie loci hujusmodi in omnibus semper salvo, etiam ut non obstante interdicto nostro aut statutorum provincialium vel synodalium seu alicujus nostra inferioris auctoritate lato vel ferendo una cum quatuor personis in dictis locis seu ecclesiis, quo veneritis, divinis Missarum officiis, januis clausis, interesse valeatis, dummodo vos aut ille alie persone hujusmodi occasionem illius non dederitis aut dederint, necnon ut vos et etiam persone per vos eligende quemcumque presbyterum ydoneum in confessorem vestrum eligere possitis, qui vos a peccatis vestris omnibus, que sibi confitebimini, in casibus etiam occultis nostre ordinarie potestati de jure, statuto, privilegio aut consuetudine specialiter reservatis, injuncta vobis et ipsis pro modo culpe penitentia salutari, absolvere et Sacramentum Eucharistiae, quotiens divina disponente gratia fuerit opportunum, ministrare valeat, vobis ipsis et presbyteris tenore presencium indulgemus; presentibus post annum minime valituris. Dat. anno Domini millesimo CCCC sexto *etc.*

Apographum coaevum in archivo prov. Ultraj. Chartul. B. A. 82, *f.* 128r.

INITIA BULLARUM.

Le BULLARIUM TRAJECTENSE sera publié en 8 livraisons de ± 120 pages, qui formeront 2 volumes.

Le prix de souscription est fixé à 3 florins des P. B., par livraison.

La dernière livraison, contenant la suite de l'Introduction et les Tables alphabétiques, paraîtra sous peu.

BULLARIUM TRAJECTENSE.

ROMANORUM PONTIFICUM DIPLOMATA

QUOTQUOT

OLIM USQUE AD URBANUM PAPAM VI (AN. 1378)
IN VETEREM EPISCOPATUM TRAJECTENSEM DESTINATA

REPERIUNTUR

COLLEGIT ET AUSPICIIS SOCIETATIS HISTORICAE RHENO-TRAJECTINAE EDIDIT

GISBERTUS BROM
ULTRAJECTINUS, S. THEOL. DOCTOR.

Tomi Secundi Fasciculus IV.

HAGA-COMITIS
MARTINUS NIJHOFF.
1896.

INDEX RERUM

COMPLECTENS QUOTQUOT IN BULLARIO TRACTANTUR LOCORUM ATQUE PERSONARUM ARGUMENTA.

(Numeri, quos signis grandioribus indicamus, exhibent exempla cujusque speciei in extenso.)

INDEX LOCORUM

COMPLECTENS NOMINA GEOGRAPHICA ET CUJUSCUMQUE LOCI INSTITUTA SACRA VEL PIA, QUORUM IN BULLARIO FIT MENTIO.

---

1) Ita passim in Registris Archivi Vat. audit quem auctores nostri episcopum Bibelethensem nuncupare solent; intelligatur Byblus in Syria.

ABBREVIATIONES SAEPIUS OCCURRENTES.

ap.	= apostolicus	decr.	= decretorum	mon.	= monasterium
archid.	archidiaconus	diac.	diaconus	ord.	ordinis
archiep.	archiepiscopus	dioec.	dioecesis	par.	parochialis
art.	artium	dom.	dominus	Praed.	Praedicatorum
bacc.	baccalaureus	domic.	domicellus	praep.	praepositus
benef.	beneficiandus	eccl.	ecclesia	presb.	presbyter
can.	canonicus	ep.	episcopus	proc.	procurator
cap.	capitulum	fam.	familiaris	S. Salv.	S. Salvatoris
capell.	capellanus	Holl.	Hollandia	schol.	scholasticus
canc.	cancellarius	hosp.	hospitale	subd.	subdiaconus
Card.	Cardinalis	imp.	imperator	tab.	tabellio
cler.	clericus	S. Joh.	S. Johannis	thes.	thesaurarius
coll.	collector	Leod.	Leodiensis	Traj.	Trajectensis
Colon.	Coloniensis	lic.	licentiatus	vic.	vicarius
Dav.	Daventriensis	mag.	magister		
dec.	decanus	med.	medecina		

INDEX PERSONARUM.

1) Unus idemque? 2) Idem?

1) Idem?

1) Idem?

1) Unus idemque videtur.

1) Idem?

1) Idem?

1) Idem ac num. 2206? 2) Idem ac num. 1920?

1) Idem? 2) Idem ac num. 1302?

1) Idem?

1) Idem?

1) Idem?

1) Idem?

1) Unus idemque?

LIBRORUM ADHIBITORUM ELENCHUS.

Analectes pour servir à l'hist. eccl. de la Belgique I—XXIV (Louvain 1864—'93).
Annalen des histor. Vereins für den Niederrhein I—XXII (Köln 1855—'70).
Archief voor de geschiedenis van het aartsbisdom Utrecht I—XXIII (Utrecht 1875—'95).
Archief voor Nederlandsche kerkgeschiedenis onder redactie van J. R. G. Acquoy enz. I—V ('s Gravenhage 1885—'95).
Archief, Kerkhistorisch, verzameld door N. C. Kist en W. Moll I—IV (Amsterdam 1857—'66).
Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde hrsg. von G. H. Pertz I—VIII (Hannover 1824—'74).
Auvray, Lucien, Les régistres de Gregoire IX Fasc. I—III (Paris 1890—'94).

Banck, L., Taxa Cancellariae Romanae I (Franekerae 1651).
Batavia sacra ... in duas partes divisa (Bruxellis 1714).
Beka, Johannes de, et Wilhelmus Heda, De Episcopis Ultrajectinis recogn. et notis historicis illustr. ab Arn. Buchelio I (Ultraj. 1643).

Berger, Elie, Les Régistres d'Innocent IV (Paris 1884—'89) I—II.

Bergh, L. P. C. van den, Gedenkstukken tot opheldering van de Nederlandsche geschiedenis uit de archieven te Rijssel I—III (Leiden 1842—'47).

— Register van Hollandsche en Zeeuwsche oorkonden, die in de charterboeken van van Mieris en Kluit ontbreken I (Amst. 1861).

Blok, P. J., Geschiedenis van het Nederl. volk I—III (Groningen 1892—'96).

Böhmer, J. F. Regesta chronol.-diplom. regum atque imperatorum I (Francofurti 1831).

Bondam, P., Charterboek der hertogen van Gelderland en graaven van Zutfen I (Utrecht 1783—1809).

Boxhorn, M. Zuerius, Tonneel ofte beschryvinge des landts ende steden van Hollandt ende West-Vriesland I (Amsterd. 1634).

Bresslau, H, Handbuch der Urkundenlehre I (Leipzig 1889).

Burgt, F. P. van de, Tractatus de dispensationibus matrimonialibus I (Sylvae ducis 1855).

— De celebratione Missarum I (Ultraj. 1871).

— De Ecclesiis I (Ultraj. 1874).

— De Matrimonio I (Ultraj. 1875).

Bijdragen tot de geschiedenis van het bisdom Haarlem I—XX (Haarlem 1875—'95).

— tot de geschiedenis van Overijssel. Uitgegeven door J. L. van Doorninck en J. Nanninga Uitterdyk I—X (Zwolle 1875—'89).

— voor de vaderl. gesch. en oudheidk. uitgeg. door J. A. Nyhoff 2e reeks I—X (Arnhem 1859—'80); 3e reeks Nyhoff-Fruin I—IX ('s Gravenh. 1882—'95).

Cauchie, A., La querelle des investitures dans les diocèses de Liège et de Cambrai I—II (Louvain 1890).

Codex diplomaticus Neerlandicus. Uitgegeven door het Historisch Genootschap gevestigd te Utrecht I—VII (Utr. 1852—'62).

Colmjon, G., Register van Oorkonden, die in het Charterboek van Friesland ontbreken, tot het jaar 1400 (Leeuwarden 1883) I.

Corpus juris canonici ed. Aem. L. Richter I—II (Lipsiae 1839).

Devillers, Leopold, Cartulaire des comtes de Hainaut de l'avènement de Guillaume II à la mort de Jacqueline de Bavière I—III (Bruxellis 1886).

Diest Lorgion, E. J., Geschiedk. beschrijving der stad Groningen I—II (Gron. 1852—'57).

Dodt van Flensburg, J. J., Archief voor kerkelijke en wereldsche geschiedenissen I—VII (Utrecht 1838—'48).

Dorez, Léon, et Jean Guiraud, Les Régistres d'Urbain IV. Fasc. I (Paris 1892).

Driessen, R. Keuchenius, Monumenta Groningana veteris aevi inedita I—IV (Groningen 1822—'30).

Ducange, C. D., Glossarium mediae et infimae latinitatis I—VII (Parisiis 1840—'50).

Dumbar, G., Analecta I—III (Daventriae 1719—'22).

— Het kerkelijk en wereldlijk Deventer I—II (Dev. 1732—'88).

Elsen van den, G., Beknopte levensgeschiedenis van den H. Norbertus I (Averbode 1890).

Fabre, P., Étude sur le Liber censuum I (Paris 1892).

Fahne, A., Urkundenbuch der freien Reichstadt Dortmund I—II (Köln-Bonn 1855—'57).

Faucon, Maurice, Antoine Thomas et Georges Digard. Les Régistres de Bo-

niface VIII Fasc. I—VI (Paris 1884 —'91).
Feith, H. O., Register van het archief van Groningen I—VI (Gron. 1853—'58).
— Emonis Chronicon I (Utr. 1866)
Finke, Heinrich, Die Papsturkunden Westfalens bis zum Jahre 1378 I (Münster 1888).
— Das Papstum und Westfalen I (Münster 1891).
Floss, Leonis papae VIII privilegium de investituris Ottoni I imperatori concessum I (Friburgi 1858).
— Die Papstwahl unter den Ottonen I (Freiburg 1858).
Fredericq, Paul, Corpus documentorum Inquisitionis haereticae pravitatis Neerlandicae I—II ('s Hage 1889).
Fremery, James de, Cartularium der abdij Mariënweerd I ('s Hage 1890).
Fruin Th. Az., R., Inventaris van het archief der Heeren van Montfoort I ('s Gravenhage 1894).

Geer tot Oudegein, J. J. de, Archieven der ridderlijke Duitsche orde, balie van Utrecht I—II (Utrecht 1871).
Giesebrecht, W. von, Die Geschichte der deutschen Kaiserzeit I—V (Braunschweig 1863—'88).
Gottlob, A., Die päpstlichen Kreuzzugssteuern des 13en Jahrh. I (Heiligenstadt 1892).
Grandjean, Ph., Le régistre de Bénoit XI (Paris 1883) I.
Guiraud, Jean, Les régistres de Grégoire X Fasc. I—II (Paris 1892—'93).

Hefele, C. J. von, Conciliengeschichte I—VII (Freiburg 1855—'74).
Herdt, P. J. B., Sacrae lithurgiae praxis I—III (Lovanii 1877).
Hinschius, P., System des katholischen Kirchenrechts mit besonderer Rücksicht auf Deutschland I—V (Berlin 1869—'95).
Historia episcopatuum foederati Belgii per H F. V. H. Sac. T. L. Vic. Tr. I (Lugduni in Batavis 1719).
Historie, Kerkelijke, en outheden der zeven vereenigde provincien I—VI (Leiden 1726).
Hoynck van Papendrecht, C. P., Historia ecclesiae Ultrajectensis I (Mechliniae 1725).
Hugo, Carl. Lud., Sacri et canonici ordinis Praemonstatensis annales I—II (Nanceii 1734).

Jaffé, Philippus, Bibliotheca rerum Germanicarum I—VI (Berolini 1864—'73).
— Regesta Pontificum Romanorum I—II (Lipsiae 1888).
Jordan, Edouard, Les régistres de Clement IV Fasc. I—II (Paris 1893—'94).

Kindlinger, Niklas, Geschichte der Deutschen Hörigkeit I (Berlin 1819).
Kirchenlexikon, Wetzer und Welte's, I—IX (Freiburg 1882—'96).
Kirsch, J. P., Die päpstlichen Kollektorien in Deutschl. während des XIV. Jahrh. I (Paderborn 1894).
— Die Finanzverwaltung des Kardinalscollegiums im XIII. Jahrh. I (Münster 1895).
Kluit, Adr. van, Historia critica comitatus Hollandiae et Zeelandiae I—II (Medioburgi 1782).
Kober, F., Die Suspension der Kirchendiener I (Tübingen 1862).
König, L., Die päpstliche Kammer unter Clemens V und Johann XXII (Wien 1894) I.

Lacomblet, Theod. Jos., Urkundenbuch für die Geschichte des Niederrheins I—IV (Düsseldorf 1840—'58).
Langlois, Ernest, Les régistres de Nicolas IV (Paris 1886—1893) I.
Leeuwen, Simon van, Batavia illustrata I ('s Gravenhage 1685).

Leydis, Johannes a, Chronicon Egmundanum ... ed. Ant. Matthaeus I (Lugduni Bat. 1692).

— Kronyk van Egmond vert. door Simon Eikelenberg I (Alkmaar 1739).

Ligorio, S. Alphonsus de, Theologia moralis I—IV (Parisiis 1883).

Lindebornius, Joannes, Historia sive notitia episcopatus Daventriensis I (Col. Agripp. 1670).

Lokeren, A. van, Chartes et documents de l'abbaye de Saint-Pierre au Mont Blandin à Gand I (Gand 1869).

Lübeckisches Urkundenbuch I—IV (Lubeck 1843—'73).

Magnin, J. S., De voormalige kloosters in Drenthe geschiedk. beschouwd I (Groningen 1835, Heereveen 1846).

Maistre, J. de, Du Pape I (Anvers 1820).

Matthaeus, Ant., Veteris aevi analecta I—V (Hagae-Comitis 1738).

— Fundationes et fata ecclesiarum, praesertim quae Ultrajecti et ejusdem suburbiis I (Lugd. Bat. 1704).

— De nobilitate I (Amst. et Lugd. Bat. 1686).

— De jure gladii I (Lugd. Bat. 1689).

— De rebus Ultrajectinis auctoris incerti narratio historica I (Hagae-Comitis 1740).

Meerman, Joh., Geschiedenis van Graaf Willem van Holland, Roomsch Koning I—V ('s Gravenhaage 1783—'97).

Mieris, Frans van, Beschrijving der stad Leiden I—III (1762—'84).

— Groot Charterboek der graven van Holland en Zeeland I—IV (Leiden 1756).

— Beschrijving der bisschoppelijke zegelen en munten I (Leiden 1726).

Migne, J. P., Patrologiae cursus completus Tom. 214—217 (Parisiis 1855).

Miraeus, Aub., et Joh. Franc. Foppens, Opera diplomatica et historica I—IV (Bruxellis 1723—'48).

Mittheilungen aus dem Stadtarchiv von Köln hrsg. von Höhlbaum-Hansen I—X (Köln 1883—'95).

Mittheilungen aus dem Vaticanischen Archive hrsg. von der Kaiserl. Akademie der Wissenschaften I (Wien 1889).

Moll, W., Kerkgeschiedenis van Nederland vóor de Hervorming I—IV (Utr. 1864—'69).

Möser, J., Osnabrückische Geschichte I—III (Berl. 1819).

Mosheim, Jo. Laur. a, De beghardis et beguinabus commentarius I (Lipsaci 1790).

Muller, P. L., Regesta Hannonensia I ('s Gravenhage 1881).

— Fz., S., Catalogus van het archief van het kapittel van St. Pieter I ('s Gravenhage 1886).

— Regesten van het kapittel van St. Pieter I ('s Gravenhage 1891).

— De registers en rekeningen van het bisdom Utrecht I—II (Utrecht 1889—'91).

— Bijdragen voor een Oorkondenboek van het Sticht Utrecht I ('s Gravenh. 1890).

— Het oudste Cartularium van het Sticht Utrecht I ('s Gravenhage 1892).

— Het rechtsboek van den Dom I ('s Gravenhage 1895).

— Regesten van het archief der stad Utrecht I (Utr. 1896).

Nidek, van Br. M., en Isaac le Long, Kabinet van Nederlandsche en Kleefsche Outheden I—VI (Amst. 1727—'33).

Nyhoff, Is. An., Gedenkwaardigheden uit de geschiedenis van Gelderland I—VI (Arnhem 1830—'75).

—, P., Inventaris van het oud archief der gemeente Arnhem I (Arnhem 1864).

Oorkondenboek van Groningen en Drenthe I (Groningen 1895).

— van Holland en Zeeland, bewerkt door Mr. L. Ph. C. van den Bergh I—II (Amst. en 's Gravenhage 1867—'73).

Palmieri, Greg., Manuductio ad Vat. arch. Regesta I (Romae 1884).

Pars, Adr., De twee Katwyken I (Leiden 1697).

— Katwijksche, Rijnsburgsche en andere Nederl. oudheden I (Leiden en Amsterd. 1745).

Pertz, G. H., Monumenta Germaniae historica a) Scriptorum I—XXIX; b) Legum I—V (Hannoverae 1835—'92).

Phillips, G., Kirchenrecht I—VIII (Regensburg 1845—'89).

Piot, Ch., Cartulaire de l'abbaye de Saint-Trond I—II (Bruxelles 1870).

Posse, Otto, Analecta Vaticana I (Oeniponti 1878).

Potthast, Augustus, Regesta Pontificum Romanorum I—II (Berolini 1874—'75).

Pressutti, Petrus, Regesta Honorii Papae III (Romae 1888) I.

Preuss, O., und A. Falkmann, Lippische Regesten I—IV (Lemgo 1860—'68).

Proeliarius of Strydboek betreffende de jongste oorlogen in Friesland in het jaar 1518 I (Leeuwarden 1855).

Prou, Maurice, Les régistres d'Honorius IV (Paris 1888) I.

Rammelman Elsevier, W. J. C., Inventaris van het archief der gemeente Leyden I—II (Leiden 1863—'65).

Regestum Clementis Papae V editum cura et studio monachorum ordinis S. Benedicti I—IV (Romae 1885—'88).

Register van Overysselsche oorkonden uitgeg. door de Vereen. van Overyss. regt en geschiedenis I—II (Zwolle 1873).

Riemer, Jacob de, Beschryving van 's Graven-hage I—II (Delft 1730—'39).

Riezler, Sigmund, Vatikanische Akten zur deutschen Geschichte in der Zeit Kaiser Ludwig des Bayern I (Innsbrück 1891).

Ripoll, F. Thomas, Bullarium ordinis fratrum Praedicatorum I—VIII (Romae 1729—'40).

Robert, Ulysse, Bullaire du pape Calixte II (Paris 1891) I—II.

Rodenberg, Carolus, Epistolae saeculi XIII e Regestis Pontificum Romanorum selectae I—III (Berolini 1883—'94).

Rovenius, Phil., Tractatus de Missionibus I (Lovanii 1624).

Rübel, K., Dortmunder Urkundenbuch I (Dortm. 1881).

Rymer, Thom., Foedera, conventiones, literae et cujuscunque generis acta publica, inter reges Angliae et alios I—X (Hagae-Comitis 1745).

Saint-Genois, Joseph de, Monumens anciens I—III (Paris 1782—1806).

—, Jules de, Inventaire analytique des chartes des çomtes de Flandre, avant l'avènement des princes de la maison de Bourgogne I (Gand 1843—'46).

Sbaralea, Joa. Hyac., Bullarium Franciscanum I—IV (Romae 1759—'68).

Schotanus, C., De geschiedenissen kerck. ende wereldl. van Friesland Oost ende West I (Franeker 1658).

Schotel, G. D. J., De abdij van Rijnsburg I ('s Bosch 1851).

Schwartzenberg en Hohelansberg, G. F. baron thoe, Groot Placaat- en Charterboek van Vriesland I—IV (Leeuwarden 1768).

Serrure, C. A., Cartulaire de Saint-Bavon à Gand.

Sloet, L. A. J. W., Oorkondenboek der graafschappen Gelre en Zutfen I—II ('s Gravenhage 1872—'76).

Spaen, W. A. van, Oordeelkundige inleiding tot de historie van Gelderland I—IV (Utrecht 1801—'5).

— Historie van Gelderland I (Utr. 1814).

Tadema, R. W., Tijdrekenkundig register van alle oorkonden in het stedelijk archief te Zutfen berustende I (Zutfen 1884).

Thomassinus, Ludov., Vetus et nova ecclesiae disciplina I—II (Lucae 1728).

Vermeulen, P. J., Inventaris van het archief der provincie Utrecht I (Utr. 1877).

Verwys, Eelco, De abdij van Corvei en de kerk van Leeuwarden I (Leeuw. 1864).

Visvliet van, J. P., Inventaris van het oud archief der provincie Zeeland I—II (Middelburg 1876).

Wadding, Lucas, Annales Minorum I—XVIII (Romae 1731—1740).

Wall, P. H. van de, Handvesten en privilegien der stad Dordrecht I—VIII (Dordr. 1770—'80).

Wauters, Alph., Table chronologique des chartes et diplomes imprimés concernant l'histoire de la Belgique I—VIII (Bruxelles 1871—'92).

Weiss, K. F., Die kirchlichen Exemtionen in Deutschland I (Basel 1893).

Werunsky, Emil, Excerpta ex Registris Clementis VI et Innocentii VI Summorum Pontificum I (Innsbrück 1885).

Winkelmann, Ed., Philipp von Schwaben und Otto IV von Braunschweig I—II (Leipzig 1873—'78).

Winsemius, P., Chronique ofte hist. geschiedenisse van Friesland I (Franeq. 1622).

Würdtwein, St. Al., Nova subsidia diplomatica I—XIV (Heidelbergae 1781—1792).

FINIS.

Le BULLARIUM TRAJECTENSE sera publié en 8 livraisons de ± 120 pages, qui formeront 2 volumes.

Le prix de souscription est fixé à 3 florins des P. B., par livraison.